PERIODICA

DE RE

MORALI, CANONICA, LITURGICA

TOMUS VICESIMUS

(V. novae seriei)

BRUGIS
SUMPTIBUS BEVAERT
Via Notre-Dame

ROMAE (101)
UNIVERSITÀ GREGORIANA
Piazza della Pilotta

1931

PERIODICA

DE RE

MORALI, CANONICA, LITURGICA

TOMUS VICESIMUS

(V. novae seriei)



BRUGIS
SUMPTIBUS BEYAERT
Via Notre-Dame

ROMAE (101)
UNIVERSITÀ GREGORIANA
Piazza della Pilotta

1931

16764

V. 20

IMPRIMATUR

—

P. ADULPHUS MARIOTTI,
Praep. Prov. Rom.

IMPRIMATUR

—

Sorae, 24 Dec. 1931.

† AUGUSTINUS MANCINELL
Episcopus Sorae, Aquini et Pontiscu

Società Tipografica A. Macioce & Pisani - Isola del Liri

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

De Canone 1125 eiusque vi extensiva

I. - Momentum rei, crescens sollicitudo catholica qua non de sola civitate sua sed etiam de alienis regionibus, maxime de missionibus, unusquisque est sollicitus, dubitatio demum quam textus, ceteroquin non in se obscurus seu ambiguus, ob verba quaedam generare potest, nos movent ut paulo accuratius vim examinemus verborum « *in eisdem adiunctis* », quae in canone 1125 immediate post voces « *alias regiones* » leguntur.

Sic enim canon effertur: « Ea quae matrimonium respiciunt in constitutionibus Pauli III, *Altitudo,* 1 iun. 1537; S. Pii V, *Romani Pontificis,* 2 aug. 1571; Gregorii XIII, *Populis,* 26 ian. 1585, quaeque pro peculiaribus locis scripta sunt, ad alias quoque regiones in eisdem adiunctis extenduntur ».

Iam vero materialis verborum vicinitas et iuxtapositio cuipiam videri possit formalis appositio, ita ut quaestio oriatur utrum verba « *in eisdem adiunctis* » ad regiones an ad singulos casus referri debeant.

Si prius dixeris, Constitutiones praefatae ad singulos casus similes applicari non poterunt nisi praeterea ipsius regionis adiuncta eadem vel similia fuerint atque illius regionis pro qua fuerunt latae; si vero alte-

ras partes elegeris, Constitutiones valebunt ubique, si modo adiuncta causae fuerint eiusdem rationis.

II. Verum posteriores has partes eligi debere non est ambigendum. Etenim :

a) Id postulat usus linguae latinae. Si verbis « in eisdem adiunctis » circumscribere voluisset applicationis regiones, legislator latine hunc vel similem modum dicendi adhibere debuisset : « ad alias regiones quarum adiuncta sint eadem » ; « quae in iisdem adiunctis versantur ». Dum consuetam rationem scribendi servavit, si verbis « ad alias regiones » vim generalem tribuas, et in canone 1125 hoc attendas, ut de specie facti adiuncta eadem comprobentur. Egregio latinae linguae cultori, quem interrogavimus, id manifestum esse videbatur.

b) Dum verba « quae pro peculiaribus regionibus scripta sunt » verbis « ad alias quoque regiones » opponit, legislator negat Constitutiones iam pro peculiaribus tantum regionibus vigere, sed valere pro non-peculiaribus affirmat ; seu, quod perinde est, iis iam vim universalem inesse declarat. Regio enim cuius observanda forent adiuncta, esset iam regio *peculiaris*.

c) A mente qua Codex scriptus est, quae fuit ut pro iure multiplici, arduo et incerto, leges perspicuae et planiores substituerentur, alienum videtur ut usus canonis 1125 obnoxius sit laboriosae inquisitioni historicae et ethnicae adiunctorum in quibus versabantur regiones quibus Constitutiones, nunc extensae, primum destinabantur.

d) Immo dubitari potest num una hodie exstet regio in qua per se reperiantur adiuncta prospecta, v. g. in Constitutione « Populis », i. e., ubi « saepe contingit multos utriusque sed praecipue virilis sexus infideles, post contracta gentili ritu matrimonia, ex Angola, Aethiopia, Brasilia, et aliis Indicis regionibus,

ab hostibus captos, a patriis finibus et propriis coniugibus in remotissimas regiones exterminari ».

Si vero nulla Indica regio haec hodie patitur, putabitne quispiam extensionem art. 1125 frustra esse statutam?

e) Accedit commune auctorum suffragium. Vim universalem agnoscunt: WERNZ-VIDAL, *Ius matrimoniale,* p. 766: « In iure Codicis can. 1125, ad universum orbem extenduntur declarationes, et dispensationes quas olim pro pecularibus locis dederant Paulus III » etc. — BLAT, O. P., in h. c. « ad alias quoque regiones quaslibet in mundo, sed in iisdem adiunctis ». — CAPPELLO, S. I., *De matrimonio*[2], n. 787 « Ad universas regiones in iisdem adiunctis extensae fuerunt, ideoque ius commune hodie constituunt. » — PRUEMMER, O. P. *Manuale Theol. mor.*, ed. 4, t. III, p. 491, n. 676, fine. « Pro omnibus regionibus, si eadem adiuncta. » — PAYEN, S. I., *Ius matrimoniale,* n. 2404: « extenduntur ad quaslibet regiones, modo expleantur condiciones quae in dictis constitutionibus recensentur. »

Neque vim istius suffragationis infirmari existimes, quia plures formaliter vel aequivalenter repetunt limitationem, « in iisdem adiunctis ». Qui enim extensionem universalem profitetur non potest adiuncta aliter intellegere quam adiuncta causae. Verbis enim inter se pugnantibus uteretur qui *simul* contenderet Constitutiones vigere *ubique,* et non vigere nisi in locis quae adiunctis definiantur regionum pro quibus Constitutiones primum datae fuere.

III. Ad corollaria seu ad singulas applicationes descendere in animo non habemus. Monemus tamen etiam hic prudenti discretione opus esse. Distinguendae enim sunt causae motivae primae concessionis, et causae mere impulsivae. Causae motivae eaedem esse et manere debent, dum causae impulsivae impune abesse possunt: non propterea applicatio impeditur.

Ut, uno saltem exemplo, modo dictum confirmemus, Gregorius XIII, C.e *Populis,* iis providere voluit qui nuper conversi et a patriis finibus vi exterminati, in morali impossibilitate versabantur reperiendi uxorem quam interpellarent pro usu privilegii Paulini. Hinc dubitari potest utrum omnia haec adiuncta habenda sint ut motiva sine quibus nunc nullus locus est applicandi istam Constitutionem, an contra, plura ut mere impulsiva considerari queant.

Si, v. g. exigas pro applicatione, ut conversi fuerint *vi abducti,* vix hodie erit locus isti privilegio. Est tamen qui ita severe applicationem coartandam existimat. Nostra tamen sententia, merito R. P. PAYEN scribit: « Reapse, ob finem quem commemorat, favendi fidei seu conversioni infidelium, spectat Constitutio Gregorii XIII *ad eos omnes* coniuges baptizatos qui legitimum coniugem infidelem, qualibet de causa, *interpellare nullo modo possunt:* vi huius constitutionis ii omnes legitime ab omni interpellatione dispensari possunt. « *(De matrimonio in missionibus,* n. 2409). Non aliter CHELODI, *Ius matrimoniale,* n. 160: « Ex tertia Constitutione, quilibet conversus « superstite coniuge infideli et eius consensu minime requisito aut responso non exspectato » potest transire ad novas nuptias, « dummodo constet absentem moneri legitime non posse aut monitum intra tempus praefixum suam voluntatem non significasse ».

Neque dicas, hac explicatione iam inutiles esse facultates *S. C. De Propaganda Fide* quibus, sine regionum distinctione, ista facultas dispensandi conceditur. Etenim, praeterquam argumentum istud semper debile foret, quia gratis supponeret facultates non posse scribi nisi praecesserit accurata exploratio et authentica declaratio iuris vigentis, in casu praesenti

notum est facultates S. C. Propagandae Fidei nondum fuisse complete ad Codicem aptatas, ac nunc praeparari novas formulas.

A. VERMEERSCH S. I.

De virtute requisita in religioso laico

Ante tres annos (*Per.* XVII, 231 ss.) conati sumus accurate definire quenam virtus in candidato sacerdotii requireretur. Inde, iam ab aliquo tempore rogati sumus idem argumentum versare pro religiosis laicis.

Duplex autem consideratio argumento isto postulatur: altera Instituti seu eius Superiorum, altera ipsius personae quae Institutum ingredi cupiat vel iam ingressa sit.

Ab hac initium dicendi faciamus.

I. - Etiam in Instituto laico vota non fiunt privata, sed sunt publica, i. e. nomine Ecclesiae acceptata (c. 1307); eius socii non solum obligationem paupertatis, castitatis, oboedientiae contrahunt, sed paupertatem, castitatem, oboedientiam *profitentur*. Quare, in aestimatione casus non satis est perpendere quid demum intersit personae voventis, quo pacto maior peccati gravitas raritate compensetur, sed id attendendum est quid requiratur ut quis licite seu sine peccato statum vitae profiteri possit (1).

Ne pro spirituali quidem utilitate vel securitate viam vetitam inire fas est.

---

(1) Haec consideratio nimis fugisse videtur Cardinalem DE LUGO in Responso morali 28, ubi perpendit facultatem quam Confessarius habeat negandi absolutionem novicio qui voluntarios lapsus carnis frequenter patitur. Mere enim personalem religiosi utilitatem perpendit.

Iam vero, ut quis honeste statum vitae sibi seligat, oportet ut morali certitudine statum istum secundum veritatem se profiteri posse sibi constet, ita ut re vera sit peritus iuris, medicinae; re vera pauper, castus et oboediens qualis esse profitetur. Inde haec consectaria fluunt.

1) Quia status religiosus est *schola* perfectionis, non tenetur quidem qui cooptari cupiat iam actu habere mores ita castigatos quales professio religiosa postulat, dummodo cum voluntate se emundandi fundatam saltem emendationis spem prudenter coniungere queat.

2) Sub finem vero noviciatus, omnem pravam consuetudinem deposuisse debet, ita ut nulla culpa gravis praevideatur, nisi quae non iam ex praeteriti habitus reliquiis sed ex sola accidentali fragilitate manare queat.

3) Si *post vota temporanea* habitus pravus vel contrahatur vel restituatur, nisi plene eum correxerit, vota quorum dies advenerit renovare tuto non poterit.

4) *Post vota perpetua*, iam non est paenitentiae locus. Quantum ad ipsum spectat, id unum facere debebit, ut media supernaturalia et naturalia adhibeat quibus e gratia Dei quae ipsum in tentatione non deseret se corrigere poterit. Huc faciunt verba Tridentina, can. 9 De matrimonio (s. 24) « Si quis dixerit... posse... omnes contrahere matrimonium qui non sentiunt se castitatis, etiam si eam voverint (1), habere donum, anathema sit, cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id quod possumus tentari. »

Itaque, nisi nimium fuerit periculum scandali exterioris, damnosi suo Instituto, obligari non poterit ad quaerendam dispensationem.

---

(1) Observes quomodo Conc. Tridentinuam ad circumstantiam facti voti attendat.

Estne istud consilium dandum? Id pendet ex prudenter libratis adiunctis. Potissimum examinandum est, quaenam spes vitae christianae et purae affulgeat reduci in saeculum post vitae religiosae experimentum. In qua re consilium medici probi et periti neglegendum non est. Sunt enim quibus remedium esse potest matrimonium, dum aliis foret occasio maioris ruinae. Nec istud omittendum est, veram ad matrimonium aptitudinem componi variis qualitatibus sine quibus modica spes fuerit coniugii felicis.

II. - *Superiores Instituti* de communi eius bono maxime solliciti esse debent. In primis necesse est ut nullum iuvenem cooptent quin sit probatae virtutis et immunis a vitiosis propensionibus. Meminerint continentiam magis viro laico quam sacerdoti esse difficilem, atque ex minore cultu civili maiora timenda esse scandala.

Si fiduciosa revelatione cuiuspiam fragilitatem cognoscant, sedulo legem secreti, quod potest esse rigorosum, observent. Quare confidentem benigne tractabunt, digressum *non imponent,* nisi ei qui naturali recedendi obligatione astringatur. Digressum *non suadebunt,* nisi id postulet ipsa religiosi utilitas vel scandalum religioni timendum.

Quem vero alia via cognoverint reum peccati non omnino accidentalis, regulariter neque ad prima neque ad ulteriora vota admittent.

Immo si agatur de peccato nunc cum complice commisso, etiam ante elapsa vota temporanea reum dimittent. Quod etiam post vota perpetua vel praestabunt, vel a S. Sede obtinere conabuntur, si Institutum operibus caritatis erga proximum, maxime instituendae iuventuti, destinetur. Bonae enim huiusmodi Instituti famae plurimum cavendum est. Ex ipsa autem minoris castitatis suspicione ingens detrimentum collegiis vel

scholis catholicis impendet. Quocirca Superiores facilius uti possunt et debent can. 653, ut statim dimittant religiosum propter quem gravissimum nocumentum communitati immineat.

III. - Ut de ceteris duobus votis verbulum addamus, profecto, non minus quam castitatis, etiam religiosae paupertatis et oboedientiae futura fidelis observatio in religionem profitente, moraliter certa esse debet. Verum hic non est per se luctandum contra tam insolentem et imperiosam concupiscentiam, ita ut firmiter proponenti facilius fidi possit. Immo victoria supra indolem rebellem si reportetur, signum non ordinariae vocationis esse et laetam spem eximiae vitae religiosae dare potest.

Accidit tamen quempiam reperiri adeo iugi impatientem et adeo aventem vitae in qua sit sui iuris, ut ne ingressus quidem ei permittendus sit.

Si iam partes Superioris consideremus, propensio ad superbiam et obstinationem, si coniungatur cum propensione ad pravos actus, bene ratio esse potest cur Superior ad ulteriora vota non admittat religiosum quem, si solam spectes castitatem, satis emendatum iudicarit. Id praesertim attendendum est ubi non agitur de secreta habitudine solitaria, sed de culpa graviore, etiam semel tantum cum alia persona commissa. Etsi nunc sincera paenitentia culpam deleverit, relapsus magis ab obstinato et superbo quam a miti et docili formidandus est.

A. VERMEERSCH S. I.

Quaenam sint privatae, quaenam publicae paenitentiae.

In constitutionibus recentiorum Institutorum, mortificationes seu paenitentias exteriores distinguere solent *privatas* et *publicas,* ita ut privatae cum sola Confessarii approbatione, publice vero tantum cum assensu Superioris a volentibus religiosis exerceri licite queant.

Iam vero, haec distinctio ansam dedit quaestionis:

Quaenam paenitentiae ut exteriores et privatae, Quaenam vero ut publicae habendae sint.

Resp. Re deliberata, satius visum est in hac re ad notionem can. 2197 de delicto attendere. *Publicum* ibi dicitur quod « iam divulgatum est aut talibus contigit seu versatur in adiunctis ut prudenter iudicari possit et debeat facile divulgatum iri ».

Publicas dicemus paenitentias quae communitatem latere nequeunt; et, secundum hanc normam, distinguemus exteriores quae semper publicae sunt et paenitentias quas, per se privatas, ex adiunctis contigit esse publicas.

Semper publicae sunt paenitentiae quae *palam* fiunt in refectorio, in loco capituli, vel aliis locis ad quae omnes libere accedunt: accusationes defectuum, servitia humilia et alia huiusmodi.

Semper privatae erunt usus cilicii, catenularum, omissio communionis.

Per se *privatae,* per *accidens* publicae, erunt usus *disciplinae,* qui privati erunt si in propria cella vel in proprio cubiculo fiunt, publici vero si in dormitorio communi, in refectorio vel in aula capituli aguntur; *ieiunia* et *abstinentiae,* quae privata erunt si rara fuerint, quia tunc aliam ac paenitentiae explicationem ferunt, *publica* vero si frequenter exerceantur.

Distinctio ista hoc commodo commendatur, quod Superiores publicas paenitentias ad vires et valetudinem directe aptare possunt. Quamquam si subiecti debilitas vel immoderatus usus noceat valetudini, Superiores confessarium de moderatione paenitentiae quoque privatae imponenda monere possunt; immo, si opus fuerit, ipsum usum prohibere, quatenus vetitum istud pertineat ad curam valetudinis quae ad provinciam Superiorum pertinet.

Quod ad paenitentias *publicas*, consensus Superiorum requiritur et sufficit. Verum si sententia prohibitiva confessarii intercesserit, haec a Superiore rata haberi debet. Tunc enim intimae prohibitionis rationes supponendae sunt quas, etsi latentes, Superiores neglegere non possunt.

Interna paenitentia fit per actus qui in se (non semper in effectu) exterius non apparent, ut actus quibus ira cohibetur, patienter iniuria suffertur, negatur satisfactio voluntati videndi, etc. Haec pertinent ad prudentem spiritualem directionem, quae Confessarium plus quam Superiorem, saltem laicum, attingunt.

A. VERMEERSCH S. I.

Quaesitum de valido vel invalido matrimonio ob praesumptionem legalem.

I. - **Quaeritur** utrum ad matrimonia contracta quidem ante diem 19 maii 1918, sed quorum causa tantum vigente Codice agitur, praesumptiones novi iuris an iuris antiqui applicandae sint.

Sub veteri iure baptismus dubius in ordine ad validitatem matrimonii tamquam validus habendus erat, dum hodie, vi canonis 1070 § 2 et 1014, in omni

dubii casu matrimonium praesumi debet validum, etiamsi ideo dubius baptismus praesumendus sit nullus.

II. - Praeterea **quaeritur** utrum annon causa matrimonialis tractari possit brevissima ratione quae can. 1990 pro casibus exceptis est statuta, quando impedimentum, v. g. disparitatis cultus, ex praesumptione iuris adesse censetur.

III. - **Quaeritur** de valore matrimonii quod vi praesumptionis iuris tunc vigentis invalidum erat, sub Codice autem, mutata iuris praesumptione, valide hodie contraheretur.

Titius acatholicus, dubie baptizatus, anno 1916 nuptias fecit cum Caia non baptizata. Ante Codicem, matrimonium pro nullo haberi debebat, quia baptismus praesumebatur validus, et etiam acatholici impedimento disparitatis cultus tenebantur. Hodie, matrimonium istud valide contraheretur. Estne nunc matrimonium huiusmodi ipsa mutata lege convalidatum?

Resp. Ad I. Quaestio ista a R. P. CREUSEN optime soluta est, in *Periodica* XVII (1928), p. 157*, allegato principio: praesumptiones legales facta sub lege anteriori posita regunt, quia lex nova melior priore aestimanda est.

Verum, quod interrogans supponit, mutatam esse praesumptionem, a pluribus quidem admittitur (1), sed a R. P. ARENDT, S. I, *(Ius Pontif.*, V, 133 ss.) non immerito, additis rationibus, negatur, ita ut negando suppositum quaerenti melius respondeatur.

Ad II. Respondendum est *negative,* quia *praesumptio,* qua a probatione dispensatur, argumentum certum, quod ad usum Can. 1990, ex ipsis canonis verbis requiritur, minime suppeditare potest.

(1) A R. P. VIDAL, Ius cun. V, n. 270; — DE SMET, *De sponsalibus et matr.*, n. 587; — R. A. TRIEBS, *Prackt. Handbuch des geltenden kanonischen Eherechts,* II, 48; — CHELODI, *Ius matrimoniale,* n. 80, II, 2. — Nos ipsi idem proposuimus *Theol. mor.,* III, n. 779.

Ad III. Quaestio iterum mutatam praesumptionem supponit, quod negandum esse arbitramur. Ac sane, si mutatam dixeris praesumptionem, solutio difficultate non carebit. Tunc enim impedimentum disparitatis cultus antea, ex praesumpto baptismi valore, affirmandum erat, nunc autem ex praesumpto matrimonii valore foret negandum. Quare canon 1133 § 1 quo, praeter cessationem impedimenti, renovatio consensus exigitur, applicari non posset nisi ex analogia, ad matrimonia ante Codicem celebrata, quia immediata ratio nullitatis non ex disparitatis impedimento, sed ex praesumpta *tunc,* non autem nunc, disparitate cultus repetenda foret.

Si autem, cum R. P. ARENDT, S. I. neges mutatas praesumptiones, praeterita matrimonii nullitas impedimento disparitatis cultus immediate tribuenda est, ita ut sola impedimenti remotio sine renovato consensu, matrimonia anteriora non sanet.

Quaesita varia de potestate Ordinarii loci seu Episcopi.

I.

Eleazar, Episcopus, cum Pontificalia celebrare vult, canonicum quendam suae ecclesiae cathedralis rogare solet ut ipsi qua caerimoniarius assistat. Namque novit eum esse valde rubricarum peritum. Canonicus autem dubitat tum de habitu quem induere potest vel debet, tum de servato suo iure ad reditus praebendae suae et ad distributiones cotidianas.

Resp. 1. — Si sollemnis celebratio in Pontificalibus fit in civitate Episcopali vel in suburbio, dubitari nequit quin Antistiti ius sit petendi a canonico ut ipsi in

Pontificali functione adsit. Id enim explicite tradit can. 412, § 1: « Canonici sive ecclesiae cathedralis sive collegialis Episcopo sollemniter Missam celebranti aut alia Pontificalia exercenti, etiam in aliis ecclesiis civitatis aut suburbii, ab eodem invitati, assistere et inservire debent, dummodo, iudicio Episcopi sufficiens canonicorum et ministrorum in ecclesia numerus maneat ». Ac notes canonicum istum non debere esse unum ex duobus qui ipsi modo habituali in ecclesiastico ministerio ac dioecesis servitio assistunt. Namque de istis canon agit in distincta paragrapho 2.

Quod iam attinet ad vestem quam induet, qui invitatur ut caerimoniarius, ut caerimoniarius vestietur, i. e. superpelliceo quod, quia est canonicus, supra rochettum feret.

Ipse autem ex can. 420, 11^0 tum fructus praebendae tum distributiones quotidianas percipiet. Constat enim ipsum ad normam can. 412 § 1 Episcopo assistere: quod solum canone 420 exigitur.

2. Si vero in aliis locis praeter civitatem episcopalem et eius suburbia assistere rogatur, quid iuris?

Profecto, considerato can. 412 § 1, tunc assistere et inservire non tenetur; ultro tamen munus istud acceptare ipsi integrum est. Quaeritur autem si etiam tunc ut praesens in choro haberi queat.

De hac re non est una sententia. Alii affirmant ipsi etiam prodesse can. 420, 11^0, quia ratio istius concessionis in ipso servitio Episcopi, non in obligatione ponenda esse videatur.

Alii vero negant, quia fictiones iuris sunt stricte interpretandae, Canon 420 derogat sanctae regulae qua distributiones cotidianae non sunt dandae nisi iis qui praesentes chorum participant; nec can. 420, 11^0 assistentiam huiusmodi inter causas excusantes a praesentia refert, quia can. 412 expresse non loquitur nisi de civitate vel suburbiis, ita ut canonici qui alibi Epi-

scopo assistunt se ad norman can. 412 assistere, contendere nequeunt.

Dum res sub iudice est, donec non prodierit authentica declaratio, satius esse videtur ut canonici suae quisque ecclesiae morem servent.

II.

In *Rituali Romano,* Appendice, continentur, post 70 alias, benedictiones quae inscribuntur *Reservatae.* Atque sub isto genere recitantur « I. Benedictiones faciendae ab Ordinario vel ab eius delegato ». Inter quas benedictiones reperitur, n. 12, benedictio deprecatoria contra mures, locustas, bruchos, vermes et alia animalia nociva. *Quaeritur* iam utrum delegatio ista requiratur specialis an possit concedi habitualis.

Resp. Habitualis concedi potest. Nulla enim voce, facultas delegandi restringitur. Nec ratio apparet facultatem istam coartandi. Immo, benedictio contra mures, etc. supponitur fieri a sacerdote delegato in ipso textu.

N. B. Perinde dicas de Exorcismo in Satanam et angelos apostatas, qui in Titulo XI cap. 3 Ritualis permittitur « Episcopis et sacerdotibus qui ab Ordinariis suis ad id auctoritatem habeant ».

III.

In civitate X, festum cuiusdam Sancti sollemniter celebratur, ita ut incolae ad ecclesiam plurimi concurrant, sed plures deinde, parum probanda devotione, abstinentiam non curent si festus dies in feriam VI incidat. Quare velit Antistes, quoties festum istud occurrat in Feria VI, populum istius civitatis ab abstinentia dispensare. Sed, cum nullae fiant peregrinationes extraneorum, dubius haeret num uti possit facultate canonis 1245, § 2, qua « Ordinarii, ex causa peculiari magni populi concursus... possunt locum a ieiunio et

ab abstinentia vel etiam ab utraque simul lege dispensare ».

Resp. Dubium Antistitis solvitur responso *Pont. Comm. Codici interpretando,* 12 mart. 1929 ad III: « An magnus populi concursus, de quo in can. 1245 § 2, habeatur etiam per extraordinarium concursum fidelium unius tantum paroeciae ad festum in ecclesia celebrandum? — R. *Affirmative. (A. A. S.,* XXI 170, vel *Periodica,* XVIII, 172 et 175).

A. VERMEERSCH S. I.

Absolutio censurae data ex ignorantia personae cui reservabatur.

Religiosus alicuius Congregationis clericalis non exemptae, commisit delictum apostasiae a religione. Fere nemo veritatem cognovit, nam plerique putabant agi de absentia legitima. Cum post duos menses rediisset et videretur sincere poenitens, Superior Provincialis ab excommunicatione eum bona fide absolvit. Cum postea Assistens Provinciali dixisset, ex can. 2385, absolutionem in religione non exempta reservari *Ordinario loci*, ipse Provincialis valde dubitare coepit quid facere deberet.

R. Huius casus solutionem nullibi invenimus. Putamus tamen absolutionem validam fuisse, nec quidquam aliud, saltem per se, nunc faciendum esse. Quia delictum erat occultum, verosimiliter absolutio data est a Superiore Provinciali in foro sacramentali. Tunc habemus c. 2247, § 3 « Si confessarius, ignorans reservationem, paenitentem a censura ac peccato absolvat, absolutio censurae valet.... » Si obiciatur Provincialem non ignorasse reservationem (sciebat enim haberi excommunicationem reservatam) sed solum *cui reservaretur* haec censura (putabat sibi reservari), videtur

respondendum hoc non nocere applicationi c. 2247 § 3. In bona fide ignorare censuram alii reservari, practice est idem ac si putaret nemini reservari. Finis huius canonis 2247 § 3 est impedire ne ignorantia confessarii paenitenti noceat. Non nocet ignorantia si est completa (si nihil suspicatur de qualibet reservatione); quomodo noceret si est incompleta (si ignoratur tantum gradus seu subiectum reservationis)? Hoc confirmatur principio generali quod Codex tot vicibus et modis repetit: leges de poenis esse odiosissimas, ergo strictissimae interpretationis, seu in dubio esse semper magis benigne pro reo intelligendas.

Superius scripsimus (saltem per se). Etenim, si delictum publicum evaderet et a pluribus saecularibus nunc cognosceretur, posset haberi obligatio petendi absolutionem publicam ab Ordinario loci, si haec esset sola ratio scandalum removendi.

E. JOMBART S. I.

Quot scholarum horae in cursu Theologico sint requisitae.

Inter iuvenes religiosos qui, ante ordinationes in sacris, theologicis studiis vacant, unus contendit paucissimis horis scholarum in hebdomada praescriptionibus Ecclesiae satis fieri, immo posse permitti ut fiant multae absentiae extra studiorum domum et quasi per dimidiam anni partem.

Talem opinionem laxismi labe affici, fere nemo est quin videat. Convenit tamen rem pressius considerare ut ad conclusiones magis praecisas perveniamus.

I°) Contra interruptiones anni scholaris documentum sat clarum habemus. Anno 1915, Superiori

cuidam Provinciali PP. Redemptoristarum responsum est a Sancta Sede non exigi iterationem anni studiorum si interruptio involuntaria (v. g. ob morbum vel ob servitium militare), complexive sumpta, non durasset ultra tres menses in anno scholari, ea condicione ut ita interruptus de disciplinis praetermissis scholas privatas haberet (saltem colloquia cum professoribus, ut intelligit P. CREUSEN) et examina subiret (1). Ergo tolerantur unice interruptiones omnino involuntariae, quae habentur, iuxta textum quaestionis positae, sine ulla culpa Superioris nec religiosi. Complexive sumptae, i. e. etiam si fuerunt discontinuae, numquam tres menses anni scholaris excedere possunt. Hoc iam explodit miram theoriam de absentiis licitis per dimidiam anni partem. Insuper ex hoc documento iam deducitur, durante theologiae quadriennio (et idem est de philosophiae biennio), omnes studentes obligari ad frequentandas omnes ordinarias scholas seu cursus de re sacra (nisi fortasse de disciplina valde accessoria haberentur aliqui cursus liberi), a frequentatione scholarum quarumdam Superiores neminem dispensare posse nisi ex seria causa, a numero sat magno horarum dispensare non posse sed solum admittere causam excusantem in casu verae necessitatis (v. g., ut in exemplis supra allatis, ob morbum, vel servitium militare).

2°) Si nunc quaeritur *quot horae* scholarum in domo theologiae haberi debeant, fatendum est Sanctam Sedem nullam mensuram mathematicam praescripsisse. Conabimur tamen cum aliqua approximatione aliquid determinare. Anno 1909, in responsis circa tempus theologiae pro religiosis, requiritur ut menses sint « vere academici vereque scholares », ut in scholis « tradantur etiam disciplinae accessoriae » et studentes etiam « per

(1) *A. A. S.*, VII, 1915, 123. Commentarium P. Creusen apud *Periodica*, VIII, 227.

quartum annum scholasticum » debent « theologicis studiis in scholis incumbere » (1).

Porro menses « vere academici vereque scholares » sunt profecto menses in quibus habetur sat magnus scholarum numerus, et theologicis studiis in scholis incumbere non significat rarissime solum scholas frequentare. Et si « etiam disciplinae accessoriae » in scholis tradendae sunt, hoc rursus sine sufficienti scholarum numero fieri nequit.

Quoad studia philosophica et theologica remanent in vigore haec responsa anni 1909, ut admittunt omnes commentatores et videtur innui per verba « secundum instructiones Apostolicae Sedis » c. 589 § I et annotationem hoc loco Codicis.

Ex ipsa natura rerum conclusiones nostrae confirmantur. Ut serio doceantur in scholis, si non omnes, saltem praecipuae quaestiones theologiae dogmaticae et moralis, Scripturae Sacrae, iuris canonici, historiae ecclesiasticae (a fortiori si quid etiam publice traditur de theologia pastorali, de eloquentia sacra, de liturgia, de cantu, etc.), extra tres vacationum menses qui in anno haberi possunt, necessarium est ut unaquaeque hebdomada sat multas cursuum horas contineat.

In *Ordinamento dei Seminari d'Italia* (2) considerantur ut disciplinae praecipuae et in omnibus seminariis docendae: theologia dogmatica et moralis, Scriptura Sacra, ius canonicum, historia ecclesiastica. « Il tempo destinato all'insegnamento di ciascuna deve essere corrispondente alla importanza di essa. » Si obiciatur hoc documentum extra Italiae seminaria non obligare, saltem tutam normam praebet ad intelligendum quae sit mens Sanctae Sedis. Ceterum fere unice urget vel in meliore lumine ponit ea quae deducuntur ex canonibus 976 § 3. 1365. 1366.

---

(1) *A. A. S.*, I, 1909, 701 ss.
(2) *Monitore Ecclesiastico*, 1921, p. 178. 204 ss.

Si religiosi omnes particularitates horum canonum 1365 et 1366 observare non stricte tenentur, saltem certo ligantur canone 1366 § 2 ad quem c. 589 § I eos explicite remittit. Sed rursus ut studia « professores omnino pertractent ad Angelici Doctoris rationem.. », requiritur sufficiens scholarum numerus. Insuper videntur religiosi attingi etiam canone 1365. Etenim c. 976, qui agit de omnibus ordinandis, sive saecularibus sive religiosis, habet hanc § 3: « Cursus theologicus peractus esse debet non privatim, sed in scholis ad id institutis secundum studiorum rationem can. 1365 determinatam. » Admitti tamen poterit legislatorem non tam urgere pro religiosis quosdam cursus in re pro eis minus utili, v. g., pastorali, aut etiam plene eximere Carthusianos et Cistercienses reformatos (Trappistas) a scholis sacrae eloquentiae aut theologiae pastoralis.

Remanet voluntas Romani Pontificis ut religiosi in scholis doceantur omnes quaestiones, saltem alicuius momenti, praecipuarum scientiarum ecclesiasticarum: id quod multum tempus requirit.

Servitium militare quod religiosi belgae agunt simul in praesidio Beverloo R. P. Creusen censebat non posse computari in tempore philosophiae nec theologiae: « Une année régulière compte en moyenne dix-huit à vingt heures de cours par semaine... Au camp, les religieux pourraient recevoir six heures de cours par semaine » (1).

Cum eo putamus sex horas in hebdomada nullo modo sufficere; exigere semper et ubique saltem octodecim horas nimis severum videtur, attamen numerus necessarius non poterit facile esse multo minor, seu infra quindecim horas haerere.

In magna varietate regionum et religionum nequit

(1) *Nouvelle Revue théologique*, 1922, p. 547.

determinari mensura mathematica universalis. Ceterum, ut oportet sufficientem cursuum numerum habere, non debet tamen ita magnus esse ut studio privato tempus aut vires non relinquat. In hoc articulo voluimus solum ostendere quantum errent qui leges de religiosorum studiis quam maxime extenuare et fere ad nihilum redigere conentur et quomodo ad veras et graves legum violationes se praeparent. Sed multo melius erit non quaerere minimum obligationis, sed praescriptiones, instructiones et adhortationes pontificias de religiosorum studiis secundum suum finem ac mentem perfecte servare.

E. JOMBART, S. I.

Quaestiones de matrimonio.

I⁰. Utrum conformes ad normam can. 1903 et 1987 dicendae sint duae sententiae de nullitate matrimonii latae, si eiusdem nullitas declarata fuerit ex diverso capite. — II⁰. Quomodo intelligenda sint verba: « *cum omnia sunt parata ad nuptias* » can 1045, § 1.

I.

Utrum conformes ad normam can. 1903 et 1987 dicendae sint duae sententiae de nullitate matrimonii latae, si eiusdem nullitas declarata fuerit ex diverso capite. —

1. Fingamus casum. Titius et Caia nuptias inter se rite celebrarunt coram parocho et testibus ad normam can. 1094. Huius matrimonii validitas postea impugnatur ex capite impotentiae. Processu matrimomoniali legitime confecto, sententia lata est a tribu-

nali primae instantiae: *constare de matrimonii nullitate ex capite impotentiae.* Vinculi defensor ab hac sententia provocavit ad tribunal superius, iuxta praescriptum can. 1986. Tribunal secundae instantiae confirmavit matrimonii nullitatem, sed ex alio capite, scil. non ob impotentiam antecedentem et perpetuam, cum ex actis sufficienter ea probata non emerserit, at *ex capite vis et metus.* Idem dicas de quocumque alio capite.

2. Ratio et momentum eiusmodi investigationis ex dicendis patebit.

Secundum praescriptum can. 1902 duplex sententia *conformis* constituit *rem iudicatam.* Ante Codicem tres sententiae conformes requirebantur ad rem iudicatam habendam. Haec autem tantam vim atque efficaciam obtinet, ut praesumptione iuris et de iure habeatur tamquam vera et iusta nec directe impugnari possit.

Sed numquam transeunt in rem iudicatam causae de statu personarum, uti sunt ex. gr. causae de vinculo coniugali. Ita iure antiquo (c. 7, X, de sententia et re iudicata, II, 27; BENED. XIV, Const. « *Dei miseratione* », 3 nov. 1741, § 11); ita quoque iure novo (can. 1903, 1989).

BENEDICTUS XIV, Const. « *Dei miseratione* », 3 nov. 1741, normam procedendi in causis matrimonialibus accurate praefinivit. Inter alia, haec statuit: « Si secunda instantia alteri *conformis* fuerit, hoc est, si in secunda aeque ac in prima nullum ac irritum matrimonium iudicatum fuerit, et ab ea pars vel defensor pro sua conscientia non crediderit appellandum, vel appellationem interpositam prosequendam minime censuerit; *in potestate et arbitrio coniugum sit novas nuptias contrahere;* dummodo alicui eorum, ob aliquod impedimentum vel legitimam causam, id vetitum non sit. Potestas tamen *post alteram sententiam conformem, ut* supra, coniugibus facta intelligatur et locum habeat,

salvo semper et firmo remanente iure seu privilegio causarum matrimonialium, quae ob cuiuscumque temporis lapsum *numquam transeunt in rem iudicatam;* sed si nova res, quae non deducta vel ignorata fuerit, detegatur, resumi possunt, et rursus in iudicialem controversiam revocari ».

Quae omnia nunc in Codice confirmata reperiuntur. Sane can. 1903 statuit: « Numquam transeunt in rem iudicatam causae de statu personarum; sed *ex duplici sententia conformi* in his causis consequitur, ut ulterior propositio non debeat admitti, nisi novis prolatis iisdemque gravibus argumentis vel documentis ».

Can. 1987 decernit: « *Post secundam sententiam, quae matrimonii nullitatem confirmaverit,* si defensor vinculi in gradu appellationis pro sua conscientia non crediderit esse appellandum, *ius coniugibus est,* decem diebus a sententiae denuntiatione elapsis, *novas nuptias contrahendi* ».

Demum can. 1989 ait: « Cum sententiae in causis matrimonialibus numquam transeant in rem iudicatam, causae ipsae, si nova argumenta praesto sint, retractari semper poterunt, firmo praescripto can. 1903 ».

3. Igitur, post duas sententias *conformes* de nullitate matrimonii, coniuges, si ulterior appellatio interposita non fuerit, possunt, elapsis decem diebus a denuntiatione sententiae, *novum* matrimonium contrahere.

Porro quandonam altera sententia alteri *conformis* erit dicenda? Satisne est, ut utraque sententia pronuntiet matrimonium esse nullum? An requiritur, praeterea, ut nullum irritumque declaretur *ob idem motivum*, v. g. ex capite impotentiae, vel ex capite vis et metus, vel ex capite appositae conditionis contra substantiam?

Res, ut quisque facile perspicit, est magni profecto momenti.

4. Nobis certum videtur, non haberi requisitam *conformitatem*, si, ut in casu proposito, alia sententia declaret nullum matrimonium ex uno capite, alia irritum pronuntiet ex alio capite.

Rationes praecipuae, quibus permovemur ad id affirmandum, sunt istae:

1⁰ Quando fertur sententia de matrimonii nullitate, non dicitur simpliciter et in abstracto: *constat de nullitate matrimonii,* vel: *matrimonium est nullum.*

Sententia, contra, respicit necessario *certum* ac *determinatum* matrimonium, cuius valor impugnatur ob *certas* et *peculiares causas* mature accurateque perpensas. Hinc dicitur: constat de matrimonii nullitate in casu *ex capite impotentiae;* vel simpliciter: constat de nullitate matrimonii *in casu;* vel proposito dubio: an constet de matrimonii nullitate *in casu,* respondetur: *affirmative* (1).

Igitur eo ipso quod nullum declaratur matrimonium *in casu,* sententia fertur de hoc aut illo matrimonio determinato, ut palam est, propter hoc aut illud caput sive motivum accusato. Inde sequitur, sententiam praescindere non posse a capite seu motivo nullitatis, sed necessario illud secum ferre in eoque totam niti, adeo ut eiusdem valor ex asserto nullitatis capite re vera existente ac iuridice probato dependeat plane. Quare motivum seu caput quod allegatur ad impugnandam validitatem matrimonii, v. g. impotentia antecedens et perpetua, vis et metus, consanguinitas etc., est causa nullitatis coniugii ac propterea fundamentum ipsius sententiae. Proinde altera alteri sententiae eatenus *conformis* erit, quatenus eadem fuerit causa nullitatis idemque sententiae fundamentum.

Porro si prima sententia nullum declaravit matrimonium, ex. gr. *ex capite impotentiae,* altera irritum

(1) Cfr. *Acta Apost. Sedis,* II, pagg. 170, 212, 298, 348, 524, 585, etc.

pronuntiet *ex capite vis et metus,* procul dubio causa nullitatis diversa est atque distinctum omnino utriusque sententiae fundamentum. Igitur sententiae in tali casu conformes dici nequeunt.

2⁰ Sententia, ut rite feratur ad normam iuris, debet congruam responsionem exhibere « *singulis dubiis* seu *controversiae articulis* » (can. 1873, § 1, 1⁰).

Dubia autem seu articuli controversiae ex ipso libello litis introductorio desumuntur, sive ex litis contestatione qua obiectum iudicii constituitur (cfr can. 1726 et 1728). Haec litis contestatio, ut docet claris. SCHMALZGRUEBER, « fundamentum et principium iudicii dicitur, nam ab hac proprie iudicium incipit... est basis, fundamentum, et ut DD. loquuntur, quasi lapis angularis iudicii, quo deficiente nihil superaedificari potest » (1).

Articuli vero, ut ait idem SCHMALZGRUEBER, « appellantur eae positiones, quas reus negat, et consequenter actor probare debet » (2).

Rem specie facti declaremus. V. g. unus e coniugibus vel ambo coniuges mutuo consensu matrimonium accusant ex capite impotentiae, seu contendunt matrimonium fuisse nulliter initum ob dirimens impotentiae impedimentum. Defensor vinculi (sive solus, sive una cum alia parte conventa) valorem matrimonii iam celebrati tuetur. Onus probandi incumbit actori, qui nempe existentiam asserti impedimenti seu impotentiae certis atque indubitatis argumentis evincere debet, ut inde comprobata maneat ipsius matrimonii nullitas.

Igitur *motivum* nullitatis ab actore assertum constituit obiectum iudicii, ita quidem ut tota discussio atque integer processus versetur circa existentiam, necne, praedicti motivi. Quo rite vindicato, sententia de nullitate matrimonii est veluti *conclusio* sponte ac

(1) Lib. II, tit. 5, nn. 1 et 4.
(2) Loc. cit. n. 5. Cfr. etiam PIRHING, lib. II, tit. 5, n. 13.

necessario manans ex impedimenti dirimentis existentia plene comprobata. Hinc patet, an et quaenam existat relatio inter motivum seu caput assertum et nullitatem matrimonii ipsamque sententiam. Motivum est *causa,* nullitas atque ipsa sententia da eadem habenda est tamquam *effectus.*

Si forte sententia congruam responsionem non exhibeat singulis articulis, procul dubio rite non fertur, cum obstet praescriptum can. 1873, § 1, 1^0, imo ipsa rei natura. Si autem articuli unius sententiae sint diversi ab iis qui referuntur in alia sententia, istae duae sententiae profecto discrepant inter se, nimirum conformes nequaquam dici possunt.

Nam sententia, ut ait SCHMALZGRUEBER (1), « debet esse conformis libello seu petitioni in tribus: *in re,* id est, ut iudex de alia re non pronuntiet, quam quae petita est: *in causa petendi,* ut iudex aliam causam non proferat: *in actione,* ut eam rationem sequatur, quam actor instituit ».

Idem egregius Auctor docet, ius appellandi non competere ei « qui eadem causa et *super eodem articulo* tres (hodie, ut supra dictum fuit, duae sufficiunt) *conformes* sententiae contra se tulit..... Dixi *in eadem causa* et *super eodem articulo.....* » (2).

Conformitas igitur sententiarum attendenda est non solum in ordine ad eandem causam, ex. gr. de nullitate matrimonii, verum etiam *quoad eundem articulum,* ac propterea *quoad idem motivum* seu *caput,* ex quo matrimonii validitas impugnatur.

3^0 Quae doctrina confirmatur etiam praescripto can. 1873, § 1, 3^0, quo id statuitur: « Sententia debet.... continere rationes seu *motiva* quae dicuntur, tam in facto quam in iure, quibus dispositiva senten-

(1) Lib. II, tit. 5, n. 31.

(2) Lib. II, tit. 28, n. 5. Cfr. WERNZ-VIDAL, *De processibus,* n. 592; ROBERTI, *De processibus,* II, n. 456.

tiae pars innititur ». Hoc autem praescriptum urget sub poena nullitatis ipsius sententiae, ut expresse edicitur in can. 1894, 2⁰.

Porro si lata sententia continere debet rationes seu motiva decidendi, et quidem tam rigorose ut secus nullitatis vitio laboret, a fortiori eadem sententia continere debet ipsum motivum seu caput, v. g. impedimentum impotentiae vel consanguinitatis aut affinitatis etc., propter quod matrimonium nullum et irritum declaratur. Si vero duae sententiae, quae decidendi rationes omnino diversas referunt, conformes dici nequeunt, a paritate, quin dicamus a fortiori, conformes minime sunt, si alia v. g. ex capite impotentiae, alia ex capite vis et metus irritum matrimonium pronuntiet.

4⁰ BENEDICTUS XIV in citata Const. « *Dei miseratione* », ex qua Codicis canones causas matrimoniales respicientes deprompti sunt, statuit, ut nullo in casu « matrimonii vinculum dissolutum censeatur, nisi duo iudicata vel resolutiones aut sententiae *penitus similes*, et conformes.... emanaverint ».

Igitur sententiae, quae nullum atque irritum declarant matrimonium, debent esse, iuxta BENEDICTUM XIV, « *penitus similes* et conformes ». Quod autem laudatus Pontifex expresse loquatur de duabus sententiis, quae ambae latae sint *pro nullitate matrimonii*, ex textu et contextu evidentissimum est.

Unde si, praeter declarationem nullitatis matrimonii in utraque sententia contentam, requiritur aliquid amplius, id manifesto significat, ex mente doctissimi Pontificis satis non esse, ut pars dispositiva utriusque sententiae — quae irritum pronuntiat matrimonium — eadem sit, sed praeterea exigi, ut in ceteris quoque sententiae latae « *penitus similes* et conformes » sint.

Haec sane verba « *penitus similes* » profecto referri nequeunt ad partem dispositivam sententiarum, quia nedum *similis*, verum *identica* sit oportet utrius-

que sententiae pars dispositiva. Quare ea verba, si non referuntur nec referri valent ad partem dispositivam sententiae, necessario ad alia referenda sunt, imprimis quidem et praecipue ad motivum seu caput, propter quod irritum declaratum fuit matrimonium.

Neminem vero latet, praefatam BENEDICTI XIV Constitutionem etiam hodie attendendam esse, ad normam can. 6, 2⁰, quia « canones qui ius vetus ex integro referunt, ex veteris iuris auctoritate... sunt aestimandi ».

5⁰ Quae hucusque diximus, perspicue confirmantur ex mente legislatoris seu ex fine legis probe spectato. Nam, ut scite animadvertit PIRHING, « prima (regula) est, in interpretatione legum non tam verba spectanda sunt, quam mens et voluntas seu intentio legislatoris, quae est veluti anima legis, a qua haec omnem vim obligandi habet..... Colligitur autem ea mens et voluntas tum ex materia legis, tum ex circumstantiis, praecipue vero ex fine et causa sive ratione motiva, ob quam lex fertur » (1). Cur, duplici lata sententia conformi de nullitate matrimonii, ulterior propositio causae non admittitur, nisi novis prolatis iisdemque gravibus argumentis vel documentis (can. 1903 et 1989)?

Ratio manifesta. Iure praesumitur, causam matrimonialem, post duas sententias conformes, fuisse mature serioque examinatam et discussam ac definitam, ita ut inutilis ac fere temeraria videatur ulterior propositio eiusdem causae. Porro si tribunal primae instantiae declaravit matrimonium esse nullum ex uno capite, v. g. ob impotentiam, tribunal contra secundae instantiae illud irritum edixit ex alio capite, v. g. propter metum gravem iniuste incussum, iudices vel primae vel secundae instantiae procul dubio errarunt circa

(1) Lib. I, tit. 2, n. 104.

motivum seu caput nullitatis, adeo ut causa matrimonialis in tali casu minus accurate examinata ac definita a tribunali vel primi vel secundi gradus dicenda sit. Proinde, ex ipsa rei natura, tunc deest ea praesumptio de qua supra.

Igitur concludendum: duae sententiae de nullitate matrimonii *conformes* ad normam can. 1903 et 1987 dicendae non sunt, si nullitas eiusdem matrimonii pronuntiata fuerit ex diverso capite.

II.

Quomodo intelligenda sint verba: « cum iam omnia sunt parata ad nuptias » *can. 1045, § 1.*

1. Nonnulli censent haec verba non significare *conditionem* proprie dictam, sed solum circumstantiam facti seu peculiaria adiuncta, in quibus verificari solet casus gravis et urgentis necessitatis.

Ad rem MONITORE ECCLESIASTICO: « È ben chiaro che il legislatore, come ha voluto provvedere nel can. 1043-1044 a *tutti* i casi di pericolo di morte, così ha voluto venire incontro, nel can. 1045, a *tutti* i casi di urgenza: altrimenti la legge sarebbe *incompleta, insufficiente e contradittoria. Incompleta* e *insufficiente,* perchè vi sarebbe una classe di matrimoni per i quali la dispensa sarebbe *urgente,* alla quale non si sarebbe provveduto; *contradittoria,* perchè alcuni casi sarebbero insieme urgenti e non urgenti, essendo la dispensa insieme necessaria e impossibile... Non è dunque in alcun modo dubbia la volontà del legislatore: egli ha certamente inteso di provvedere a *tutti* i casi in cui non è più possibile ricorrere a Roma. Fra questi ha preso *per tipo* il famoso *casus perplexus* e ne ha trascritta la formulazione classica... Ma non ha inteso escludere gli altri casi d'urgenza, tant'è vero hce ha esteso la facoltà a tutti (moralmente) gli im-

pedimenti, anche *pubblici*..... Concludiamo dunque generalmente per la pratica..... che l'Ordinario, in virtù del can. 1045, § 1, può dispensare se, dal momento in cui conosce l'impedimento, al giorno fissato pel matrimonio, non v'è più tempo di ottenere la dispensa da Roma, purchè il matrimonio non possa essere differito a termine utile senza pericolo di grave inconveniente » (1).

Alii putant praedicta verba indicare quidem *condicionem sine qua non*, sed esse late accipienda. V. g. De Smet ait: « Ad hoc autem ut omnia censeantur ad nuptias parata, *sufficit* ut dies fuerit statutus, *aut* invitationes sint missae, *aut* banna coeperint proclamari » (2).

2. Imprimis haec sunt animadvertenda:

1° Praescriptum can. 1045, § 1 est procul dubio *late* interpretandum, quatenus opus non est, ut impedimentum antea omnes latuerit et postea cognoscatur cum iam omnia sunt parata ad nuptias; sed sufficit ut, licet aliis antea innotuerit, ad loci Ordinarii (vel parochi aliorumve) notitiam solum revera perveniat, cum omnia parata sunt ad nuptias. Ita Pontificia Commissio Codicis, 21 mart. 1921 (3).

2° Aliud est quaerere utrum in praefatis adiunctis, de quibus v. g. loquitur De Smet, scil. quando dies matrimonii fuerit iam statutus, vel invitationes missae sint, aut banna coeperint proclamari, Ordinarius valeat dispensare super aliquo impedimento matrimoniali vi can. 1045, § 1, et aliud est quaerere utrum in iis adiunctis verificentur reapse verba: « *cum omnia sunt parata ad nuptias* ».

3° Proinde aliud est dicere, quod in praedictis et similibus circumstantiis Ordinarius valet dispensare

(1) Serie 4., vol. VII, anno 1925, pag, 297 ss.
(2) De Smet, *De sponsalibus et matrimonio*, n. 65, nota 2.
(3) *Acta Apost. Sedis*, XIII pag. 178.

ex praescripto can. 1045, § 1, aliud sane dicere, quod in iis circumstantiis verificetur re vera clausula praefata: « *cum omnia sunt parata ad nuptias* ».

Primum ultro admittimus; num etiam alterum, ex dicendis patebit.

4⁰ Praeterea aliud est asserere, praedicta verba significare conditionem *sine qua non,* adeo ut facultas dispensandi super impedimentis matrimonialibus non competat Ordinariis aliisve, si re vera omnia non sint parata ad nuptias, aliud dicere, ea verba indicare peculiarem conditionem latiore sensu acceptam, quatenus non sit conditio *sine qua non.*

3. Sententia, quae tenet verba can. 1045, § 1: « *cum iam omnia sunt parata ad nuptias* » ita esse interpretanda, ut verificata censeantur, si tantum *vel* dies matrimonii ineundi fuerit statutus, *vel* invitationes sint missae, *vel* banna coeperint proclamari, aut alia eiusmodi circumstantia acciderit, non videtur admittenda. Sane:

1⁰ Obstat verborum sensus obvius et perspicuus. Prima enim regula interpretationis haec est, nimirum ut *verba accipiantur prout sonant.* Notissimum quippe est iuris axioma: « *Verba clara non admittunt interpretationem, neque voluntatis coniecturam* » (1).

Porro verba: « *cum omnia sunt parata ad nuptias* » clara et perspicua sunt, ut cuique legenti vel audienti patet.

Quando v. g. dicitur, *omnia esse parata* ad iter aggrediendum, ad prandium faciendum, ad sacram functionem peragendam, quisque statim intelligit quinam sit huiusmodi verborum sensus.

2⁰ Can. 1045, § 1, non requirit, ut praecesserit *quaedam* praeparatio, seu ut *quaedam* tantum aut *nonnulla* parata sint, nec eo minus ut *unum* vel *alterum*

(1) Barbosa, *Axiomata iuris frequentiora,* axiom. 222, n. 10 ss.

dumtaxat paratum sit; sed expresse ac diserte postulat, ut « *omnia* » (nota verbum) sint parata. Palam est, *omnia* non esse idem ac *unum* vel *alterum*. Idcirco praedicta interpretatio apertissimis verbis canonis opponitur.

3⁰ Huc spectant notissima iuris axiomata: « *Verba debent intelligi cum effectu....* »; « *Verba debent aliquid operari, et non debent esse superflua* »; « *Verbum quodcumque, etiam minimum, debet operari* »; « *Verbum nullum in dispositione hominis debet esse superabundans et sine ministerio operandi* » (1).

Vox « *omnia* », a legislatore adhibita, cur, admissa illa sententia, vel praetermittitur, vel in sensum omnino restrictivum, nimirum ad significandam *unam* aut *aliam* rem dumtaxat, usurpatur? Quonam iure id fieri possit, percipere non valemus.

4⁰ In relatis canonis verbis tria expresse indicantur: *a) matrimonium* celebrandum; *b) res paratae* ad illud; *c)* et quidem *omnes* res paratae, scil. « *cum omnia sunt parata* ».

Porro quis dicet, *omnia* esse parata ad prandium, tantum si dies et hora eiusdem praefinita fuerint? Quis dicet, *omnia* esse parata ad iter aggrediendum, si dies dumtaxat discessus statutus fuerit? Quis iterum dicet, *omnia* esse parata ad Missae celebrationem, si presbyter deliberaverit se tali die, v. g. post mensem, esse Sacrum facturum? Et sic deinceps.

Haec applicentur casui nostro. Interpretatio, qua verba « cum *omnia* sunt parata ad nuptias » intelliguntur de *una* tantum aut *alia* re, clarissimis et expressis canonis verbis atque communi hominum loquendi usui manifeste adversatur.

5⁰ Circumstantia quod « dies fuerit statutus »

---

(1) Barbosa, *Axiomata iuris usufrequentiora*, axiom. 222, n. 10 ss.; Mascardus, *Conclusiones probationum* etc., concl. 595.

vix non semper, explicite aut implicite, verificatur, quando petitur dispensatio in vim can. 1045. Nam eatenus ea concedi potest, quatenus matrimonium nequeat differri usque dum a S. Sede dispensatio obtineatur. Quae temporis supputatio necessario supponit diem matrimonii ineundi iam praefinitum; secus non verificatur casus *urgens*.

Si vero antea dies statutus non fuerit, nihil prohibet quominus praefiniatur *hic et nunc* ex superveniente aliqua gravi causa urgenti; quo etiam in casu, cum agitur de dispensatione petenda et concedenda, illa circumstantia iam verificata existit.

Quare, admissa ea sententia, relata verba can. 1045, § 1 clausulam inutilem omnino aut fere supervacaneam exprimerent, posita ex verbis sequentibus eiusdem canonis existentia gravis et urgentis necessitatis.

6⁰ Circumstantia quod invitationes sint factae necne, quod dies talis vel talis fuerit a nupturientibus eorumve familiis expresse statutus vel non, *legislatoris nihil interesse videtur,* dummodo *a)* agatur de matrimonio celebrando, et *b)* hoc matrimonium nequeat differri, sine periculo gravis damni, usque dum obtineatur dispensatio a S. Sede. *Haec*, non illa, *interesse unice videntur legislatoris*, eius mente perspecta et fine totius legis probe considerato.

7⁰ Verba Can. 1045, § 1: « *cum iam omnia sunt parata ad nuptias* » passim occurrunt apud veteres theologos et canonistas (1).

Porro, iuxta omnes Doctores, ea verba *a)* respiciunt aut *immediatam* omnino aut *fere immediatam* matrimonii celebrationem; *b)* referuntur aut unice aut praesertim ad ea quae in ordine ad matrimonium pa-

(1) Sanchez, *De matrimonio,* lib. II, disp. 40, n. 7; Gonzales, *Comment. perpetua,* etc. lib. IV, tit. 14, cap. 6, n. 2; Schmalzgrueber, lib. IV, tit. 16, n. 84; S. Alph., lib. VI, n. 1122; Gasparri, *De matrimonio,* I, n. 409, etc.

rari debent ex praescripto Ecclesiae; *c)* supponunt re vera *omnia,* saltem moraliter, esse iam parata.

Proinde, ad normam can. 6, 2°, nonne illa verba aestimanda sunt « ex veteris iuris auctoritate, atque ideo ex receptis apud probatos auctores interpretationibus » ?

4. Omnibus mature perpensis, nostra sententia haec est :

1° Verba can. 1045, § 1 : « *cum iam omnia sunt parata ad nuptias* », non exprimunt conditionem *sine qua non.*

2° Praescriptum can. 1045 ita est intelligendum, ut respiciat omnes casus *gravis* et *urgentis necessitatis,* qui occurrere possunt *extra mortis periculum.* Nam sapientissimus optimusque Legislator provide consulere voluit in Codice omnibus et singulis casibus vere et urgentis necessitatis. Hoc in genere atque universim traditur in can. 81 ; in specie quoad irregularites in can. 990, § 2, quoad absolutionem a peccatis et censuris in can. 882, 2252 et 2254.

Idem dicas de matrimonio. In can. 1043 consideratur gravis et urgens necessitas, quae habetur *in periculo mortis ;* in can. 1045, attenditur gravis et urgens necessitas *extra periculum mortis.*

3° Ut supra diximus, referentes verba PIRHING (I, 4, 5°), in lege interpretanda imprimis ac necessario *mens* et *voluntas* legislatoris spectari debet. Porro ex textu et contextu Codicis evidenter patet, R. Pontificem pro sua sapientia et benignitate consulere voluisse conscientiae et necessitati fidelium, praesertim ad removendum scandalum, infamiam aliudve grave damnum. Unde si Ordinarius, urgente gravi causa imo interdum gravissima, non posset dispensare in vim can. 1045, § 1, cum omnia non sunt parata ad nuptias, legislatio de re matrimoniali valde imperfecta dicenda foret, eo ipso quod pluribus casibus urgentis

necessitatis non esset provisum. Sed illud excludendum est *a priori*, ne manifesta iniuria legislatori irrogetur. Ergo.

4⁰ Si praedicta verba accipienda essent tamquam condicio *sine qua non*, sed lato aut latiore aut latissimo sensu, iuxta sententiam supra expositam, sequeretur hoc maximum inconveniens, nimirum quod *valor* matrimoniorum penderet ex clausula, quae ex ipsa lege admitteret *latam* vel *latiorem* vel *latissimam* interpretationem. Quod inconveniens iuridice omnino excludendum est.

5⁰ Verba « *cum omnia sunt parata ad nuptias* », ut supra animadversum est, passim occurrunt apud antiquos theologos et canonistas, qui ea accipiunt ut exprimentia circumstantiam peculiarem facti, *exempli gratia* relatam, non vero tamquam conditionem *sine qua non.*

S. ALPHONSUS (l. c.) censet Episcopum posse dispensare super impedimento dirimente, « dummodo vera urgeat necessitas, **puta** si alias immineat periculum mortis, *vel* si matrimonium sit necessarium ad legitimandas proles.... *vel* si mulier.... *parata esset nuptias tali die contrahere....* ».

Item SCHMALZGRUEBER: « Ut tamen tali casu dispenset rite Episcopus, requiritur: 1. ut sit maxima et urgentissima necessitas, qualis **ex. gr.** foret casus, quo aliquis morti proximus ad legitimandas proles cum earum matre vellet contrahere matrimonium, et id propter intercedens impedimentum dirimens occultum sine dispensatione non posset: **vel** quando ante contractum nuptialem, et *omnibus ad hunc paratis,* sponsorum alter in confessione sacramentali detegit impedimentum dirimens occultum.... » (1).

Pariter SANCHEZ: « Et ausim dicere.... posse Episcopum dispensare aliquando in impedimento matrimonium dirimenti, antequam matrimonium contrahatur,

(1) Lib. IV, tit. 16, n. 84.

quando urgentissima necessitas id postularet. *Exemplum sit:* accedit mulier mane fassura, et reperitur habens impedimentum dirimens.... et *sunt omnia iam parata ad nuptias vespere celebrandas....* » (1).

Gonzales docet: « Potest Episcopus dispensare ante matrimonium contractum, quando urget gravis necessitas, *ut si quis* morti proximus vellet ducere feminam, quam violavit.... *vel* si iam *sint parata omnia ad nuptias* » (2).

Gasparri ait: « DD. *rei explicandae gratia duo exempla afferunt;* si ageretur de matrimonio in articulo mortis ineundo ad prolem legitimandam, vel reparandum honorem mulieris....; item *si parata essent omnia ad matrimonium....* » (3).

6⁰ Si admittitur haec sententia, ex una parte excluditur ea interpretatio, quae opponitur obvio et perspicuo verborum sensui et communi hominum loquendi usui, ut supra diximus; ex alia parte vero consulitur omnibus et singulis casibus *verae urgentis necessitatis* extra periculum mortis occurrentibus; ac demum legislatio de re matrimoniali accurate perfecteque concinnata apparet.

Si haec sententia non admittitur, sed alia, complura adsunt incommoda memorata eaque gravia, quin dicamus gravissima.

5. Igitur concludendum: verba « *cum iam omnia sunt parata ad nuptias* » can. 1045, § 1, non significant conditionem *sine qua non,* ut fiat locus facultati dispensandi, sed exprimunt peculiarem facti circumstantiam; idcirco non habent sensum *exclusivum,* sed indicativum, quatenus indicant peculiaria adiuncta, in quibus verificari solet casus gravis et urgentis necessitatis.

Felix M. Cappello S. I.

(1) *De matrimonio,* lib. II, disp. 40, n. 7.
(2) *Commentaria pepetua* etc., lib. IV, tit. 14, cap. 6, n. 2.
(3) *De matrimonio,* I, n. 409.

Casus de Religiosis

I. Religiosum votorum simplicium, qui in missionibus exteris degebat, ipsa publica potestas certiorem fecit ipsum immunem fore a servitio militari, si ibi per sex annos maneret. Cum hoc sibi ratum et fixum esset, ad vota perpetua a Superioribus admissus est. Verum, post duos annos elapsos, ob casum inopinatum in patriam redire debuit, ibique ilico coactus est mereri stipendia.

Quaeritur iam utrum vota perpetua quae nuncupavit valeant annon; utrum annon vigere pergant.

II. Novicius quidam, tentatione victus, allegato praetextu, domo noviciatus egressus est animo nunquam illuc redeundi. Consilium tamen suum nemini manifestavit. Mox autem facti paenitens domum noviciatus repetivit, ita ut Superiores de mente qua discesserat nullam suspicionem habuerint. Sed dum cum Patre spirituali de rebus conscientiae suae agebat, eidem quae facere meditatus erat revelavit. Inde autem non parum anxius factus est venerabilis religiosus de necessaria noviciatus continuitate. Nonne discessu cum intentione non redeundi annus canonicus interruptus est, ita ut, post reditum, totus repeti debeat?

III. In Constitutionibus Ordinis regularis, cautum est ut Superior maior candidatos ad noviciatum admitteret cum suffragio consultivo sni Consilii. Superior tamen plures admisit sine audito suo Consilio. Quare quaestio mota est utrum receptio ac proin professiones subsecutae validae fuerint an nullae.

PARS ALTERA

MONUMENTA

1. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Litterae Encyclicae 31 dec. 1930

DE MATRIMONIO CHRISTIANO SPECTATIS PRAESENTIBUS FAMILIAE ET SOCIETATIS CONDICIONIBUS, NECESSITATIBUS, ERRORIBUS, VITIIS

(A. A. S., 31 dec. 1930, XXII, 539)

Ad Venerabiles Fratres Patriarchas Primates Archiepiscopos Episcopos aliosque locorum Ordinarios pacem et communionem cum apostolica sede habentes.

PIUS PP. XI

VENERABILES FRATRES
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Matrimonii renovatio per Christum.

Casti connubii quanta sit dignitas, ex eo maxime dignosci potest, Venerabiles Fratres, quod Christus Dominus, Aeterni Patris Filius, carne lapsi hominis assumpta, non solum amantissimo illo consilio, quo universam nostri generis instaurationem peregit, hoc quoque societatis domesticae atque adeo humanae consortionis principium et fundamentum peculiari quadam ratione complecti voluit, sed illud etiam, ad pristinam divinae institutionis integritatem revocatum, ad verum et « magnum » (1) Novae Legis Sacramentum evexit, eiusque propterea disciplinam curamque totam Ecclesiae Sponsae Suae commisit.

Quare tenenda Christi doctrina, et practice exsequenda.

Ex hac tamen matrimonii renovatione ut apud omnes totius orbis et cuiusque temporis gentes exoptati colligantur fructus, hominum mentes in primis debent germana Christi de matri-

(1) *Ephes.*, V, 32.

monio doctrina illuminari; deinde christiani coniuges, interiore Dei gratia infirmas voluntates roborante, omnem suam cogitandi agendique rationem ad purissimam illam Christi legem componant oportet, unde veram sibi ac familiae suae beatitudinem et pacem nanciscantur.

Sed multi eam ignorant vel negant vel conculcant moribus.

At contra, non modo Nos ex hac Apostolica quasi specula circumspicimus, sed vos ipsi, Venerabiles Fratres, et cernitis et una Nobiscum profecto vehementer doletis complures homines, divinum illud instaurationis opus oblitos, tantam christiani coniugii sanctitatem aut penitus ignorare aut impudenter negare aut etiam, falsis novae cuiusdam et perversae admodum morum doctrinae principiis innixos, passim conculcare. Qui quidem perniciosissimi errores pravique mores cum etiam inter fideles induci coepti sint et sensim sine sensu altius in dies sese insinuare contendant, pro Christi in terris Vicarii ac supremi Pastoris et Magistri munere, Nostrum esse duximus Apostolicam attollere vocem, ut oves Nobis commissas a venenatis pascuis deterreamus et, quantum in Nobis est, immunes servemus.

Inde propositum S. Pontificis, qui primo encycl. Leonis XIII confirmat.

Vos igitur, Venerabiles Fratres, et per vos universam Ecclesiam Christi, atque adeo humanum genus universum, de christiani matrimonii natura, dignitate, commodis beneficiisque inde in familiam atque humanam ipsam societatem emanantibus, de erroribus gravissimo huic evangelicae doctrinae capiti contrariis, de vitiis eidem coniugali vitae adversis, de praecipuis denique remediis adhibendis, alloqui statuimus, vestigiis inhaerentes fel. rec. Leonis XIII, decessoris Nostri, cuius de matrimonio christiano Encyclicas Litteras *Arcanum*, (2) ante quinquaginta annos datas, hisce Nostris et Nostras facimus et confirmamus et, dum nonnulla pro aetatis nostrae condicionibus ac necessitatibus paulo fusius exponimus, non modo non obsolevisse sed plenam suam vim retinere declaramus.

Matrimonium divinitus est institutum, ordinatum, et elevatum.

Atque ut ab his ipsis Litteris initium faciamus, quae totae fere sunt in vindicanda divina matrimonii institutione eiusque sacramentali dignitate et perpetua firmitate, primum quidem id maneat immotum et inviolabile fundamentum: Matrimonium non humanitus institutum neque instauratum esse, sed divinitus; non ab hominibus sed ab ipso auctore naturae Deo atque eiusdem naturae restitutore Christo Domino legibus esse communitum, confirmatum, elevatum; quae proinde leges nullis hominum placitis, nulli ne ipsorum quidem coniugum contrario convento obnoxiae esse possint. Haec Sacrarum Litterarum est

(2) Litt. Encycl. *Arcanum divinae sapientiae*, 10 febr. 1880.

doctrina, (3) haec constans atque universa Ecclesiae traditio, haec sollemnis Sacrae Tridentinae Synodi definitio, quae perpetuum indissolubilemque matrimonii nexum eiusdemque unitatem ac firmitatem a Deo auctore manare ipsis Sacrae Scripturae verbis praedicat atque confirmat (4).

Liber consensus partium est valoris condicio, sed subiectus matrimonii legibus et proprietatibus.

At, quamquam matrimonium suapte natura divinitus est institutum, tamen humana quoque voluntas suas in eo partes habet easque nobilissimas; nam singulare quodque matrimonium, prout est coniugalis coniunctio inter hunc virum et hanc mulierem, non oritur nisi ex libero utriusque sponsi consensu: qui quidem liber voluntatis actus, quo utraque pars tradit et acceptat ius coniugii proprium, (5) ad verum matrimonium constituendum tam necessarius est ut nulla humana potestate suppleri valeat. (6) Haec tamen libertas eo tantum spectat ut constet, utrum contrahentes re vera matrimonium inire et cum hac persona inire velint an non; libertati vero hominis matrimonii natura penitus subducitur, ita, ut, si quis semel matrimonium contraxerit, divinis eius legibus et essentialibus proprietatibus subiciatur. Nam Angelicus Doctor de fide et prole disserens, « haec, inquit, in matrimonio ex ipsa pactione coniugali causantur, ita quod si aliquid contrarium his exprimeretur in consensu qui matrimonium facit, non esset verum matrimonium » (7).

Coniugio animi iunguntur, ex quo sacrum et inviolabile vinculum.

Coniugio igitur animi iunguntur et coalescunt, hique prius et arctius quam corpora, nec fluxo sensuum vel animorum affectu, sed deliberato et firmo voluntatum decreto: et ex hac animorum coagmentatione, Deo sic statuente, sacrum et inviolabile vinculum exoritur.

Matrimonium, quantum differat a pecudum coniunctionibus et a vagis hominum coniugiis.

Quae contractus huius natura propria omnino et singularis, eum toto caelo diversum facit cum a coniunctionibus pecudum solo naturae caeco instinctu factis, in quibus nulla ratio est nec voluntas deliberata, tum ab iis quoque hominum vagis coniugiis, quae ab omni vero honestoque voluntatum vinculo remota sunt et quovis domestici convictus iure destituta.

Dum turpia coniugia merito coercet, publica potestas ius coniugii adimere aut circumscribere homini nequit.

Exinde iam constat legitimam quidem auctoritatem iure pollere atque adeo cogi officio coercendi, impediendi, puniendi turpia coniugia, quae rationi ac naturae adversantur; sed cum de re agatur ipsam hominis naturam consequente, non minus

(3) *Gen.* I, 27-28: II, 22-23; MATTH., XIX, 3 sqq.; *Ephes.*, V, 23 sqq.
(4) *Conc. Trident.*, sess. XXIV.
(5) Cfr. *Cod. Iur. Can.*. c. 1081, par. 2.
(6) Cfr. *Cod. Iur. Can.*, c. 1081, par. 1.
(7) S. THOM. AQUIN., *Summa theolog.*, p. III, Supplem., q. XLIX, art. 3.

certo constat id quod fel. rec. Leo XIII decessor Noster palam monuit: (8) « In deligendo genere vitae non est dubium, quin in potestate sit arbitrioque singulorum alterutrum malle : aut Iesu Christi sectari de virginitate consilium, aut maritali se vinculo obligare. Ius coniugii naturale et primigenum homini adimere, causamve nuptiarum praecipuam, Dei auctoritate initio constitutam, quoquo modo circumscribere lex hominum nulla potest : *Crescite et multiplicamini* » (9).

Quomodo matrimonium sit ex divina et humana voluntate.

Itaque germani connubii sacrum consortium divina simul et humana voluntate constituitur : ex Deo sunt ipsa matrimonii institutio, fines, leges, bona ; Deo autem dante atque adiuvante, ex hominibus est, per generosam quidem propriae personae pro toto vitae tempore factam alteri traditionem, particulare quodlibet matrimonium cum officiis ac bonis a Deo statutis coniunctum.

I.

I. Matrimonii bona.

Ex S. Augustino, proles, fides, sacramentum.

Quae vero quantaque sint haec veri matrimonii bona divinitus data dum exponere aggredimur, Venerabiles Fratres, illius Nobis praeclarissimi Ecclesiae Doctoris verba occurrunt, quem non ita pridem, Nostris Encyclicis Litteris *Ad salutem* pleno ab eius obitu saeculo XV datis, (10) celebravimus : « Haec omnia, — inquit S. Augustinus, — bona sunt, propter quae nuptiae bonae sunt : *proles, fides, sacramentum* » (11). Quae tria capita qua ratione luculentissimam totius de christiano connubio doctrinae summam continere iure dicantur, ipse Sanctus Doctor diserte declarat, cum ait : « *In fide* attenditur ne praeter vinculum coniugale cum altero vel altera concumbatur ; *in prole*, ut amanter suscipiatur, benigne nutriatur, religiose educetur ; *in sacramento* autem, ut coniugium non separetur, et dimissus aut dimissa, nec causa prolis, alteri coniungatur. Haec est tamquam regula nuptiarum, qua vel naturae decoratur fecunditas vel incontinentiae regitur pravitas » (12).

1. De Prole. *Esse bonum matrimonii sacris litteris docemur.*

Itaque primum inter matrimonii bona locum tenet proles. Et sane ipse humani generis Creator, qui pro sua benignitate hominibus in vita propaganda administris uti voluit, id docuit

(8) Litt. Encycl. *Rerum Novarum*, 15 Maii 1891.
(9) *Gen.*, I, 28.
(10) Litt. Encycl. *Ad salutem*, 20 Apr. 1930.
(11) S. Augustin., *De bono coniug.*, cap. 24, n. 32.
(12) S. Augustin., *De Gen. ad litt.*, lib. IX, cap. 7, n. 12.

cum in paradiso, matrimonium instituens, protoparentibus et per eos omnibus futuris coniugibus dixit: « Crescite et multiplicamini et replete terram » (13). Quod ipsum Sanctus Augustinus ex Sancti Pauli Apostoli verbis ad Timotheum (14) perbelle eruit, dicens: « Generationis itaque causa fieri nuptias, Apostolus ita testis est: *Volo,* inquit, *iuniores nubere.* Et quasi ei diceretur: *Ut quid?,* continuo subiecit: *Filios procreare, matresfamilias esse* » (15).

Quantum sit bonum demonstrant hominis dignitas et finis.

Quantum vero hoc Dei beneficium sit et matrimonii bonum ex hominis dignitate et altissimo fine apparet. Homo enim vel solius rationalis naturae praestantia omnes alias creaturas visibiles superat. Accedit, quod Deus homines generari vult, non ut solum sint et impleant terram, sed multo magis, ut Dei cultores sint, ipsum cognoscant et ament eoque tandem perenniter fruantur in caelis; qui finis ex mirabili hominis per Deum in supernaturalem ordinem elevatione, omne superat quod oculus vidit, et auris audivit et in cor hominis ascendit (16). Ex quo facile apparet proles, omnipotenti Dei virtute, coniugibus cooperantibus, orta, quantum divinae bonitatis sit donum, quam egregius matrimonii fructus.

Christiani parentes ad Ecclesiae subolem pariendam et instituendam praeterea destinantur.

Christiani vero parentes intelligant praeterea se non iam solum ad genus humanum in terra propagandum et conservandum, immo vero, non ad quoslibet veri Dei cultores educandos destinari, sed ad pariendam Ecclesiae Christi subolem, ad cives Sanctorum et domesticos Dei (17) procreandos, ut populus Dei et Salvatoris nostri cultui addictus in dies augeatur. Etsi enim christiani coniuges, quamvis ipsi sanctificati, sanctificationem in prolem transfundere non valent, immo naturalis generatio vitae facta est mortis via, qua originale peccatum transeat in prolem; aliquid tamen quodammodo participant de primaevo illo paradisi coniugio, cum eorum sit propriam subolem Ecclesiae offerre, ut ab illa matre filiorum Dei fecundissima per lavacrum baptismatis ad supernaturalem iustitiam regeneretur, et vivum Christi membrum, immortalis vitae particeps, atque aeternae gloriae, quam omnes toto pectore concupiscimus, heres tandem fiat.

Inde augetur solatium matris ex nata prole.

Quae si perpendat mater vere christiana, intelliget profecto, celsiore quodam et pleno solatii sensu, de se illud Redemptoris

(13) *Gen.*, I, 28.
(14) *I Tim.*, V, 14.
(15) S. August., *De bono coniug.*, cap. 24, n. 32.
(16) Cfr. *I. Cor.*, II, 9.
(17) Cfr. *Ephes.*, II, 19.

Haec ut talentum cum fructu Deo restituendum ab utroque parente excipietur libenter.

nostri dictum esse: « Mulier... cum peperit puerum, iam non meminit pressurae, propter gaudium, quia natus est homo in mundum »; (18) omnibusque materni officii doloribus, curis, oneribus maior effecta, multo iustius et sanctius quam matrona illa romana, Gracchorum mater, florentissima liberorum corona in Domino gloriabitur. Uterque vero coniux hos liberos, prompto gratoque animo e manu Dei susceptos, ut talentum sibi a Deo commissum intuebitur, quod non in suum neque in terrenae tantum reipublicae commodum impendat, sed in die rationis Domino cum fructu restituat.

In matrimonio optime provisum est liberorum educationi, post nativitatem necessariae.

Procreationis autem beneficio bonum prolis haud sane absolvitur, sed alterum accedat oportet, quod debita prolis educatione continetur. Parum profecto generatae proli atque adeo toti generi humano providisset sapientissimus Deus, nisi, quibus potestatem et ius dederat generandi, iisdem ius quoque et officium tribuisset educandi. Neminem enim latere potest prolem, ne in iis quidem quae ad naturalem vitam, multoque minus in iis quae ad vitam supernaturalem pertinent, sibi ipsam sufficere et providere posse, sed aliorum auxilio, institutione, educatione per multos annos indigere. Compertum autem est, natura Deoque iubentibus, hoc educandae prolis ius et officium illorum in primis esse, qui opus naturae generando coeperunt, inchoatumque, imperfectum relinquentes, certae ruinae exponere omnino vetantur. Iamvero huic tam necessariae liberorum educationi optima qua fieri potuit ratione provisum est in matrimonio, in quo, cum parentes insolubili inter se vinculo connectantur, utriusque opera mutuumque auxilium semper praesto est.

Pontifex remittit ad litteras de educatione.

Cum autem de christiana iuventutis educatione alias copiose egerimus, (19) haec omnia nunc iteratis Sancti Augustini verbis complectamur: « In prole (attenditur), ut amanter suscipiatur..., religiose educetur »; (20) quod quidem ipsum in Codice Iuris Canonici quoque nervose edicitur: « Matrimonii finis primarius est procreatio atque educatio prolis » (21).

Honestus facultatis procreandi usus est ipsa naturae lege matrimonio reservatus.

Neque id denique silendum quod, cum tantae dignitatis tantique momenti sit utrumque hoc munus parentibus in bonum prolis commissum, facultatis a Deo ad novam vitam procreandam datae honestus quilibet usus, ipso Creatore ipsaque na-

---

(18) Io., XVI, 21.
(19) Litt. Encycl. *Divini illius Magistri*, d. 31 Dec. 1929.
(20) S. Augustin., *De Gen. ad litt.*, lib. IX, cap. 7, n. 12.
(21) *Cod. Iur. Can.*, c. 1013, par. 1.

turae lege iubentibus, solius matrimonii ius est ac privilegium et intra sacros connubii limites est omnino continendus.

2. De Fide. Est mutua fidelitas qua soli coniugi redditur opus coniugale, idque honestum.

Alterum matrimonii bonum, quod diximus ab Augustino commemoratum, est bonum Fidei, quae est mutua coniugum in contractu coniugali implendo fidelitas, ut quod ex hoc contractu divina lege sancito alteri coniugi unice debetur, id neque ei denegetur neque cuivis permittatur; neque ipsi coniugi concedatur quod, utpote divinis iuribus ac legibus contrarium et a fide coniugali maxime alienum, concedi nunquam potest.

Fides postulat unitatem a Christo perfecte restitutam

Quapropter haec fides in primis postulat absolutam coniugii unitatem, quam in protoparentum matrimonio Creator ipse praestituit, cum illud noluerit esse nisi inter unum virum et mulierem unam. Et quamquam deinde hanc primaevam legem supremus Legislator Deus ad tempus aliquantum relaxavit, nullum tamen dubium est quin illam pristinam perfectamque unitatem ex integro restituerit omnemque dispensationem abrogaverit Evangelica Lex, et Christi verba et constans Ecclesiae sive docendi sive agendi modus palam ostendunt. Iure igitur Sacra Tridentina Synodus sollemniter professa est: « Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari et coniungi Christus Dominus apertius docuit, cum... dixit: *Itaque iam non sunt duo, sed una caro* » (22).

Omnem formam polygamiae et polyandriae, omnemque voluntariam de iis cogitationem damnavit Christus. Inefficax consensus contrarius.

Nec vero tantum damnatam voluit Christus Dominus quamlibet, sive successivam sive simultaneam, quae dicitur, polygamiae et polyandriae formam, externumve aliud quodvis inhonestum opus, sed, ut sacra connubii septa inviolata prorsus custodiantur, ipsas quoque de his omnibus cogitationes voluntarias atque desideria prohibuit: « Ego autem dico vobis quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo » (23). Quae Christi Domini verba ne alterutrius quidem coniugis consensu irrita fieri possunt; Dei enim et naturae exhibent legem, quam nulla unquam hominum voluntas infringere aut flectere valet (24).

Castitate nitere debet familiaris coniugum consuetudo.

Quin et mutua inter ipsos coniuges familiaris consuetudo ut bonum fidei debito splendeat nitore, nota castitatis insigniri debet, ita ut coniuges ad Dei naturaeque legis normam sese in omnibus gerant, et sapientissimi sanctissimique Creatoris voluntatem cum magna erga Dei opus reverentia semper sequi studeant.

---

(22) *Conc. Trident.*, sess. XXIV.
(23) MATTH., V, 28.
(24) Cfr. Decr. S. Offici, 2 Mart. 1679, propos. 50.

Coniugalis amor necessarius. Quid contineat, quo ferat.

Haec autem, quae a Sancto Augustino aptissime appellatur *castitatis fides,* et facilior et multo etiam iucundior ac nobilior efflorescet ex altero capite praestantissimo: ex coniugali scilicet amore, qui omnia coniugalis vitae officia pervadit et quemdam tenet in christiano coniugio principatum nobilitatis. « Postulat praeterea matrimonii fides ut vir et uxor singulari quodam sanctoque ac puro amore coniuncti sint; neque ut adulteri inter se ament, sed ut Christus dilexit Ecclesiam; hanc enim regulam Apostolus praescripsit, cum ait: *Viri, diligite uxores vestras sicut et Christus dilexit Ecclesiam;* (25) quam certe immensa illa caritate, non sui commodi gratia, sed Sponsae tantum utilitatem sibi proponens, complexus est » (26). Caritatem igitur dicimus, non carnali tantum citiusque evanescente inclinatione innixam, neque in blandis solum verbis, sed etiam in intimo animi affectu positam atque, - siquidem probatio dilectionis exhibitio est operis, (27) - opere externo comprobatam. Hoc autem opus in domestica societate non modo mutuum auxilium complectitur, verum etiam ad hoc extendatur oportet, immo hoc in primis intendat, ut coniuges inter se iuventur ad interiorem hominem plenius in dies conformandum perficiendumque; ita ut per mutuam vitae consortionem in virtutibus magis magisque in dies proficiant, et praecipue in vera erga Deum proximosque caritate crescant, in qua denique « universa Lex pendet et Prophetae » (28). Scilicet absolutissimum totius sanctitatis exemplar hominibus a Deo propositum, quod est Christus Dominus, omnes cuiuscumque sunt condicionis et quamcumque honestam vitae rationem inierunt, possunt ac debent imitari atque, Deo adiuvante, ad summum quoque christianae perfectionis fastigium, ut complurium Sanctorum exemplis comprobatur, pervenire.

Quonam sensu mutua interior coniugum conformatio, quo pacto dici potest primaria matrimoni causa.

Haec mutua coniugum interior conformatio, hoc assiduum sese invicem perficiendi studium, verissima quadam ratione, ut docet Catechismus Romanus, (29) etiam primaria matrimonii causa et ratio dici potest, si tamen matrimonium non pressius ut institutum ad prolem rite procreandam educandamque, sed latius ut totius vitae communio, consuetudo, societas accipiatur.

Cum caritate sunt alia coniugii iura et officia componenda.

Cum hac eadem caritate reliqua coniugii tam iura quam officia componantur necesse est; ita ut non solum iustitiae lex,

---

(25) *Ephes.,* V, 25; cfr. *Col.,* III, 19.
(26) *Catech., Rom.,* II, cap. VIII, q. 24.
(27) Cfr. S. Greg. M., *Homil. XXX in Evang.,* (Io., XIV, 23-31), n. 1.
(28) Matth, XXII, 40.
(29) Cfr. *Catech. Rom.,* p. II, cap. VIII, q. 13.

sed etiam caritatis norma sit illud Apostoli: « Uxori vir debitum reddat; similiter autem et uxor viro » (30).

Ordo amoris inter coniuges.

Firmata denique huius caritatis vinculo domestica societate, floreat in ea necesse est ille, qui ab Augustino vocatur *ordo amoris*. Qui quidem ordo et viri primatum in uxorem et liberos, et uxoris promptam nec invitam subiectionem obtemperationemque complectitur, quam commendat Apostolus his verbis: « Mulieres viris suis subditae sint sicut Domino; quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae » (31).

Quid inferat, quid excludat inferior locus uxoris.

Haec autem obtemperatio non libertatem negat neque aufert, quae ad mulierem tam pro humanae personae praestantia quam pro nobilissimis uxoris, matris, sociae muneribus pleno iure pertinet; neque obsecundare eam iubet quibuslibet viri optatis, ipsi forte rationi vel uxoris dignitati minus congruentibus; nec denique uxorem aequiparandam docet personis, quae in iure minores dicuntur, quibus ob maturioris iudicii defectum vel rerum humanarum imperitiam liberum suorum iurium exercitium concedi non solet; sed vetat exaggeratam illam licentiam, quae familiae bonum non curat vetat in hoc familiae corpore cor separari a capite, cum maximo totius corporis detrimento et proximo ruinae periculo. Si enim vir est caput, mulier est cor, et sicut ille principatum tenet regiminis, haec amoris principatum sibi ut proprium vindicare potest et debet.

Quo pacto, quantum variare possit.

Haec dein uxoris viro suo obtemperatio, ad gradum et modum quod attinet, varia esse potest pro variis personarum, locorum, temporum condicionibus; immo si vir officio suo defuerit, uxoris est vices eius in dirigenda familia supplere. At ipsam familiae structuram eiusque legem praecipuam, a Deo constitutam et firmatam, evertere aut tangere numquam et nusquam licet.

Allegatur Leo XIII, de hac re.

Persapienter de hoc uxorem inter et virum ordine servando fel. rec. decessor Noster Leo XIII in iis, quas commemoravimus, de christiano coniugio Encyclicis Litteris docet: « Vir est familiae princeps et caput mulieris; quae tamen, quia caro est de carne illius, et os de ossibus eius, subiciatur pareatque viro, in morem non ancillae, sed sociae, ut scilicet oboedientiae nec honestas nec dignitas absit. In eo autem qui praeest, et in hac quae paret, cum imaginem uterque referant alter Christi, altera Ecclesiae, divina caritas esto perpetua moderatrix officii » (32).

---

(30) *I Cor.*, VII, 3.
(31) *Ephes.*, V. 22.23.
(32) Litt. Encycl. *Arcanum*, 10 Febr. 1880.

Summa rerum quae bono fidei comprehenduntur.

Haec sunt igitur, quae bono fidei comprehenduntur: unitas, castitas, caritas, honesta nobilisque oboedientia; quae, quot sunt nomina, tot sunt coniugum atque coniugii emolumenta, quibus pax, dignitas, felicitas matrimonii in tuto collocentur atque promoveantur. Quare mirum profecto non est, hanc fidem inter eximia et matrimonii propria bona semper fuisse numeratam atque habitam.

3. De Sacramento. *Quid sit.*

Attamen tantorum benificiorum summa completur et quasi cumulatur illo christiani coniugii bono, quod Augustini verbo nuncupavimus *sacramentum*, quo denotatur et vinculi indissolubilitas et contractus in efficax gratiae signum per Christum facta elatio atque consecratio.

Firmitatem vinculi urget Christus.

Et primo quidem, indissolubilem foederis nuptialis firmitatem ipse Christus urget dicendo: « Quod Deus coniunxit, homo non separet » (33); et: « Omnis, qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, moechatur: et qui dimissam a viro ducit, moechatur » (34).

In hoc ponit S. Aug. bonum sacramenti.

In hac autem indissolubilitate Sanctus Augustinus hoc quod vocat bonum sacramenti ponit apertis his verbis: « In sacramento autem (attenditur), ut coniugium non separetur, et dimissus aut dimissa, nec causa prolis, alteri coniungatur » (35).

Inviolabilis firmitas ad omnia vera coniugia pertinet, etsi inaequali mensura. Allegatur Pius VI.

Atque haec inviolabilis firmitas, quamquam non eâdem perfectissimâque mensurâ ad singula, ad omnia tamen vera coniugia pertinet: nam illud Domini: *Quod Deus coniunxit, homo non separet*, cum de protoparentum connubio, cuiusvis futuri coniugii prototypo, dictum sit, ad omnia prorsus vera matrimonia spectare necesse est. Quamquam igitur ante Christum illa primaevae legis sublimitas et severitas adeo temperata est, ut Moyses ipsius populi Dei civibus ad duritiam cordis eorum libellum repudii certis de causis dare permiserit; Christus tamen pro sua supremi legislatoris potestate hanc maioris licentiae permissionem revocavit et primaevam in integrum restituit legem per illa verba nunquam oblivioni danda: *Quod Deus coniunxit, homo non separet*. Quare sapientissime fel. rec. Pius VI decessor Noster ad Agriensem Episcopum rescribens: « Quo manifesto patet, inquit, matrimonium vel in ipso statu naturae, ac sane ante multo quam ad proprie dicti Sacramenti dignitatem eveheretur, sic divinitus institutum esse, ut secum afferat perpetuum indissolubilemque nexum, qui proinde nulla civili lege solvi queat. Itaque licet Sacramenti ratio a matrimonio

(33) Matth., XIX, 6.
(34) Luc., XVI, 18.
(35) S. August., *De Gen. ad litt.*, lib. IX c. 7, n. 12.

seiungi valeat, velut inter infideles, adhuc tamen in tali matrimonio, siquidem verum est matrimonium, perstare debet, omninoque perstat perpetuus ille nexus, qui a prima origine divino iure matrimonio ita cohaeret, ut nulli subsit civili potestati. Atque adeo quodcumque matrimonium contrahi dicatur, vel ita contrahitur ut reapse sit verum matrimonium, tumque adiunctum habebit perpetuum illum nexum divino iure omni vero matrimonio cohaerentem; vel contrahi supponitur sine illo perpetuo nexu, tumque matrimonium non est, sed illicita coniunctio divinae legi ex obiecto repugnans; quae proinde nec iniri potest nec retineri » (36).

Rarissimae exceptiones ipsae sunt ex iure divino, cuius Ecclesia est interpres. Nec attingunt ratum et consummatum matrimonium.

Quod si exceptioni, etsi rarissimae, haec firmitas obnoxia videatur, ut in quibusdam coniugiis naturalibus solum inter infideles initis vel, si inter christifideles, ratis illis quidem sed nondum consummatis, ea exceptio non ex hominum voluntate pendet, neque potestatis cuiuslibet mere humanae, sed ex iure divino, cuius una custos atque interpres est Ecclesia Christi. Nulla tamen, neque ullam ob causam, facultas huiusmodi cadere unquam poterit in matrimonium christianum ratum atque consummatum. In eo enim, quemadmodum maritale foedus plene perficitur, ita maxima quoque ex Dei voluntate firmitas atque indissolubilitas, nulla hominum auctoritate relaxanda, elucet.

Intima ratio huius firmitatis est mystica christiani connubii significatio, consummatione perfecta.

Huius autem divinae voluntatis intimam rationem si reverenter investigare velimus, Venerabiles Fratres, facile eam inveniemus in mystica christiani connubii significatione, quae in consummato inter fideles matrimonio plene perfecteque habetur. Teste enim Apostolo, in sua (quam ab initio innuimus) ad Ephesios epistola, (37) christianorum connubium perfectissimam illam refert coniunctionem, quae Christum inter et Ecclesiam intercedit: « Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico, in Christo et in Ecclesia »: quae quidem coniunctio, quamdiu Christus vivet et Ecclesia per ipsum, nulla profecto separatione unquam dissolvi poterit. Quod etiam Sanctus Augustinus diserte docet his verbis: « Hoc enim custoditur in Christo et Ecclesia, ut vivens cum vivente in aeternum nullo divortio separetur. Cuius Sacramenti tanta observatio est in civitate Dei nostri,... hoc est in Ecclesia Christi..., ut cum filiorum procreandorum causa, vel nubant feminae, vel ducantur uxores, nec sterilem coniugem fas sit relinquere ut alia fecunda ducatur. Quod si quisquam fecerit, non lege huius sae-

(36) Pius., VI, *Rescript. ad Episc. Agriens.*, 11 Iul. 1789.
(37) *Ephes.*, V, 32.

culi (ubi, interveniente repudio, sine crimine conceditur cum aliis alia copulare connubia; quod etiam sanctum Moysen Dominus propter duritiam cordis illorum Israelitis permisisse testatur); sed lege Evangelii reus est adulterii, sicut etiam illa si alteri nupserit » (38).

Bona indissolubilitatis.

Quot vero quantaque ex matrimonii indissolubilitate fluant bona, eum fugere non potest qui vel obiter cogitet sive de coniugum prolisque bono sive de humanae societatis salute. Et primum quidem coniuges in hac firmitate certum habent perennitatis signaculum, quod generosa propriae personae traditio et intima suorum animorum consociatio suapte natura tantopere exigit, cum vera caritas finem nesciat (39). Firmum praeterea adstruitur fidae castitatis propugnaculum contra infidelitatis incitamenta, si qua interius exteriusve obiciantur; anxio timori num adversitatis aut senectutis tempore alter coniux sit recessurus, quivis praecluditur aditus eiusque loco quieta statuitur certitudo. Servandae item utriusque coniugis dignitati ac mutuo auxilio praestando quam aptissime providetur, cum per insolubile vinculum perpetuo perseverans coniuges continenter admoneantur se non caducarum rerum causa, nec cupiditati ut inservirent, sed ut altiora et perpetua bona sibi mutuo procurarent, nuptiale iniisse consortium, quod nisi morte solvi non queat. Liberorum quoque tuitioni et educationi, quae ad multos annos produci debet, optime consulitur, cum gravia et diuturna huius officii onera unitis viribus facilius a parentibus ferantur. Neque minora toti humanae consortioni oriuntur bona. Usu enim cognitum habemus matrimoniorum inconcussam firmitatem uberrimum esse honestae vitae morumque integritatis fontem; hoc autem ordine servato, felicitas salusque rei publicae in tuto positae sunt: nam talis est civitas, quales sunt familiae et homines, ex quibus ea constat, ut corpus ex membris. Quapropter, cum de privato coniugum et prolis, tum de publico societatis humanae bono optime merentur, qui inviolabilem matrimonii firmitatem strenue defendunt.

Alterum sacramenti bonum: gratia sacramentalis.

Verum hoc sacramenti bono, praeter indissolubilem firmitatem, multo etiam celsiora emolumenta continentur, per ipsam *Sacramenti* vocem aptissime designata; christianis enim hoc non inane et vacuum est nomen, cum Christus Dominus « Sacramentorum institutor atque perfector », (40) suorum fidelium matrimonium ad verum et proprium Novae Legis Sacramentum

(38) S. Augustin., *De nupt. et concup.*, lib. I, cap. 10
(39) *I Cor.*, XIII, 8.
(40) *Conc. Trident.*, sess. XXIV.

provehendo, illud re vera effecerit peculiaris illius interioris gratiae signum et fontem, qua eius « naturalem illum amorem perficeret, et indissolubilem unitatem confirmaret, coniugesque sanctificaret » (41).

Rationis sacramenti individua cum matrimonio inter baptizatos conexio.

Et quoniam Christus ipsum coniugalem inter fideles validum consensum signum gratiae constituit, ratio Sacramenti cum christiano coniugio tam intime coniungitur, ut nullum inter baptizatos verum matrimonium esse possit, « quin sit eo ipso Sacramentum » (42).

Consensu coniuges fideles sibi gratiam conferunt.

Cum igitur sincero animo fideles talem consensum praestant, aperiunt sibi sacramentalis gratiae thesaurum, ex quo supernaturales vires hauriant ad officia et munera sua fideliter, sancte, perseveranter ad mortem usque adimplenda.

Explicatur gratia sacramentalis.

Hoc enim Sacramentum, in iis qui obicem, ut aiunt, non opponunt, non solum permanens vitae supernaturalis principium, gratiam scilicet sanctificantem, auget, sed etiam peculiaria addit dona, bonos animi motus, gratiae germina, naturae vires augendo ac perficiendo, ut coniuges non ratione tantum intelligere, sed intime sapere firmiterque tenere, efficaciter velle et opere perficere valeant quidquid ad statum coniugalem eiusque fines et officia pertinet; ius denique iis concedit ad actuale gratiae auxilium toties impetrandum, quotiescumque ad munera huius status adimplenda eo indigent.

Fructus sine docilitate exigui; quam uberes cum docilitate.

Attamen, cum divinae providentiae in ordine supernaturali lex sit ut homines ex Sacramentis, quae post adeptum rationis usum recipiant, fructum plenum non colligant, nisi gratiae respondeant, gratia matrimonii magna ex parte talentum inutile, in agro reconditum, manebit, nisi coniuges supernaturales vires exerceant ac recepta gratiae semina colant atque evolvant. Si autem, faciendo quod in se est, ad gratiam se dociles praebeant, sui status onera ferre atque officia implere poterunt eruntque tanto Sacramento roborati et sanctificati et quasi consecrati. Nam, ut Sanctus Augustinus docet, sicut per Baptismum et Ordinem homo deputatur et iuvatur sive ad vitam christiano more degendam sive ad sacerdotale munus gerendum, eorumque sacramentali auxilio nunquam destituitur, eodem fere modo (quamquam non per characterem sacramentalem), fideles, qui semel matrimonii vinculo iuncti fuerint, eius sacramentali adiutorio ac ligamine privari nunquam possunt. Quin immo, ut addit idem Sanctus Doctor, vinculum illud sacrum, etiam adul-

(41) *Conc. Trident.*, sess. XXIV.
(42) *Cod. Iur. Can.*, c. 1012.

teri facti, secum trahunt, quamquam non iam ad gratiae gloriam, sed ad noxam criminis, « sicut apostata anima, velut de coniugio Christi recedens, etiam fide perdita, Sacramentum fidei non amittit, quod lavacro regenerationis accepit » (43).

Hortatio ut coniuges unionem Christi cum Ecclesia imitentur.

Iidem vero coniuges, aureo Sacramenti ligamine non constricti sed ornati, non impediti sed roborati, omnibus viribus ad hoc nitantur, ut suum connubium non solum per Sacramenti vim et significationem, sed etiam per ipsorum mentem ac mores sit semper et maneat viva imago fecundissimae illius unionis Christi cum Ecclesia, quae est venerandum profecto perfectissimae caritatis mysterium.

Quam mirabilis sit matrimonii institutio.

Quae omnia, Venerabiles Fratres, si attento animo et viva fede perpendantur, si eximia haec matrimonii bona, proles, fides, sacramentum, debita luce illustrentur, nemo potest divinam sapientiam et sanctitatem et benignitatem non admirari, quae cum dignitati ac felicitati coniugum, tum humani generis conservationi propagationique, in sola nuptialis foederis casta sacraque consortione procurandae, tam copiose providerit.

II. Matrimonii hodiernus despectus et abiectio.

II.

Quo libentius tantam casti connubii praestantiam perpendimus, Venerabiles Fratres, eo magis Nobis dolendum videtur, quod divinum hoc institutum, nostra potissimum aetate, spretum saepe ac passim abiectum conspicimus.

Apertae impugnationes sanctitatis matrimonii; falsae doctrinae.

Non iam enim occulte neque in tenebris, sed palam, quovis pudoris sensu deposito, qua voce qua scriptis, scaenicis cuiusque generis ludis, fabulis romanensibus, amatoriis ludicrisque narrationibus, cinematographicis quae dicuntur imaginibus, radiophonicis orationibus, omnibus denique recentioris scientiae inventis, matrimonii sanctitas vel conculcatur vel deridetur; divortia, adulteria, turpissima quaeque vitia aut laudibus exolluntur aut saltem iis depinguntur coloribus, ut ab omni culpa et infamia vindicari videantur. Nec desunt libri, quos scientificos praedicare non verentur, sed qui re vera non raro solum quodam scientiae fuco idcirco illiti sunt, quo faciliorem inveniant sese insinuandi viam. Quae autem in iis propugnantur doctrinae, eae venditantur tamquam recentioris ingenii portenta, illius nimirum ingenii, quod, veritatis unice studiosum, praeiudicatas quaslibet veterum opiniones abdicasse

(43) S. Augustr., *De nupt. et concup.*, lib. I, cap. 10

perhibetur, quodque inter has obsoletas opiniones etiam traditam de coniugio christianam doctrinam amandat atque relegat.

Omnibus instillatae.

Et instillantur haec omne genus hominibus, divitibus et egenis, operariis et heris, doctis et indoctis, solutis et connubio ligatis, Dei cultoribus et osoribus, adultis et iuvenibus; his praesertim, utpote faciliori captu praedae, peiores struuntur insidiae.

Non nulli minus extremas partes tenent. Pastor cavere debet ne bonum semen herbis nocentibus opprimatur.

Non omnes quidem novarum huiusmodi doctrinarum fautores ad extrema quaeque indomitae libidinis consectaria devehuntur: sunt qui, medio quasi itinere consistere enisi, in quibusdam tantum divinae naturalisque legis praeceptis aliquid nostris temporibus concedendum putent. Sed hi quoque, plus minusve conscii, emissarii sunt illius inimici nostri, qui semper conatur zizania superseminare in medio tritici (44). Nos igitur, quos Paterfamilias agri sui custodes posuit, quosque sacrosanctum urget officium cavendi ne bonum semen herbis nocentibus opprimatur, Nobismet ipsis a Spiritu Sancto dicta existimamus gravissima, quibus Apostolus Paulus dilectum suum Timotheum hortabatur verba: « Tu vero vigila... Ministerium tuum imple... Praedica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina » (45).

Flagitia denuntianda sunt.

Et quoniam, ut inimici fraudes vitari possint, detegi eas ante necesse est, multumque iuvat eius fallacias incautis denuntiare, quamvis profecto mallemus huiusmodi flagitia nec nominare « sicut decet Sanctos » (46) propter animarum tamen bonum et salutem, ea penitus silere non possumus.

Radix malorum, negata divina matrimonii origo. Falsae doctrinae.

Ut igitur ab horum malorum fontibus incipiamus, praecipua eorum radix in eo est quod matrimonium non ab Auctore naturae institutum neque a Christo Domino in veri Sacramenti dignitatem evectum, sed ab hominibus inventum vocitent. In natura ipsa eiusque legibus alii se nihil matrimonii invenisse asseverant, sed deprehendisse tantum procreandae vitae facultatem ad eamque quoquo pacto satiandam impulsum vehementem; alii tamen initia quaedam ac veluti germina veri connubii in hominis natura inveniri agnoscunt, quatenus, nisi stabili quodam vinculo consocientur homines, dignitati coniugum et naturali prolis propagandae et educandae fini bene provisum non esset. Nihilominus hi quoque docent matrimonium ipsum, quippe quod illa germina excedat, variis concurrentibus causis,

(44) Cf. Matth., XIII, 25.
(45) *II Tim.*, IV, 2-5.
(46) *Ephes.*, V, 3.

sola hominum mente inventum, sola hominum voluntate esse institutum.

Refutantur ac pessima consectaria recitantur.

Quanto opere autem hi omnes errent quamque turpiter ab honestate deflectant, iam ex his constat quae de origine ac natura coniugii, de finibus bonisque in eo insitis Nostris his Litteris exposuimus. Perniciosissima vero haec commenta esse, ex consectariis etiam elucet, quae ipsi illorum defensores inde deducunt: leges, instituta ac mores quibus connubium regatur, cum sola hominum voluntate sint parta, ei soli subesse, ideoque pro humano lubitu et humanarum rerum vicissitudinibus condi, immutari, abrogari et posse et debere; generativam autem vim, quippe quae in ipsa natura nitatur, et sacratiorem esse et latius patere quam matrimonium: exerceri igitur posse tam extra quam intra connubii claustra, etiam neglectis matrimonii finibus, quasi scilicet impudicae mulieris licentia eisdem fere gaudeat iuribus, quibus legitimae uxoris casta maternitas.

Nova genera inventa matrimoniorum ad tempus, ad experimentum, amicalia.

Hisce principiis innixi, quidam eo devenerunt, ut nova effingerent coniunctionum genera, ad praesentes hominum ac temporum rationes, ut opinantur, accommodata, quae totidem novas matrimonii species esse volunt: aliud *ad tempus*, aliud *ad experimèntum*, aliud *amicale* quod plenam matrimonii licentiam omniaque iura sibi vindicat, dempto tamen indissolubili vinculo et prole exclusa, nisi partes suam vitae communionem et consuetudinem in pleni iuris matrimonium deinde converterint.

Velint haec legibus probari vel usibus excusari.

Immo non desunt qui velint et instent ut etiam legibus huiusmodi portenta probentur aut saltem publicis populorum usibus institutisque excusentur; et ne suspicari quidem videntur talia nihil sane habere recentioris *culturae* de qua tantopere gloriantur, sed nefandas esse corruptelas, quae ad barbaros quarumdam ferarum gentium usus etiam cultas nationes procul dubio redigerent.

Studiosa prolis evitatio vitiato actu naturae.

Sed, ut ad singula iam, Venerabiles Fratres, tractanda accedamus, quae singulis matrimonii bonis opponuntur, primum de prole sit sermo, quam multi molestum connubii onus vocare audent, quamque a coniugibus, non per honestam continentiam (etiam in matrimonio, utroque consentiente coniuge, permissam) sed vitiando naturae actum, studiose arcendam praecipiunt. Quam quidem facinorosam licentiam alii sibi vindicant, quod prolis pertaesi solam sine onere voluptatem explere cupiunt, alii quod dicunt se neque continentiam servare, neque ob suas vel matris vel rei familiaris difficultates prolem admittere posse.

Intrinseca istius artis malitia.

At nulla profecto ratio, ne gravissima quidem, efficere potest, ut quod intrinsece est contra naturam, id cum natura congruens et honestum fiat. Cum autem actus coniugii suapte natura proli generandae sit destinatus, qui, in eo exercendo, naturali hac eum vi atque virtute de industria destituunt, contra naturam agunt et turpe quid atque intrinsece inhonestum operantur.

Ipsis s. Litteris damnata ars, teste S. Augustino.

Quare mirum non est, ipsas quoque Sacras Litteras testari Divinam Maiestatem summo prosequi odio hoc nefandum facinus illudque interdum morte puniisse, ut memorat Sanctus Augustinus: « Illicite namque et turpiter etiam cum legitima uxore concumbitur, ubi prolis conceptio devitatur. Quod faciebat Onan, filius Iudae, et occidit illum propter hoc Deus » (47).

Contra quorundam sollemnem praedicationem, S. Pont. promulgat malitiam cuiuslibet usus matrimonii artificiose privati vitae procreandae vi.

Cum igitur quidam, a christiana doctrina iam inde ab initio tradita neque umquam intermissa manifesto recedentes, aliam nuper de hoc agendi modo doctrinam sollemniter praedicandam censuerint, Ecclesia Catholica, cui ipse Deus morum integritatem honestatemque docendam et defendendam commisit, in media ac morum ruina posita, ut nuptialis foederis castimoniam a turpi hac labe immunem servet, in signum legationis suae divinae, altam per os Nostrum extollit vocem atque denuo promulgat: quemlibet matrimonii usum, in quo exercendo, de industria hominum, naturali sua vitae procreandae vi destituatur, Dei et naturae legem infringere, et eos qui tale quid commiserint gravis noxae labe commaculari.

Admonitio Confessariorum de suo officio.

Sacerdotes igitur, qui confessionibus audiendis dant operam, aliosque qui curam animarum habent, pro suprema Nostra auctoritate et omnium animarum salutis cura, admonemus, ne circa gravissimam hanc Dei legem fideles sibi commissos errare sinant, et multo magis, ut ipsi se ab huiusmodi falsis opinionibus immunes custodiant, neve in iis ullo modo conniveant. Si quis vero Confessarius aut animarum Pastor, quod Deus avertat, fideles sibi creditos aut in hos errores ipsemet induxerit, aut saltem sive approbando sive dolose tacendo in iis confirmarit, sciat se Supremo Iudici Deo de muneris proditione severam redditurum esse rationem, sibique dicta existimet Christi verba: « Caeci sunt, et duces caecorum: caecus autem, si caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt » (48).

Rationes allegatae pro malo usu.

Causae vero, ob quas matrimonii malus usus defenditur, non raro, — ut de iis quae turpes sunt taceamus — fictae aut

(47) S. August., *De coniug. adult.*, lib. II, n. 12; cfr. *Gen.* XXXVIII, 8-10; S. Poenitent., 3 April. 3 Iun. 1916.

(48) Matth., XV, 14; S. Offic. 22 Nov. 1922.

exaggeratae proferuntur. Nihilominus pia Mater Ecclesia optime intelligit atque persentit quae de matris sanitate, vitâ periclitantis, dicuntur. Ecquis nisi miserenti animo haec perpendere possit? Quis non summa afficiatur admiratione, si quando matrem cernat vix non certae sese morti, heroica fortitudine, offerentem, ut proli semel conceptae vitam conservet? Quod ipsa fuerit perpessa ut naturae officium plene impleret, id unus Deus ditissimus et miserentissimus retribuere poterit, dabitque profecto mensuram non tantum confertam sed superefluentem (49).

Excusatio coniugis qui mere permittit invitus passive abusum. Ac salva intrinseca actus natura, exerceri potest ab iis qui conscii sunt inefficaciae actus.

Optime etiam novit Sancta Ecclesia, non raro alterum ex coniugibus pati potius quam patrare peccatum, cum ob gravem omnino causam perversionem recti ordinis permittit, quam ipse non vult, eumque ideo sine culpa esse, modo etiam tunc caritatis legem meminerit et alterum a peccando arcere et removere ne negligat. Neque contra naturae ordinem agere ii dicendi sunt coniuges, qui iure suo recta et naturali ratione utuntur, etsi ob naturales sive temporis sive quorundam defectuum causas nova inde vita oriri non possit. Habentur enim tam in ipso matrimonio quam in coniugalis iuris usu etiam secundarii fines, ut sunt mutuum adiutorium mutuusque fovendus amor et concupiscentiae sedatio, quos intendere coniuges minime vetantur, dummodo salva semper sit intrinseca illius actus natura ideoque eius ad primarium finem debita ordinatio.

Pontifex compatitur iis qui egestate laborant.

Vehementer item Nos percellunt illorum coniugum gemitus, qui, dura egestate oppressi, gravissimam in alendis liberis difficultatem patiuntur.

Nulla difficultas excusat peccatum, nec cuipiam lex Dei est impossibilis.

At cavendum omnino est ne funestae externarum rerum conditiones multo funestiori errori occasionem praebeant. Nullae enim exsurgere possunt difficultates quae mandatorum Dei, actus, ex interiore natura sua malos, vetantium, obligationi derogare queant; in omnibus vero rerum adiunctis semper possunt coniuges, gratia Dei roborati, suo munere fideliter fungi et castitatem a turpi hac macula illibatam in coniugio conservare; nam stat fidei christianae veritas, Synodi Tridentinae magisterio expressa: « Nemo temeraria illa et a Patribus sub anathemate prohibita voce uti (debet), Dei praecepta homini iustificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adiuvat ut possis » (50). Eademque

(49) Luc., VI, 38.

(50) *Concil. Trident.*, sess. VI, cap. 11.

doctrina iterum sollemniterque praecepta est ab Ecclesia et confirmata in damnatione haeresis ianseniana, quae contra Dei bonitatem haec blasphemare erat ausa: « Aliqua Dei praecepta hominibus iustis volentibus et conantibus, secundum praesentes, quas habent, vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant » (51).

Facinus attentatae vitae prolis in sinu matris, propter varias causas.

Sed aliud, etiam, Venerabiles Fratres, gravissimum commemorandum est facinus, quo vita prolis, in sinu materno reconditae, attentatur. Id autem permissum volunt alii et matris patrisve beneplacito relictum, alii tamen illicitum dicunt, nisi pergraves accedant causae, quas medicae, socialis, eugenicae *indicationis* nomine appellant. Hi omnes quod ad poenales reipublicae leges attinet, quibus genitae necdum natae prolis peremptio prohibetur, exigunt, ut quam singuli, alii aliam, defendunt *indicationem*, eandem etiam leges publicae agnoscant et ab omni poena liberam declarent. Immo nec desunt qui postulent, ut ad has letiferas sectiones magistratus publici praebeant auxiliatrices manus, id quod, proh dolor!, alicubi quam frequentissime fieri omnibus notum est.

Compatiens matri Pontifex damnat omnem directam necem sive matris sive prolis, reiecta indicatione medica.

Quod vero attinet ad « indicationem medicam et therapeuticam » — ut eorum verbis utamur — iam diximus, Venerabiles Fratres, quantopere Nos misereat matris, cui ex naturae officio gravia imminent sanitatis, immo ipsius vitae pericula: at quae possit umquam causa valere ad ullo modo excusandam directam innocentis necem? De hac enim hoc loco agitur. Sive ea matri infertur sive proli, contra Dei praeceptum est vocemque naturae: « Non occides! » (52). Res enim aeque sacra utriusque vita, cuius opprimendae nulla esse unquam poterit ne publicae quidem auctoritati facultas. Ineptissime autem haec contra innocentes repetitur e iure gladii, quod in solos reos valet; neque ullum viget hic cruentae defensionis ius contra iniustum aggressorem (nam quis innocentem parvulum iniustum aggressorem vocet?); neque ullum adest « extremae necessitatis ius » quod vocant, quodque usque ad innocentis occisionem pervenire possit. In utraque igitur et matris et prolis vita tuenda ac servanda probi expertique medici cum laude enituntur; contra, nobili medicorum nomine et laude indignissimos se ii probarent, quotquot alterutri, per speciem medicandi, vel falsa misericordia moti, ad mortem insidiarentur.

---

(51) Const. Apost. *Cum occasione,* die 31 Maii 1653, prop. 1.

52) *Exod.,* XX, 13; cfr. Decr. S. Offic. 4 Maii 1898, 24 Iulii 1895, 31 Maii 1884.

Confirmatur conclusio ex S. Augustino.

Quae quidem plane severis consonant verbis quibus Episcopus Hipponensis in coniuges depravatos invehitur, qui proli quidem praecavere student, at, si nullo exitu, nefarie eam interimere non verentur: « Aliquando eo usque, inquit, pervenit haec libidinosa crudelitas vel libido crudelis, ut etiam sterilitatis venena procuret, et si nihil valuerit, conceptos fetus aliquo modo intra viscera exstinguat ac fundat, volendo suam prolem prius interire quam vivere, aut si in utero iam vivebat, occidi antequam nasci. Prorsus, si ambo tales sunt, coniuges non sunt: et si ab initio tales fuerunt, non sibi per connubium sed per stuprum potius convenerunt; si autem non ambo sunt tales, audeo dicere: aut illa est quodammodo meretrix mariti, aut ille adulter uxoris » (53).

Indicationis socialis et eugenicae ratio habenda est sed ei non potest per occisionem innocentium provideri.

Quae autem afferuntur pro sociali et eugenica *indicatione*, licitis honestisque modis et intra debitos limites, earum quidem rerum ratio haberi potest et debet; at necessitatibus, quibus eae innituntur, per occisionem innocentium providere velle absonum est praeceptoque divino contrarium, apostolicis etiam verbis promulgato: Non esse facienda mala ut eveniant bona (54).

Legislator vitam innocentium tueri debet, non potest occisionem approbare.

Iis denique, qui apud nationes principatum tenent feruntve leges, oblivioni dare non licet auctoritatis publicae esse, congruis legibus poenisque, innocentium vitam defendere, idque eo magis, quo minus ii, quorum vita periclitatur et impugnatur, se ipsi defendere valent, inter quos primum sane locum tenent infantes in visceribus maternis abditi. Quod si publici magistratus parvulos illos non solum non tueantur, sed, legibus suisque ordinationibus, permittant atque adeo tradant medicorum aliorumve manibus occidendos, meminerint Deum iudicem esse et vindicem sanguinis innocentis, qui de terra clamat ad caelum (55).

Reprobandum vult S. Pontifex eugenismum istum qui, ne proles vitiosa nascatur, vult prohibere matrimonium vel naturali facultate opera medicorum quosdam privari.

Reprobetur denique oportet perniciosus ille usus, qui proxime quidem naturale hominis ius ad matrimonium ineundum spectat, sed ad prolis quoque bonum vera quadam ratione pertinet. Sunt enim qui, de finibus *eugenicis* nimium solliciti, non solum salubria quaedam dent consilia ad futurae prolis valetudinem ac robur tutius procurandum — quod rectae rationi utique contrarium non est — sed cuilibet alii etiam altioris ordinis fini *eugenicum* anteponant, et coniugio auctoritate publica prohiberi velint eos omnes ex quibus, secundum disciplinae suae normas et coniecturas, propter hereditariam trans-

---

(53) S. Augustin., *De nupt. et concupisc.* cap. XV.
(54) Cfr. *Rom.*, III 8.
(55) Cfr. *Gen.*, IV. 10.

missionem, mancam vitiosamque prolem generatum iri censent, etiamsi iidem sint ad matrimonium ineundum per se apti. Quin immo naturali illa facultate, ex lege, eos, vel invitos medicorum opera privari volunt; neque id ad cruentam sceleris commissi poenam publica auctoritate repetendam, vel ad futura reorum crimina praecavenda, sed contra omne ius et fas ea magistratibus civilibus arrogata facultate, quam numquam habuerunt nec legitime habere possunt.

Matrimonium dissuaderi potest; contrahentes graviter culpari non possunt.

Quicumque ita agunt, perperam dant oblivioni sanctiorem esse familiam Statu, hominesque in primis non terrae et tempori, sed caelo et aeternitati generari. Et fas profecto non est homines, matrimonii ceteroqui capaces, quos, adhibita etiam omni cura et diligentia, nonnisi mancam genituros esse prolem conicitur, ob eam causam gravi culpa onerare si coniugium contrahant, quamquam saepe matrimonium iis dissuadendum est.

Magistratus directa potestate in membra civium carent.

Publici vero magistratus in subditorum membra directam potestatem habent nullam; ipsam igitur corporis integritatem, ubi nulla intercesserit culpa nullaque adsit cruentae poenae causa, directo laedere et attingere nec *eugenicis* nec ullis aliis de causis possunt unquam. Idem docet Sanctus Thomas Aquinas, cum, inquirens num humani iudices ad futura mala praecavenda hominem possint malo quodam plectere, id quidem concedit quod ad quaedam alia mala, sed iure meritoque negat quod ad corporis laesionem: « Numquam secundum humanum iudicium aliquis debet puniri, sine culpa, poena flagelli, ut occidatur, vel mutiletur vel verberetur » (56).

Ipsi privati carent pleno dominio in sui corporis membra.

Ceterum, quod ipsi privati homines in sui corporis membra dominatum alium non habeant quam qui ad eorum naturales fines pertineat, nec possint ea destruere aut mutilare aut alia via ad naturales functiones se ineptos reddere, nisi quando bono totius corporis aliter provideri nequeat, id christiana doctrina statuit atque ex ipso humanae rationis lumine omnino constat.

Quod in prolem peccatur, peccatur in fidem, sicut etiam per actus adversantes domesticis virtutibus.

Iam ut ad alterum caput errorum, quod fidem coniugii respicit, veniamus, quidcumque in prolem peccatur, consequens est in fidem quoque coniugii peccari quodammodo, cum alterum alteri sit connexum matrimonii bonum. At totidem praeterea contra coniugii fidem singillatim enumeranda sunt errorum et corruptelarum capita, quot eadem fides complectitur domesticas virtutes: castam scilicet utriusque coniugis fidelitatem, uxoris honestam viro obtemperationem, firmam denique germanamque inter utrumque caritatem.

(56) *Summ. theolog.*, 2.ª 2.ae, q. 108 a. 4. ad 2.m.

Fidelitatem corrumpunt qui liberiores vindicant mores coniugum, suppressas volunt leges poenales de coniugali fidelitate.

Fidelitatem igitur primo corrumpunt, qui huius temporis opinionibus ac moribus de falsa quadam nec innocua amicitia cum extraneis indulgendum putant, et maiorem quandam in mutuis hisce rationibus sentiendi atque agendi licentiam coniugibus concedendam esse asserunt, idque eo magis quod (ut autumant) non pauci habeant congenitam indolem sexualem, cui intra angustos connubii monogamici limites satisfacere non possint. Quapropter honestorum coniugum rigidum illum animi habitum, qui omnem cum extraneis libidinosum affectum et actum damnat et recusat, obsoletam quandam esse censent mentis animique debilitatem, aut abiectam et vilem obtrectationem seu zelotypiam; et ideo, quaecumque de fide coniugali retinenda latae fuerint poenales reipublicae leges, eas irritas esse volunt, aut certe irritandas.

Confutantur. Semper vetabitur moechari vel concupiscere alienam feminam.

Nobilis quidem castorum coniugum animus commenta haec, vel sola natura duce, ut vana et turpia respuit profecto atque contemnit; et hanc naturae vocem approbat sane atque confirmat cum Dei mandatum « Non moechaberis » (57), tum illud Christi: « Omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo » (58). Nullae autem humanae consuetudines vel exempla prava, nullaque progressae humanitatis species poterunt unquam huius divini praecepti vim infirmare. Nam quemadmodum unus idemque « Iesus Christus heri et hodie ipse et in saecula » (59), ita una eademque Christi doctrina permanet, ex qua ne unus quidem apex praeteribit, donec omnia fiant (60).

Reprobatur sic dicta emancipatio socialis, oeconomica, physiologica uxoris.

Quicumque vero nuptialis fidei et castimoniae nitorem scribendo dicendoque obscurant, iidem errorum magistri fidam honestamque mulieris viro obtemperationem facile labefactant. Audacius etiam complures ex iis indignam illam esse alterius coniugis erga alterum servitutem effutiunt; aequalia inter coniuges omnia esse iura; quae cum unius servitute violentur, quandam mulieris *emancipationem* superbissime praedicant peractam esse vel peragendam. Hanc autem triplicem, sive in domestica societate regenda, sive in re familiari administranda, sive in prolis vita arcenda vel perimenda, statuunt, et *socialem*, *oeconomicam*, *physiologicam* vocant: physiologicam quidem, quatenus mulieres ab oneribus uxoris, sive coniugalibus, sive maternis, pro sua libera voluntate solutas aut sol-

(57) *Exod.*, XX, 14.
(58) Matth., V, 28.
(59) *Hebr.*, XIII, 8.
(60) Cfr. Matth., V, 18.

vendas volunt (hanc autem non emancipationem, sed nequam facinus esse iam satis diximus); oeconomicam vero, qua volunt mulierem, etiam inscio et repugnante viro, libere posse sua sibi negotia habere, gerere, administrare, liberis, marito familiaque tota posthabitis; socialem denique, quatenus ab uxore curas domesticas sive liberorum sive familiae removent, ut, iis neglectis, suo ingenio indulgere valeat, et negotiis officiisque etiam publicis addicatur.

Falsa libertas ipsi mulieri est nociva.

At ne haec quidem est vera mulieris emancipatio neque illa rationi congruens et dignissima libertas, quae christianae nobilique mulieris et uxoris muneri debetur; potius est muliebris ingenii et maternae dignitatis corruptio et totius familiae perversio, qua maritus privatur uxore, proles matre, domus familiaque tota vigili semper custode. Quin immo in ipsius mulieris perniciem vertitur haec falsa libertas et non naturalis cum viro aequalitas: nam si mulier ab regia illa descendit sede, ad quam per Evangelium intra domesticos parietes evecta est, brevi in veterem servitutem (sin minus specie, re tamen vera) redigetur, fietque, ut apud ethnicos erat, merum viri instrumentum.

Quaenam habetur, quaenam neganda est aequalitas iurium.

Aequalitas autem illa iurium, quae tantopere exaggeratur et praetenditur, in iis quidem agnosci debet, quae propria sunt personae ac dignitatis humanae, quaeque nuptialem pactionem consequuntur et coniugio sunt insita; in iisque profecto uterque coniux eodem omnino iure gaudet eodemque debito tenetur; in ceteris, inaequalitas quaedam et temperatio adesse debet, quam familiae bonum ac debita domesticae societatis et ordinis unitas firmitasque postulant.

Non prohibetur temperata legum accommodatio ad mutatos modos et usus.

Sicubi tamen sociales et oeconomicae condiciones mulieris nuptae, ob mutatos conversationum humanarum modos et usus, aliquo pacto mutari debent, auctoritatis publicae est, civilia uxoris iura ad huius temporis necessitates et indigentias aptare, habita quidem ratione eorum, quae exigunt diversa sexus feminei indoles naturalis, morum honestas, commune familiae bonum, modo etiam essentialis ordo societatis domesticae incolumis maneat, qui altiore quam humana, id est, divina auctoritate atque sapientia conditus est, et nec legibus publicis nec privatis beneplacitis mutari potest.

Reprobatur relaxatio vinculi ob omissam sympathiam.

Sed ulterius etiam progrediuntur recentiores coniugii osores, eo quod germano solidoque amori, coniugalis felicitatis et intimae dulcedinis fundamento, caecam quandam sufficiunt indolis convenientiam consensionemque ingenii quam sympa-

thiam vocant; qua cessante, relaxari vinculum docent quo solo uniuntur animi, ac plene dissolvi. Quid hoc erit aliud nisi domum super arenam aedificare? Quam, cum primum obiecta fuerit adversitatum fluctibus, ait Christus Dominus labefactandam esse continuo et collapsuram: « Et flaverunt venti et irruerunt in domum illam, et cecidit et fuit ruina illius magna » (61). At contra, quae supra petram constituta fuerit domus, mutua nempe inter coniuges caritate, et deliberata ac constanti animorum coniunctione solidata, nulla concutietur adversitate, nedum evertatur.

Maxime impugnatur bonum sacramenti, ut matrimonium fiat res profana.

Praestantissima quidem hactenus duo priora christiani coniugii bona vindicavimus, Venerabiles Fratres, quibus hodierni societatis eversores insidiantur. Sed sicut haec bona tertium, quod *sacramenti* est, longe antecellit, ita nil mirum quod hanc imprimis excellentiam multo acrius videmus ab iisdem oppugnari. Et primum quidem tradunt, matrimonium rem esse omnino profanam mereque civilem, nec ullo modo religiosae societati, Ecclesiae Christi, sed uni societati civili committendam; tum vero addunt a quovis indissolubili vinculo nuptiale foedus esse liberandum, coniugum secessionibus seu divortiis non modo toleratis, sed lege sancitis; ex quo denique fiet ut, omni spoliatum sanctitate, coniugium in rerum profanarum ac civilium numero iaceat.

Contractum volunt civilem et dissolubilem.

Primum illud in eo statuunt, quod actus ipse civilis sit pro vero contractu nuptiali habendus (*matrimonium civile* id vocitant); actus religiosus autem sit additum quiddam, vel, ad summum, plebi superstitiosiori permittendum. Deinde, sine ulla reprehensione volunt ut liceat connubia a catholicis hominibus cum acatholicis misceri, nulla religionis habita ratione neque quaesito religiosae auctoritatis consensu. Alterum, quod sequitur, in perfectis divortiis excusandis ponitur, et in legibus iis civilibus laudandis ac provehendis, quae ipsius vinculi solutioni favent.

S. Pont. remittit ad litteras Leonis XIII, pro religiosa matrimonii indole.

Quod ad religiosam cuiusvis coniugii et multo magis christiani matrimonii et sacramenti indolem attinet, cum quae de hac re notanda sunt, Leonis XIII Litteris Encyclicis, quas saepe commemoravimus quasque Nostras quoque diserte iam fecimus, fusius tractentur gravibusque fulciantur argumentis, ad eas hinc remittimus nec nisi perpauca nunc Nobis repetenda ducimus.

Satis constat sacrum quiddam in ipso matrimonio na-

Vel solo rationis lumine, maxime si vetusta historiae monumenta investigentur, si constans populorum conscientia interrogetur, si omnium gentium instituta et mores consulantur,

(61) Matth., VII, 27.

satis constat sacrum quiddam ac religiosum inesse in ipso naturali coniugio, « non adventitium sed ingenitum, non ab hominibus acceptum, sed natura insitum », cum « habeat Deum auctorem, fueritque vel a principio quaedam Incarnationis Verbi Dei adumbratio » (62). Consurgit enim sacra coniugii ratio, quae intime cum religione et sacrarum rerum ordine coniuncta est, cum ex origine illa divina, quam supra commemoravimus, tum ex fine ad ingenerandam educandamque Deo subolem, ac Deo item coniuges christiano amore mutuoque adiumento addicendos; tum denique ex eiusdem naturali coniugii officio, providentissima Dei Conditoris mente instituto, ut quoddam sit transvehendae vitae quasi vehiculum, quo parentes divinae omnipotentiae velut administri inserviunt. Ad haec accedit nova dignitatis ratio ex Sacramento petita, qua matrimonium christianorum evasit longe nobilissimum atque ad tantam excellentiam provectum, ut « mysterium magnum » « honorabile... in omnibus », apparuerit Apostolo (63).

turali haberi. Accedit nova ex sacramento dignitas.

Quae religiosa matrimonii indoles, celsaque eius gratiae et coniunctionis Christum inter et Ecclesiam significatio, sanctam ab sponsis postulat erga christianum connubium reverentiam sanctumque studium, ut matrimonium quod ipsi inituri sunt, ad archetypum illud ipsum quam proxime accedat.

Reverentia peculiaris debita christiano connubio.

At multum in hoc deficiunt, et aliquando non sine salutis aeternae periculo, qui temere mixtas ineunt nuptias, a quibus maternus Ecclesiae amor et providentia, gravissimis de causis, retrahit suos, quemadmodum ex multis apparet documentis, illo Codicis canone comprehensis, qui haec decernit: « Severissime Ecclesia ubique prohibet, ne matrimonium ineatur inter duas personas baptizatas quarum altera sit catholica, altera vero sectae haereticae seu schismaticae adscripta; quod si adsit perversionis periculum coniugis catholici et prolis, coniugium ipsa etiam lege divina vetatur » (64). Quod si Ecclesia interdum, pro temporum, rerum, personarum rationibus, a severioribus his praescriptis (salvo iure divino, et per opportunas cautiones remoto, quantum fieri potest, perversionis periculo) dispensationem non recusat, difficulter tamen fieri potest ut coniux catholicus nonnihil detrimenti ex istis nuptiis non capiat.

Improbantur temere initae mixtae nuptiae. Praescriptae cautiones.

Unde in prognatos haud raro derivatur lugenda a religione defectio vel saltem praeceps decursus in religiosam illam ne-

Detrimenta vel pericula huiusmodi nuptiarum pro natis,

(62) Leo XIII, Litt. Encycl. *Arcanum*, d. 10 Febr. 1880.
(63) Cfr. *Ephes.*, V, 32; *Hebr.*, XIII, 4.
(64) *Cod. Iur. Can.*, c. 1060.

pro intima coniunctione animarum.

gligentiam seu, quam vocant, indifferentiam, infidelitati impietatique proximam. Illud etiam accedit quod in mixtis nuptiis multo difficilior reddatur viva illa animorum conformatio, mysterium, quod diximus, arcanam nimirum Ecclesiae cum Christo coniunctionem, imitatura.

Facile enim deficiet arctior animorum communio, quae sicuti est Ecclesiae Christi signum et nota, ita christiani coniugii signum sit oportet, decus et ornamentum. Nam distrahi solet aut saltem relaxari animorum vinculum, ubi in rebus ultimis et summis, quas homo veneratur, idest in religionis veritatibus et sensibus, dissimilitudo mentium habetur et voluntatum intercedit diversitas. Ex quo periculum est, ne langueat inter coniuges caritas, itemque labefactetur domesticae societatis pax et felicitas, quae ex cordium potissimum unitate proficiscitur. Nam, ut iam ante tot saecula antiquum Ius Romanum definierat: « Nuptiae sunt coniunctio maris et feminae et consortium omnis vitae, divini et humani iuris communicatio » (65).

Augescens divortiorum facilitas, etiam praedicata, deploratur.

At maxime, ut iam monuimus, Venerabiles Fratres, restitutionem istam perfectionemque matrimonii a Christo Redemptore statutam augescens in dies divortiorum facilitas impedit. Quin immo neopaganismi fautores, tristi rerum usu nihil edocti, in sacram coniugii indissolubilitatem, legesque eam iuvantes, acrius in dies invehi pergunt, ac licere divortia decernendum esse contendunt, ut alia scilicet, eaque humanior, lex obsoletis legibus sufficiatur.

Allegatae causae ob quas leges divortio faveant.

Divortiorum autem causas ii quidem multas in medium proferunt et varias; e personarum vitio seu culpa alias profectas, alias in rebus positas (subiectivas illas, has obiectivas appellant); quaecumque denique individuam vitae societatem asperiorem efficiunt atque ingratam. Has porro causas ac leges multiplici ex capite probari volunt: ex utriusque bono coniugis in primis, sive alter innocens est atque a reo propterea secedendi suo iure gaudens, sive sceleribus obnoxius, eaque de causa ab ingrata et coacta coniunctione seiungendus; deinde e bono prolis, quae recta institutione destituitur vel eiusdem fructus amittit, cum nimis facile, e parentum discordiis aliisque male factis offensionem passa, a virtutis via abstrahatur; denique ex communi bono societatis, quod postulet, primo ut ea matrimonia exstinguantur penitus, quae iam nihil valeant ad id assequendum quod natura spectat; dein ut coniugibus disce-

---

(65) Modestinus, in Dig. Lib. XXIII, II: *De Ritu nuptiarum*, lib. I, Regularum.

dendi potestas fiat lege, cum ut avertantur crimina quae ex eorumdem coniugum convictu vel consociatione facile essent pertimescenda, tum ne magis in dies ludibrio habeatur iudiciale forum et legum auctoritas, eo quod coniuges, ad exoptatam divortii sententiam impetrandam, aut crimina, ob quae iudex ad normam legis solvere valeat vinculum, consulto committant, aut eadem se commisisse, coram iudice, licet rerum condicionem clare ipse perspiciat, insolenter mentiantur atque peiurent. Quamobrem blateratur, leges omnibus his necessitatibus, mutatisque temporum condicionibus, hominum opinionibus, civitatum institutis ac moribus esse omnino conformandas; quae vel singula, maxime vero omnia in unum collecta, facultatem divortiorum certis de causis concedendam prorsus esse luculentissime testentur.

Immo matrimonium volunt consensu solubile.

Alii, ulterius mira procacitate progressi, matrimonium utpote contractum mere privatum, consensui item arbitrioque privato utriusque contrahentis, ut fit in ceteris privatis contractibus, prorsus esse relinquendum opinantur, quavis propterea de causa dissolvendum.

Insaniae istae damnantur verbis Christi, de omni matrimonio.

Verum, contra has quoque insanias omnes stat, Venerabiles Fratres, una lex Dei certissima, a Christo amplissime confirmata, nullis hominum decretis vel scitis populorum, nulla legumlatorum voluntate debilitanda: « Quod Deus coniunxit, homo non separet » (66). Quod quidem si iniuria homo separaverit, irritum id prorsus fuerit; iure propterea, ut plus semel vidimus, Christus ipse asseveravit: « Omnis qui dimittit uxorem suam et alteram ducit, moechatur; et qui dimissam a viro ducit, moechatur » (67). Et haec Christi verba quodcumque respiciunt matrimonium, etiam naturale tantum et legitimum; omni enim vero matrimonio convenit illa indissolubilitas, qua illud partium beneplacito et omni saeculari potestati, ad vinculi solutionem quod pertinet, est omnino subtractum.

Recoluntur anathemata Tridentina.

Memoria item renovanda est sollemnis iudicii, quo Concilium Tridentinum sub poena anathematis haec reprobavit: « Si quis dixerit propter haeresim aut molestam cohabitationem aut affectatam absentiam a coniuge dissolvi posse matrimonii vinculum: anathema sit » (68); et: « Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit et docet, iuxta evangelicam et apostolicam doctrinam propter adulterium alterius coniugum matrimonii

(66) Matt., XIX, 6.
(67) Luc., XVI, 18.
(68) *Concil. Trid.*, sess. XXIV, c. 5.

vinculum non posse dissolvi, et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero coniuge vivente, aliud matrimonium contrahere, moecharique eum, qui, dimissa adultera, aliam duxerit, et eam, quae, dimisso altero, alii nupserit: anathema sit » (69).

Conclusio fortior de minoribus causis,

Quod si non erravit neque errat Ecclesia, cum haec docuit et docet, ideoque certum omnino est matrimonii vinculum ne ob adulterium quidem dissolvi posse, in comperto est reliquas tanto debiliores, quae afferri solent, divortiorum causas multo minus valere nihilique prorsus esse faciendas.

Obiecta contra vinculi firmitatem diluuntur.

Ceterum quae supra contra vinculi firmitatem e triplici illo capite obiiciunt, ea facile dissolvuntur. Incommoda enim illa omnia arcentur ac pericula propulsantur, si quando, in extremis illis adiunctis, discessio permittatur coniugum imperfecta, id est incolumi atque integro vinculo, quam lex ipsa Ecclesiae concedit claris canonum verbis, quae de separatione tori et mensae et habitationis decernunt (70). Iam secessionis huiusmodi causas, conditiones, modum simul et cautelas, quibus et liberorum institutioni et familiae incolumitati fiat satis, atque incommoda item omnia, sive ea coniugi, sive proli, sive ipsi civili communitati impendent, quoad poterit, praecaveantur, legum erit sacrarum statuere, et ex parte saltem, etiam civilium legum, pro civilibus scilicet rationibus atque effectibus.

Vis extensiva argumentorum.

Quaecumque autem ad firmitatem coniugii indissolubilem asserendam afferri solent et supra attigimus, constat eadem eodemque iure valere sive ad necessitatem facultatemque divortiorum excludendam, sive ad potestatem ea concedendi cuilibet magistratui negandam; quot item pro priore illa stant praeclara emolumenta, totidem contra apparent in altera parte detrimenta, cum singulis tum universae hominum societati perniciosissima.

Mala divortiorum consectaria

Atque, ut iterum sententiam decessoris Nostri afferamus, quantam materiam bonorum in se coniugii indissolubis firmitas contineat tantam malorum segetem divortia complecti, vix attinet dicere. Hinc videlicet, incolumi vinculo, tuta ac secura matrimonia conspicimus, illinc, coniugum secessionibus propositis vel ipsis divortiorum periculis obiectis, ipsa foedera nuptialia mutabilia aut certe anxiis obnoxia fieri suspicionibus. Hinc mutua benevolentia consociatioque bonorum confirmata mirifice; illinc, ex ipsa secessionis facta potestate, extenuata

---

(69) *Concil. Trid.*, sess. XXIV, c. 7.
(70) *Cod. Iur. Can.*, cc. 1128 sqq.

miserrime. Hinc coniugum castae fidei addita peropportuna praesidia; illinc infidelitati perniciosa incitamenta suppeditata. Hinc liberorum susceptio, tuitio, educatio provecta efficaciter; illinc gravioribus usque detrimentis affecta. Hinc inter familias cognatosque discordiis multiplex praeclusus aditus, illinc discordiarum occasio oblata frequentius. Hinc facilius oppressa, illinc iacta copiosius multoque latius semina simultatum. Hinc potissimum dignitas officiumque mulierum, in societate sive domestica sive civili, redintegrata feliciter ac restituta; illinc indigne depressa, siquidem in periculum coniciuntur uxores « ne cum libidini virorum inservierint, pro derelictis habeantur » (71).

Quantum sint inimica familiis et civitatibus.

Et quoniam ad perdendas familias, ut iam Leonis XIII gravissimis verbis concludamus, « frangendasque regnorum opes nihil tam valet, quam corruptela morum; facile perspicitur, prosperitati familiarum ac civitatum maxime inimica esse divortia, quae a depravatis populorum moribus nascuntur, ac, teste rerum usu, ad vitiosiores vitae privatae et publicae consuetudines aditum ianuamque patefaciunt. Multoque esse graviora haec mala constabit, si consideretur, frenos nullos futuros tantos qui concessam semel divortiorum facultatem valeant intra certos, aut antè provisos, limites coercere. Magna prorsus est vis exemplorum, maior cupiditatum: hisce incitamentis fieri debet, ut divortiorum libido latius quotidie serpens, plurimorum animos invadat, quasi morbus contagione vulgatus, aut agmen aquarum, superatis aggeribus, exundans » (72).

Crescens corruptio confirmat praenuntiata Leonis XIII.

Ideoque, ut in iisdem Litteris legitur, « nisi consilia mutentur, perpetuo sibi metuere familiae et societas humana debebunt, ne miserrime coniciantur in... rerum omnium certamen atque discrimen » (73). Quae quidem omnia quam vere ante quinquaginta annos praenuntiata fuerint, abunde confirmat crescens in dies morum corruptio et inaudita familiae depravatio in iis regionibus, ubi Communismus plene dominatur.

III.

III. Remedia

Opportuna remedia sunt invenienda.

Quid sapientissimus nostri generis Creator ac Redemptor de humano coniugio statuerit, Venerabiles Fratres, huc usque venerabundi admirati sumus, simulque doluimus tam pium divinae Bonitatis consilium ab humanis cupiditatibus, erroribus,

(71) Leo XIII, Litt. Encycl. *Arcanum,* 10 Febr. 1880.
(72) Litt. Encycl. *Arcanum,* 10 Febr. 1880.
(73) Litt. Encycl. *Arcanum,* 10 Febr. 1880.

vitiis frustrari conculcarique nunc passim. Consentaneum igitur est ut animum Nostrum paterna quadam cum sollicitudine ad opportuna invenienda remedia convertamus, quibus perniciosissimi quos recensuimus abusus tollantur et debita matrimonio reverentia ubique restituatur.

Revertendum est ad divinam matrimonii rationem.

Ad quod in primis iuvat certissimum illud in memoriam revocare, quod in sana philosophia atque adeo in sacra theologia sollemne est: quaecumque nimirum a recto ordine declinarunt, non posse ea in pristinum ac suae naturae congruentem statum alia via reduci, quam ad divinam rationem, quae (ut docet Angelicus) (74) omnis rectitudinis exemplar est, revertendo. Quae quidem fel. rec. decessor Noster Leo XIII contra Naturalistas gravissimis hisce verbis iure urgebat: « Lex est provisa divinitus, ut quae a Deo et natura auctoribus instituta sunt, ea tanto plus utilia ac salutaria experiamur, quanto magis statu nativo manent, integra atque incommutabilia, quandoquidem procreator rerum omnium Deus probe novit quid singularum institutioni et conservationi expediret, cunctasque voluntate et mente sua sic ordinavit, ut suum unaquaeque exitum convenienter habitura sit. At si rerum ordinem providentissime constitutum immutare et perturbare hominum temeritas aut improbitas velit, tum vero etiam sapientissime atque utilissime instituta aut obesse incipiunt, aut prodesse desinunt, vel quod vim iuvandi mutatione amiserint vel quod tales Deus ipse poenas malit de mortalium superbia atque audacia sumere » (75).

Omnes eam contemplentur ac se ad eam aptent.

Oportet igitur ad rectum ordinem in re coniugali restituendum, ut omnes divinam de matrimonio rationem contemplentur ad eamque se conformare student.

Tu Deo (subsis) tibi caro.

Verum, cum huic studio indomitae praesertim concupiscentiae vis obsistat, quae sane potissima est causa cur contra sanctas matrimonii leges peccetur, cumque homo cupiditates suas sibi subditas habere non possit, nisi prius se subiciat Deo, hoc primum curandum erit secundum ordinem divinitus statutum. Nam firma lex est, ut quicumque se Deo subiecerit, gaudeat ille subici sibi, divina gratia opitulante, concupiscentiam animique sui motus; qui vero rebellis Deo fuerit, illatum sibi a violentis cupiditatibus intestinum bellum experiatur ac doleat. Quod quam sapienter decretum sit, ita exponit S. Augustinus: « Hoc enim expedit: inferius subici superiori; ut et ille qui sibi su-

(74) S. Thom. Aquin., *Summ. theolog.*, 1.a-2ae, q. 91, a. 1-2.
(75) Litt. Encycl. *Arcanum*, 10 Febr. 1880.

bici vult quod est inferius se, subiciatur superiori se. Agnosce ordinem, quaere pacem! *Tu Deo; tibi caro.* Quid iustius? quid pulchrius? Tu maiori, minor tibi: servi tu ei, qui fecit te, ut tibi serviat quod factum est propter te. Non enim hunc ordinem novimus, neque hunc ordinem commendamus: *Tibi caro, et tu Deo!* sed: *Tu Deo, et tibi caro!* Si autem contemnis, *Tu Deo,* numquam efficies, ut *Tibi caro.* Qui non obtemperas Domino, torqueris a servo » (76).

Quem divinae Sapientiae ordinem ipse beatissimus Doctor Gentium, afflante Spiritu Sancto, testatur; cum enim veterum sapientum meminisset, qui cognitum a se et exploratum omnium rerum Conditorem adorare et revereri renuissent: « Propterea, inquit, tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis »; et iterum: « propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiae » (77). « Deus (enim) superbis resistit, humilibus autem dat gratiam » (78), sine qua, quemadmodum idem Doctor Gentium monet, homo nequit rebellem coercere concupiscentiam » (79).

Coniuges toti pietate pervadantur.

Quoniam igitur huius indomiti impetus nequaquam, ut requiritur, temperari poterunt, nisi prius animus ipse demissum pietatis et reverentiae obsequium Conditori suo praestiterit, prae ceteris id est necessarium, ut eos, qui se sacro coniugii vinculo nectunt, intima et germana pervadat totos erga Deum pietas, quae universam eorum vitam informet, mentem et voluntatem summa erga Dei Maiestatem impleat reverentia.

Rectissime primo pietas coniugibus inculcetur.

Rectissime igitur et ad absolutissimam christiani sensus normam faciunt illi animarum Pastores qui coniuges, ne in matrimonio a Dei lege desciscant, in primis ad pietatis et religionis exercitia hortantur, ut Deo se totos tradant, eius auxilium assidue implorent, Sacramenta frequentent, piam semper et in omnibus devotam erga Deum voluntatem foveant atque servent.

Naturales artes iuvare possunt, sed non sufficiunt.

Falluntur vero vehementer qui, posthabitis aut neglectis his, quae naturam excedunt, rationibus, naturalium scientiarum usu et inventis (biologiae scilicet, scientiae transmissionis hereditariae, aliarumque id genus) homines inducere posse putant, ut carnis desideriis frenos iniciant. Quae non ita dicta volumus, perinde ac si res naturales, quae inhonestae non sint, parvi

(76) S. Augustin., *Enarrat. in Ps.* 143.
(77) *Rom.*, I, 24, 26.
(78) Iac., IV, 6.
(79) Cfr *Rom.*, VII, VIII.

sint faciendae; unus est enim auctor et naturae et gratiae, Deus, qui utriusque ordinis bona in usum et utilitatem hominum contulit. Iuvari igitur possunt et debent fideles naturalibus quoque artibus; sed errant qui has sufficere opinentur ad foederis nuptialis castitatem stabiliendam, aut iis maiorem vim inesse putent, quam gratiae supernaturalis auxilio.

Necessaria est legum de matrimonio cognitio, quae a sola ratione exspectari nequit.

Haec autem coniugii et morum ad divinas de matrimonio leges conformatio, sine qua eius instauratio efficax esse non potest, postulat ut ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore quaenam sint eiusmodi leges dignosci possit. At nemo non videt, quot fallaciis aditus aperiretur et quanti errores admiscerentur veritati, si res singulis relinqueretur solo rationis lumine exploranda, aut si privata veritatis revelatae interpretatione investigaretur. Quod quidem si in multis aliis ordinis moralis veritatibus locum habet, id tamen potissimum in his, quae ad coniugium pertinent, attendi debet, ubi voluptatis libido irrumpere in fragilem humani generis naturam eamque decipere et corrumpere facile possit; idque eo magis, quod ad legis divinae observationem, ardua interdum, eademque diu coniugibus experiunda sunt, quibus, ut rerum usu docemur, debilis homo quasi totidem utitur argumentis, ut a lege divina servanda sese eximat.

Quare pietati adiungenda est humilis erga Ecclesiam oboedientia.

Quapropter ut legis divinae non fictio aliqua aut corruptio, sed vera germanaque cognitio humanas mentes collustret hominumque mores dirigat, pietati erga Deum eique obsequendi studio sincera atque humilis erga Ecclesiam oboedientia adiungatur oportet. Ecclesiam enim constituit ipse Christus Dominus magistram veritatis, in his etiam quae ad mores pertinent regendos ordinandosque, etsi in his multa humanae rationi per se impervia non sunt. Deus enim, quemadmodum ad naturales religionis et morum veritates quod pertinet, rationis lumini revelationem addidit ut, quae recta et vera sunt, « in praesenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nulla admixto errore cognosci possint » (80), ita Ecclesiam in eundem finem constituit totius de religione et moribus veritatis custodem et magistram; cui propterea fideles, ut a mentis errore et a morum corruptione immunes serventur, oboediant, et mentem animumque subiciant. Et ne auxilio a Deo tam liberali benignitate collato se ipsi privent, necessario hanc oboedientiam praestare debent non solum sollemnioribus Ecclesiae definitionibus, verum etiam, servato modo,

(80) *Conc. Vat.*, sess. III, cap. 2.

ceteris Constitutionibus et Decretis, quibus opiniones aliquae ut periculosae aut pravae proscribuntur et condemnantur (81).

In quaestionibus de matrimonio ne fideles se nimis proprio iudicio committant, vel ad solas attendant Ecclesiae definitiones.

Quocirca christifideles caveant in his etiam, quae hodie de matrimonio circumferuntur, quaestionibus, ne suo se iudicio nimis committant neve falsa rationis humanae libertate, seu « autonomia » quam vocant, allici se sinant. Alienissimum enim est ab omni veri nominis christiano, suo ingenio ita superbe fidere, ut iis solum, quae ipse ex interioribus rerum visceribus cognoverit, assentiri velit, et Ecclesiam, ad omnes gentes docendas regendasque a Deo missam, rerum et adiunctorum recentium minus gnaram existimare, vel etiam iis tantum, quae per sollemniores quas diximus definitiones ea iusserit, assensum et oboedientiam praestare, perinde ac si opinari prudenter liceat cetera eius decreta aut falso laborare aut veritatis honestatisque causâ niti non satis. Est proprium, contra, veri omnis christifidelis, sive doctus hic est sive indoctus, in omnibus quae ad fidem et mores pertinent se regi et duci sinere a Sancta Dei Ecclesia, per eius Supremum Pastorem Romanum Pontificem, qui regitur ipse a Iesu Christo Domino Nostro.

Fideles de matrimonio bene edocendi sunt.

Cum ergo omnia ad Dei legem et mentem reducenda sint, ut in universum et perpetuo matrimonii instauratio peragatur, summi sane momenti est, fideles bene de matrimonio edoceri: verbo et scripto, non semel nec leviter, sed saepe et solide, claris gravibusque argumentis, ut eiusmodi veritates intellectum percellant animumque permoveant. Sciant iidem assidueque recogitent quantam Deus sapientiam, sanctitatem, bonitatem erga humanum genus ostenderit, matrimonium instituendo, sacris legibus illud fulciendo, multoque tum magis cum ad Sacramenti dignitatem mirifice evexit, per quam tam copiosus gratiarum fons christianis coniugibus patet, ut nobilissimis connubii finibus caste fideliterque inservire queant in sui et liberorum, totiusque societatis civilis atque humanae consortionis bonum et salutem.

Non minus quam eversores matrimonii debent Pastores per se et per laicos « Actionis catholicae » toti esse in diffundenda doctrina sana.

Profecto, si hodierni matrimonii eversores toti in eo sunt, ut sermonibus, scriptis, libris et libellis, aliisque innumeris modis mentes pervertant, animos corrumpant, coniugalem castimoniam ludibrio dent, turpissima quaeque vitia laudibus efferant, multo magis Vos, Venerabiles Fratres, quos « Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo » (82) toti in eo esse debetis, ut per vos ipsi

(81) Cfr. *Conc. Vat.*, sess. III, cap. 4; *Cod. Iur. Can.*, c. 1324.
(82) *Act.*, XX, 28.

et per sacerdotes vobis commissos, atque adeo per apte electos laicos *Actionis Catholicae* a Nobis tantopere exoptatae et commendatae, in apostolatus hierarchici auxilium vocatos, omni qua par est via errori opponatis veritatem, turpi vitio splendorem castitatis, cupiditatum servituti libertatem filiorum Dei (83), iniquae divortiorum facilitati perennitatem genuinae in matrimonio caritatis et ad mortem usque inviolatum datae fidei sacramentum.

Fructus instructionis apud Christi fideles.

Unde fiet, ut christifideles toto animo gratias Deo referant, quod eius mandato ligentur et suavi quadam vi cogantur ut quam longissime fugiant a quavis carnis idololatria et ab ignobili libidinis servitute; itemque ut magnopere absterreantur omnique studio sese avertant a nefariis illis commentis, quae, in dedecus sane dignitatis humanae, voce et scripto, sub nomine « perfecti matrimonii » nunc ipsum circumferuntur, quaeque scilicet perfectum istud matrimonium idem tandem esse faciunt ac « matrimonium depravatum », prouti etiam, iure meritoque, dictum est.

Exaggerata physiologica institutio repellenda est.

Haec salubris de matrimonio christiano instructio ac religiosa disciplina ab exaggerata illa institutione physiologica longe distabit, qua, his nostris temporibus, nonnulli, qui se coniugalis vitae emendatores iactant, servire coniugibus contendunt, plurima verba de physiologicis his rebus faciendo, quibus tamen ars potius discitur callide peccandi quam virtus caste vivendi.

Allegata hortatio Leonis XIII.

Itaque, Venerabiles Fratres, Nostra toto animo facimus verba quibus decessor Noster fel. rec. Leo XIII in suis de matrimonio christiano Litteris Encyclicis universi orbis Episcopos est allocutus: « Quantum contentione assequi, quantum auctoritate potestis, date operam, ut apud gentes fidei Vestrae commendatas integra atque incorrupta doctrina retineatur quam Christus Dominus et coelestis voluntatis interpretes Apostoli tradiderunt, quamque Ecclesia Catholica religiose ipsa servavit, et a Christifidelibus servari per omnes aetates iussit » (84).

Roboranda voluntas servandi divinas leges. Moderatus suadetur usus coniugii.

Verum, vel optima per Ecclesiam institutio sola non sufficit, ut matrimonii ad legem Dei conformatio rursus habeatur; quamvis enim coniuges de christiano matrimonio doctrinam calleant, accedat tamen oportet ex parte eorum firmissima voluntas sanctas Dei et naturae de matrimonio leges servandi. Quidquid tandem verbo et scripto asseri et propagari velit,

(83) Cfr. Io., VIII, 32 sqq.; *Gal.*, V, 13.
(84) Litt. Encycl. *Arcanum*, 10 Febr. 1880.

firmiter constanterque coniugibus sanctum ac sollemne esto: in omnibus quae ad matrimonium pertinent, sine ulla haesitatione Dei mandatis stare se velle: mutuo caritatis auxilio semper praestando, castitatis fide servanda, vinculi firmitate numquam violanda, iuribus per coniugium acquisitis non nisi christiane semper et moderate adhibendis, primo praesertim coniugii tempore, ut, si quando postea rerum adiuncta continentiam postularint, uterque iam assuetus continere, faciliore negotio, se queat.

Auxilio erit frequens dignitatis et virtutis sacramenti recordatio.

Magnopere autem ipsos, ut hanc firmam voluntatem concipiant, retineant atque exsecutioni mandent, iuvabit frequens sui status consideratio atque operosa recepti Sacramenti memoria. Meminerint assidue, se ad sui status officia et dignitatem peculiari veluti consecratos et roboratos esse Sacramento, cuius efficax virtus, quamquam characterem non imprimit, perpetuo tamen perseverat. Meditentur idcirco haec Sancti Cardinalis Roberti Bellarmino verba, solidi profecto solatii plena, qui cum alii magnae notae theologis ita pie sentit et scribit: « Coniugii Sacramentum duobus modis considerari potest: uno modo, dum fit; altero modo, dum permanet postquam factum est. Est enim Sacramentum simile Eucharistiae, quae non solum dum fit, sed etiam dum permanet, Sacramentum est; dum enim coniuges vivunt, semper eorum societas Sacramentum est Christi et Ecclesiae » (85).

Vires gratiae proprio hominum studio exercendae sunt

Verum ut huius Sacramenti gratia vim suam totam exserat, coniugum opera, prout iam monuimus, accedere debet, eaque in hoc esse, ut, quantum contentione possunt, in officiis implendis suis studiose elaborent. Quemadmodum enim in naturae ordine, ut vires a Deo datae plenam suam edant efficacitatem, eae ab hominibus proprio labore atque industria adhibendae sunt, quod si negligatur, nihil inde emolumenti colligitur; ita etiam vires gratiae, quae ex Sacramento in animum profluxere ibique manent, ab hominibus proprio studio et labore exercendae sunt. Nolint ergo coniuges Sacramenti gratiam negligere, quae in ipsis est (86); sed sedulam officiorum suorum observationem quamvis laboriosam aggressi, ipsam illius gratiae vim efficaciorem in dies experientur. Et si quando condicionis suae vitaeque laboribus gravius se premi sentiant, ne animos despondeant, sed sibi quodammodo dictum existiment id quod

(85) S. Rob. Bellarmin., *De controversiis,* tom. III, *De Matr.,* controvers. II, cap. 6.

(86) Cfr. *I. Tim.,* IV, 14.

Timotheo discipulo carissimo, laboribus et contumeliis vix non deiecto, S. Paulus Apostolus de Ordinis Sacramento scribebat: « Admoneo te ut resuscites gratiam Dei quae est in te per impositionem manuum mearum. Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris sed virtutis et dilectionis et sobrietatis » (87).

Necessaria quoque ad matrimonium praeparatio iam a pueritia et iuventute.

Sed haec omnia, Venerabiles Fratres, magnam partem a debita coniugum pendent tam remota quam proxima ad matrimonium praeparatione. Illud enim negari non potest, felicis coniugii firmum fundamentum, et infelicis ruinam, iam pueritiae et iuventutis tempore in puerorum puellarumque animis instrui ac poni. Nam qui ante coniugium in omnibus seipsos et sua quaesiere, qui suis cupiditatibus indulgebant, timendum est, ne iidem in matrimonio tales futuri sint quales ante matrimonium fuerint; item id tandem metere debeant quod seminaverint (88) — intra domesticos nimirum parietes tristitiam, luctum, despectum mutuum, rixas, animi simultates, vitae communis taedium — neve, quod maximum est, seipsos cum suis indomitis cupiditatibus inveniant.

Sic bene parati sponsi se mutuo adiuvent, et vere sint patres ac matres.

Bene igitur animati paratique, sponsi ad statum coniugii ineundum accedant, ut possint ea qua par est ope se mutuo iuvare in adversis vitae vicibus subeundis, multoque magis in aeterna salute procuranda et in interiore homine ad plenitudinem aetatis Christi (89) conformando. Id etiam eo conferet, ut ipsi dilectae suboli tales revera sese praebeant quales Deus voluit parentes praestare se proli: ita videlicet ut pater vere pater sit, mater vera sit mater; per quorum pium amorem assiduasque curas, domestica sedes, etiam in magna rerum inopia mediaque in hac lacrimarum valle, evadat liberis quoddam illius iucundi paradisi vestigium, in quo primos homines Creator generis humani collocavit. Hinc etiam sequetur ut filios facilius efficiant perfectos homines perfectosque christianos, eos genuino Ecclesiae Catholicae sensu imbuant, iisdemque nobilem illam erga patriam caritatem iniiciant, ad quam pietatis gratique animi causâ tenemur.

Tum futuri coniuges tum institutores meminerint de necessaria puerili conformatione.

Itaque, tam illi, qui iam de sancto hoc connubio aliquando ineundo cogitant, quam qui iuventutis christianae educandae curam habent, haec tanti faciant, ut bona praeparent, mala praecaveant, memoriamque renovent eorum quae in Nostris de educatione Litteris Encyclicis monuimus: « A pueritia igitur vo-

(87) *II Tim.*, I. 6-7.
(88) Cfr. *Gal.*, VI, 9.
(89) Cfr. *Eph.*, IV, 13.

luntatis inclinationes, si pravae, cohibendae, sin autem bonae, promovendae sunt, ac praesertim puerorum mens imbuatur doctrinis a Deo profectis et animus divinae gratiae auxiliis roboretur oportet, quae si defuerint, nec suis quisque moderari cupiditatibus poterit neque ad absolutionem perfectionemque disciplina atque informatio ab Ecclesia adduci, quam ideo Christus caelestibus doctrinis ac divinis Sacramentis instruxit, ut efficax omnium hominum esset magistra » (90).

Maturum coniugis eligendi studium, adhibitis parentum consiliis.

Ad proximam vero boni matrimonii praeparationem maximopere pertinet eligendi coniugis studium; nam plurimum inde pendet utrum matrimonium felix futurum sit necne, cum alter coniux alteri aut magno adiutorio ad vitam christiano modo in coniugio ducendam, aut magno periculo atque impedimento esse queat. Ne ergo inconsultae electionis poenas per totam vitam luere debeant, maturam sponsi deliberationem instituant antequam personam seligant, quacum deinde perpetuo sibi degendum erit; in hac vero deliberatione in primis rationem habeant Dei veraeque Christi religionis, deinde sui ipsius, alterius sponsi, futurae prolis bono consulant itemque societatis humanae et civilis, quae ex connubio tamquam ex suo fonte oritur. Petant sedulo divinum auxilium, ut eligant secundum christianam prudentiam, minime vero caeco et indomito cupiditatis impetu neque solo lucri desiderio aliove minus nobili impulsu ducti, sed vero rectoque amore et sincero erga futurum coniugem affectu; praeterea eos fines in matrimonio quaerant propter quos illud est a Deo constitutum. Neque omittant denique, de eligendo altero coniuge prudens parentum consilium exquirere, illudque haud parvi faciant, ut, eorum maturiore humanarum rerum cognitione et usu, perniciosum hac in re errorem praecaveant et divinam quarti mandati benedictionem, matrimonium inituri, copiosius assequantur: « Honora patrem tuum et matrem tuam, (quod est mandatum primum in promissione), ut bene sit tibi, et sis longaevus super terram » (91).

Subveniendum temporali coniugum inopiae.

Et quoniam non raro perfecta mandatorum Dei observatio et coniugii honestas graves inde patiantur difficultates, quod coniuges rei familiaris angustiis et magna bonorum temporalium penuria premuntur, eorum necessitatibus, meliore qua fieri potest ratione, subveniendum profecto est.

Patribus familias satis sit ut opera sua se suosque alere possint.

Atque in primis est illud omni contentione enitendum ut, id quod iam sapientissime decessor Noster Leo XIII decre-

(90) Litt. Encycl. *Divini illius Magistri,* 31 Dec 1929.
(91) *Ephes.*, VI, 2-3; cfr. *Exod.*, XX, 12.

verat (92), in Societate civili rationes oeconomicae et sociales ita constituantur, ut omnes patresfamilias sibi, uxori, filiis pro dignitate et loco alendis necessaria mereri ac lucrari possint: « dignus est enim operarius mercede sua (93). Hanc negare aut aequo minorem facere gravis iniustitia est et a Sacris Litteris inter maxima ponitur peccata (94); neque fas est mercedes statui tam tenues, quae, pro rerum condicionibus, alendae familiae sint impares.

Tum per se tum collatis similium viribus futurae necessitates a coniugibus praevertendae sunt.

Curandum tamen est, ut vel ipsi coniuges, idque iam diu ante quam matrimonium ineant, futurae incommoda necessitatesque vitae praevertere aut saltem minuere studeant, et quomodo id efficaci simul et honesto modo facere possint, a peritis edoceantur. Providendum etiam ut, si sibi ipsi unis non sufficiunt, coniuncta similium opera conditisque privatis aut publicis sodalicis, vitae necessitatibus succurrant (95).

Christianae caritatis officium supplendi quod familiis desit.

Quando vero haec, quae diximus, familiae, praesertim si grandior sit aut minus valeat, sumptus aequare non possunt, amor proximi christianus requirit omnino, ut ea quae desunt indigentibus christiana compenset caritas, ut divites praecipue tenuioribus opitulentur, neve qui superflua habent bona in vanos sumptus impendant aut prorsus dissipent, sed in sospitandam vitam et valetudinem eorum convertant, qui etiam necessariis carent. Qui Christo in pauperibus de suo dederint, ii a Domino, cum venerit iudicare saeculum, uberrimam recipient mercedem; qui contra fecerint suas poenas luent (96). Non enim frustra monet Apostolus: « Qui habuerit substantiam huius mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo: quomodo caritas Dei manet in eo ? » (97).

Publica auctoritas impares privatorum vires supplere debet.

Quod si privata subsidia satis non sunt, auctoritatis publicae est supplere impares privatorum vires in re praesertim tanti momenti ad bonum commune, quanti est familiarum et coniugum condicio hominibus digna. Si enim familiis, iis in primis quibus est copiosa proles, apta desunt domicilia; si laboris victusque acquirendi occasionem vir nancisi nequit; si ad quotidianos usus nisi exaggeratis pretiis res emi non possunt; si etiam materfamilias, haud exiguo domesticae rei nocumento,

(92) Litt. Encycl. *Rerum Novarum,* 15 Maii 1891.
(93) Luc., X, 7.
(94) Cfr. *Deut., XXIV,* 14, 15.
(95) Cfr. Leo XIII, Litt. Encycl. *Rerum Novarum,* 15 Maii 1891.
(96) Matth., XXV, 34 sqq.
(97) I Io., III, 17.

necessitate et onere premitur pecuniae proprio labore lucrandae; si eadem in ordinariis vel etiam extraordinariis maternitatis laboribus, convenienti victu, medicamentis, ope periti medici aliisque id genus caret: nemo non videt, si quidem coniuges animo deficiant, quam difficilis eis reddatur convictus domesticus et mandatorum Dei observatio, praetereaque quantum discriminis securitati publicae et saluti vitaeque ipsius civilis societatis inde obvenire queat, si tales homines eo desperationis redigantur, ut, cum iam nihil habeant quod sibi timeant auferendum, multa se fortasse assecuturos sperare audeant ex reipublicae rerumque omnium perturbatione.

Id inter praecipuas potestatis partes habendum est.

Quapropter qui curam rei publicae et boni communis habent, tales coniugum familiarumque necessitates negligere non possunt, quin grave civitati et bono communi nocumentum afferant; in legibus igitur ferendis et in publicis expensis statuendis huic egenarum familiarum inopiae sublevandae sic prospiciant, ut eiusmodi curam inter praecipuas suae potestatis partes habeant.

Dolet Papa quod interdum magis illegitimae quam ligitimae matri et proli succurratur.

Quo in genere non sine maerore animadvertimus, id nunc haud raro evenire, ut, recto ordine inverso, matri prolique illegitimae (cui ecquidem, etiam ad praecavenda maiora mala, succurrendum est) facile admodum suppeditetur praesens copiosumque subsidium, quod legitimae aut denegetur aut parce sic concedatur ut quasi ab invitis videatur extortum.

Legibus mores iuvandi sunt.

Sed non solum, Venerabiles Fratres, auctoritatis publicae plurimum interest, in his quae temporalia bona sunt, matrimonium familiamque bene constitui, sed in iis etiam, quae bona animarum propria sunt dicenda: leges videlicet ferri iustas et servari fideliter, quae ad castitatis fidem et mutuum coniugum auxilium pertineant, propterea quod, historia teste, salus reipublicae et temporalis civium felicitas tuta esse et salva manere non potest, ubi fundamentum, quo ipsa innititur, rectus scilicet morum ordo, labefactetur, et vitio civium, obstruatur fons, ex quo civitas gignitur, matrimonium nimirum et familia.

Concorditer agendum cum Ecclesia.

Ordini autem morali servando, neque externae civitatis vires et poenae sufficiunt nec virtutis pulchritudo et necessitas hominibus proposita, sed accedat oportet auctoritas religiosa quae mentem veritate illustret, voluntatem dirigat et humanam fragilitatem divinae gratiae auxiliis confirmet, quaeque sola est Ecclesia a Christo Domino instituta. Quapropter ad concordiam et amicitiam cum hac Christi Ecclesia ineundam firmandamque omnes, qui supremam civilem potestatem habent, vehementer in Domino hortamur, ut consociata utriusque potestatis opera

et diligentia, immania propulsentur damna, quae, ex irruentibus in matrimonium et familiam procacibus libertatibus, tam Ecclesiae quam ipsi civili societati impendent.

Momentum sanctionis civilis effertur.

Summopere enim gravissimo huic Ecclesiae officio leges civiles favere possunt, si in praeceptis dandis rationem habeant eorum, quae lege divina et ecclesiastica statuta sunt, et poenis animadvertant in eos qui peccaverint. Nam non desunt qui, quod leges civitatis permittunt aut certe poenis non prosequuntur, id quoque aut sibi secundum moralem legem licere putent, aut, vel conscientia renitente, id opere exsequantur, quia nec Deum timeant nec ab hominum legibus quidquam sibi metuendum cernant; unde haud raro sibi ipsis et aliis bene multis pariunt ruinam.

E consociatione cum Ecclesia nihil est civitatis iuribus et integritati timendum.

Nec vero civitatis iuribus et integritati, ex hac cum Ecclesia consociatione, quidquam aut periculi aut deminutionis accidet, inanis est enim et vana omnis eiusmodi suspicio et timor: quod iam Leo XIII luculenter ostenderat: « Nemo autem dubitat, inquit, quin Ecclesiae conditor Iesus Christus potestatem sacram voluerit esse a civili distinctam, et ad suas utramque res agendas liberam atque expeditam; hoc tamen adiuncto, quod utrique expedit, et quod interest omnium hominum, ut coniunctio inter eas et concordia intercederet... Si cum sacra Ecclesiae potestate civilis auctoritas amice congruat, magna utrique necesse est fiat utilitatis accessio. Alterius enim amplificatur dignitas, et religione praeeunte, numquam erit non iustum imperium: alteri vero adiumenta tutelae et defensionis in publicum fidelium bonum suppeditantur » (98).

Exemplum recentis conventionis cum Italiae regno.

Atque ita, ut recens clarumque exemplum afferamus, secundum rectum ordinem et secundum Christi legem id prorsus evenit, quod, in sollemni Conventione inter Sanctam Sedem et Italiae Regnum feliciter inita, etiam quod ad matrimonia attineret, pacifica quaedam compositio et amica actio statuta est, ut gloriosam decebat Italicae gentis historiam ac vetustas eius sacrasque memorias. Et sane, haec in Lateranensibus Pactionibus decreta leguntur: « Civitas Italica, matrimonii instituto, quod est familiae fundamentum, eam dignitatem restituere volens, quae populi sui traditionibus congruat, Sacramento matrimonii, quod iure canonico regitur, effectus civiles agnoscit » (99); cui normae ac fundamento ulteriora dein sociatae conventionis capita adiecta sunt.

(98) Litt. Encycl., *Arcanum.*, 10 Febr. 1880.
(99) Concord., Art. 34: *Acta Apost. Sed* XXI (1929), pag. 290

Exemplo isto possibilis concors actio demonstratur.

Ea res omnibus exemplo esse potest et argumento, hac etiam nostra aetate (qua, pro dolor, civilis auctoritatis plenissima ab Ecclesia, immo vero ab omni religione separatio tam saepe praedicatur), posse alteram supremam potestatem cum altera sino ullo alterutrius iurium summaeque potestatis detrimento, mutua concordia et amico foedere, ad commune societatis utriusque bonum, coniungi et sociari, curamque de matrimonio ab utraque potestate haberi posse communem, qua perniciosa pericula, immo vero ruina iam imminens a coniugiis christianis procul arceantur.

Largam optat S. Pontifex documentorum suorum diffusionem.

Quae omnia, Venerabiles Fratres, vobiscum, pastorali sollicitudine permoti, attente perpendimus, ea inter universos dilectos filios vestris curis proxime commissos, quotquot sunt e magna Christi familia, secundum christianae prudentiae normam, large evulgentur atque illustrentur velimus, ut sanam de matrimonio doctrinam omnes plene noscant itemque pericula ab errorum praeconibus parata sedulo caveant, et maxime « ut, abnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie et iuste et pie vivant in hoc saeculo, exspectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi » (100).

Appellatio SS. Trinitatis, ut sint efficacia.

Faxit ergo omnipotens Pater, « ex quo omnis paternitas in caelis et in terra nominatur » (101), qui debiles corroborat et infirmis timidisque animum adicit; faxit Christus Dominus ac Redemptor, « venerabilium Sacramentorum institutor atque perfector » (102), qui matrimonium mysticam esse voluit effecitque imaginem suae ineffabilis cum Ecclesia coniunctionis; faxit Sanctus Spiritus, Deus Caritas, lumen cordium et robur mentis, ut, quae hisce Nos litteris de sancto matrimonii Sacramento, de mira Dei circa illud lege et voluntate, de erroribus et periculis quae imminent, de remediis quibus possit illis occurri, exposuimus, mente omnes percipiant, prompta voluntate assumant, Deique gratia iuvante in usum traducant, ut inde rursus florescat et vigeat in matrimoniis christianis Deo dicata fecunditas, fides illibata, inconcussa firmitas, sacramenti sanctitas et gratiarum plenitudo.

Apostolica Benedictio.

Quod ut Deus, auctor omnium gratiarum, a quo est omne *velle et perficere* (103), secundum suam benignitatem et omnipotentiam efficiat et largiri dignetur, dum enixas ad eius gra-

(100) *Tit.*, II, 12-13.
(101) *Eph.*, III, 15.
(102) *Conc. Trident.*, sess. XXIV.
(103) *Phil.*, II, 13.

tiae Thronum preces demisso animo admovemus, eiusdem Omnipotentis Dei copiosae benedictionis pignus, vobis, Venerabiles Fratres, et clero populoque assiduis vigilantiae vestrae curis commisso Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Dies (31 dec. 1930). Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXXI mensis Decembris anno MDCCCCXXX, Pontificatus Nostri nono.

PIVS PP. XI.

ANNOTATIONES.

I. **Encyclicarum litter. opportunitas et meritum.** — Feliciter regnans Pontifex, exsequendo consilium quod, iam antea conceptum, recentioribus eventis imminentis necessitatis demonstratum erat, magnificum in fine anni 1930 monumentum matrimonio erexit. Quanti autem sit momenti Encyclica epistola *Casti Conubii*, universalis commotio quam ipsa eius exspectatio excitavit fecit manifestum (1).

Humana autem mens, dum in ea meditanda delectatur, se sentit supra terrena sublimatam, versari in serena veritatis regione, in qua homo, suae dignitatis et divinae vocationis memor, magis puris spiritibus propinquat quam se ad brutorum studia deprimit.

Legant Encyclicam fideles, ut confortentur; eam legant qui fallacibus insaniis seducti a virtutis tramite declinarunt, ut citato passu in rectam viam se recipiant; eam legant corruptores legum coniugii, ut suas perversas artes erubescant et confundantur; eam legant laici, ut sanam doctrinam bibant; eam legant ministri sacri, ut, omni deposita formidine, immutabilia morum praecepta, nullo dissimulato, proponant et firmiter inculcent; legant eam moralistae, ut genuinis principiis

(1) Non solae ephemerides catholicae, verum etiam aliae litteras nuntiarunt et divulgarunt; immo, impatientes ephemeridum americanarum directores, collata opera curarunt ut tota Encyclica sibi via telegraphica submarina ex integro transmitteretur, ita ut eadem die et in Urbe et in civitate Neeboracensi legi potuerit. Telegramma istud constitit 60000 lit.

consentaneas conclusiones pronuntient et propagent; legant eam catholici ut superbi sint de sua Ecclesia, magistra veritatis; legant eam acatholici, ut agnoscant se — bona, ut speramus fide, — adhaerere deminutae religioni quae quo magis senescit eo magis labefactatur. Nunc multorum votis concupitum moralem matrimonii Codicem tenemus, in quo etiam istud mirabile observare possumus, quod Pontifex simul tam clare et tam caste argumentum ex parte salebrosum volvere noverit.

II. **Divisio Encyclicarum litterarum.** — Litterae *Casti Conubii,* post Prooemium tres magnas Partes complectuntur.

Prima est de matrimonii bonis. Hic, vestigia S. AUGUSTINI premens, Pontifex ordine disputat de tribus bonis propter quae nuptias bonas esse Augustinus tradebat, et quae, ut scribit SS. Dominus, totius de christiano conubio doctrinae summam continere iure dicuntur (1): proles, fides, sacramentum.

Altera perversionibus quibus matrimonium hodie lacessitur est dicata tota.

Tertia, quaenam remedia tot malis praesentibus opponenda sint, additis rationibus nos docet.

III. **Propositum nostrum.** — Cum notis marginalibus summarie de encyclica epistola rettulerimus, commentarii nostri huc potissimum niti debere videntur, ut distincte memorent et illustrent, dissipatis etiam occurrentibus dubiis vel solutis quaestionibus, aurea documenta quae Pontificio tractatu de matrimonio in universum et potissimum de matrimonio christiano continentur. Quod de singulis partibus et locis, pro viribus, praestare conabimur.

---

(2) Cfr litteras enc. initio primae partis.

De Prooemio

In Prooemio suo Pontifex, postquam demonstravit quam opportune per Episcopos omnem Christi Ecclesiam immo « humanum genus universum » de matrimonio alloqueretur, in primis priores encyclicas litteras *Arcanum* quas 10 febr. 1880 de matrimonio dedit Leo XIII, suas fecit et confirmavit, atque adhuc plenam vim retinere *authentice* declaravit.

Subinde haec tria docere incipit:

1. *Nullum, sine utriusque sponsi consensu matrimonium* contrahi potest. Quod etiam habemus e canone 1081, § 1 Codicis I. C.: « Matrimonium facit partium consensus inter personas iure habiles legitime manifestatus; qui nulla humana potestate suppleri valet ».

Dum autem Pontifex addit « sine libero consensu », omnem coactionem quae actum humanum impediat, profecto excludit. An etiam consensum vere sed ex metu datum? Sane novimus iure saltem ecclesiastico, matrimonium omni vi gravi consensui illata irritari. An etiam iure divino, id controvertitur. Nec censendus est S. Pontifex obiter prolatis verbis controversiam istam supprimere voluisse.

2. Quia matrimonium est divina institutio, *consensus* in matrimonium *efficax* esse *nequit nisi feratur in matrimonium quale Deus instituit,* id est, cum proprietatibus quas Supremus ordinator voluit esse essentiales.

Allegantur porro Angelici Doctoris verba de consensu *expresso*, idque non inutiliter, quia solo interno consensu contractus non perficitur, ita ut si formula vitiata expresse reddatur, nullum efficiat matrimonium, quin de praevalente voluntate interna sermo esse queat.

Lemma. Ex ista veri consensus necessitate, et obstaculo quod non nullae condiciones vero matrimonio creant, consequens est, propter fictionem vel quasdam appositas condiciones, si demonstrentur, plura matrimonia etiam in foro exteriore ruere debere. Verum nonne hac ratione hominibus parum religiosis vel timoratis, via aperitur sibi comparandi aditum ad alias nuptias, si quando priores nuptias ipsi fastidierint?

Detestandas istas artes adhiberi posse non est negandum. Sed severitate legum quae fictiones et fraudes istas gravibus poenis sanciant frequentia abusus non ita difficulter praeverti potest.

3. Quia facultas iungendi matrimonii ipsam naturam proxime consequitur, *potestas publica* turpia quidem coniugia punire, coercere potest, *optionem* autem *matrimonii vel coelibatus directe tollere nequit.*

De Prima Parte, seu de matrimonii bonis.

De primo Bono, seu Prole.

De Bono Prolis haec pronuntiantur:

1. Est, teste S. Scriptura, primum matrimonii bonum. Quanti autem faciendum sit, inde perspicitur quod procreare hominem est generare: *a)* Creaturam inter visibiles praestantissimam; *b)* Cultorem Dei, et, si christianus, *c)* Subolem Ecclesiae, *d)* Vivum Christi membrum.

Hominis autem generatio non nativitate sed educatione completur, cui optime prospicitur per parentes insolubili nexu inter se coniunctos.

2. Ut canon 1013, § 1, declarat: Matrimonii finis primarius est procreatio atque educatio prolis.

3. Ex utriusque autem muneris praestantia et momento, iam colligitur usum facultatis ad procreandum datae intra sacros conubii limites esse omnino continendum.

De altero Bono, seu Fide.

1. Praecise et nervose edocemur quae tria, in contractu coniugali implendo fides seu fidelitas *negative* seu *prohibendo* complectatur: ne coniugi debitum negetur; ne alteri concedatur; ne ipsi coniugi concedatur quod divinis iuribus et legibus est contrarium.

Etiam postremum istud Pontifex pronuntiat « a fide coniugali maxime alienum ». Huius pronuntiati eam rationem damus, quia per istum abusum mutua committitur vinculi matrimonialis violatio quam partium consensus auferre nequit, sicut voluntaria mutilatione violatur corpus, nec, propter coniugis consensum, adulterium in simplicem fornicationem reducitur. (Cfr. Prop. 50 inter eas quas Innocentius XI, 2 mart. 1679, ut minimum tamquam scandalosas reprobavit. Denz. - Bahn. n. 1200).

2. Inde sequitur inviolata nunc, post Christum, lex *unitatis,* qua omnis polygamiae vel polyandriae forma damnatur. Id ex Christi verbis, ex constanti Ecclesiae modo sive docendi sive agendi, et ex sollemni S. Tridentinae synodi professione S. Pontifex colligit.

S. Pontifex repudiatam dicit formam « sive successivam sive simultaneam » polygamiae vel polyandriae. Successiva, hoc loco intellegenda est quae, consistente priore valido vinculo, attentaretur.

Usus vocis « successivae » ad designandam polygamiam qua quis, non exspectata prioris vinculi dissolutione, plures viventes uxores succesive tentat, quamvis rarior, non est tamen sine exemplo. Ita, 14 ian. 1806, *S. C. de Propaganda Fide* declaravit facultatem dispensandi cum neophytis polygamis, « polygamiam etiam successivam complecti » *(Coll. de Pr. Fide,* I, n. 685).

3. Eadem divina et Christi lege, — sic docemur — quodvis inhonestum opus, voluntariae cogitationes (1) et desideria de inhonestis actibus damnantur, ut ipsa familiaris coniugum consuetudo nota castitatis insigniatur.

II. Verum, praeter ea quae prohibet, *Fides* coniugalis etiam *plura positive requirit.*

1. In primis et tamquam principatum nobilitatis tenens, postulat veram, mutuam dilectionem caritatis, non carnali et fugaci inclinatione innixam, non verbis contentam, sed operosam, idque non tantum per mutuum auxilium in praesentibus rebus, sed etiam per mutuum studium profectus spiritualis: in quolibet enim statu seu condicione, homines Christum imitari et ad summum christianae perfectionis fastigium pervenire debent.

Quare S. Pontifex duplicem matrimonii rationem esse profitetur: alteram strictiorem, qua proli rite procreandae et instituendae matrimonium destinatur, alteram, latiorem, quae dicit totius vitae communionem, consuetudinem, societatem. Sic intellecti matrimonii primaria causa et ratio, praeeunte *Catechismo Romano,* 2, 8, 13, dici potest mutua coniugum interior conformatio et assiduum se mutuo perficiendi studium.

Verissima ista probe intellegenda sunt ne ansam pravae conclusionis praebeant. *Latior* matrimonii ratio quae hic ut magis « comprehensiva » seu extenta accipi debet *strictiorem* non excludit sed eam supponit et sine ea esse nequit. Etenim vitae communio sine mutua corporum traditione non foret matrimonium, concepta autem ut a recto traditae personae usu dispensans, foret perversio matrimonii. Scilicet res se hoc ordine excipiunt. Ipsa traditio, maxime si sit foecunda, inducit iam intimam communionem, mutuam coniugum conformationem, et honeste facta inclinat ad assiduum se mutuo perficiendi studium. Quod bonum iam in se magni pretii etiam pro sociali

(1) Intellegas carnaliter delectantes.

convictu, valore magnopere augetur, ex quo inter christianos unionem Christi cum Ecclesia repraesentat. Et sic ut primarium intentum haberi potest. Ne igitur fine isto putes excusari posse innaturales matrimonii usus. Ceterum male quaesita voluptas interiorem conformationem minime iuvabit, cum potius uxores minore existimatione mutua separet, et frequens causa sit divortiorum; et quo pacto servare posset mutuum se perficiendi studium ?

2. Caritate ista officia quoque iustitiae implentur.

3. Caritas ista ordinata esse debet. Ordine isto, vir praeest et mulier est viro subdita; sed subiectione honesta et nobili, quae intacta esse sinit iura personae, iura matris, ac solam nimiam licentiam vetat. Ceterum obtemperatio ista gradu et modo pro variis adiunctis varia esse potest; immo ad uxorem pertinet ut mariti neglegentis vel incapacis vices in dirigenda familia suppleat.

Verum haec familiae structura, divinitus constituta, prorsus intangibilis praedicatur.

De tertio Bono seu Sacramento.

Ab initio tertii Boni seu Sacramenti, haec duplex traditur notio, qua tum *indissolubile vinculum*, tum *signum efficax gratiae* designat.

1. *De vinculi stabilitate.*

a) Firmitatem divinitus inviolabilem, ad omnia vera coniugia pertinere docemur, propter verba Domini, dicta de prototypo omnis coniugii, i. e., de protoparentum conubio. Libellum enim repudii Christus revocavit. Quocirca, ut Pius VI ad Agriensem Episcopum rescripsit, nec valide iniri nec retineri potest matrimonium sine perpetuo nexu contractum.

b) Non eadem tamen est omnium coniugiorum *firmitas*. Gradu minor est in coniugiis inter infideles, et in mere ratis matrimoniis christianorum. Exceptiones autem istae non a iure humano, sed a divino proficiscuntur; eiusque iuris custos et interpres est Christi

Ecclesia. Nullus autem exceptioni locus est in matrimoniis ratis et consummatis.

Intima huius perfectae firmitatis ratio, in mystica christiani conubii significatione reperitur, quia coniugium inter fideles consummatum perfectissimam et numquam dissolutum iri coniunctionem Christi et Ecclesiae plene refert.

c) Indissolubilitatis Bona. Coniugibus dat certum perennitatis signaculum, quod personae propriae traditione et intima animorum coniunctione, naturaliter exigitur (1). Firmum est propugnaculum contra infidelitatis incitamenta. Quietam dat utrique coniugi certitudinem possessionis in rebus adversis et senectute. Coniuges monet de altiore, quam forent res caducae et cupiditas, consortii causa quod sola morte solvitur, et ita coniugum dignitati et mutuo auxilio indissolubilitas aptissime providet.

Liberorum tuitioni et diuturnae educationi optime unitis parentum viribus indissolubile vinculum consulit.

Ipsi *hominum consortio* honestam vitam, integros mores procurat; servatus autem moralis ordo salvam et felicem efficit rem publicam.

2. *De propria Sacramenti ratione.*

a) Christus coniugum amorem perfecit, indissolubilem unitatem confirmavit, coniugesque sanctificavit, dum matrimonium ad Sacramenti Novae Legis dignitatem evexit.

b) Et dum ipsum consensum voluit esse efficax gratiae signum, effecit ut ipsi coniuges christiani sibi alter alteri sacramentum ministrarent, nec valide matrimonium, quin sit sacramentum contrahere possent.

c) Gratia sacramenti, praeter augmentum gratiae sanctificantis, peculiaria addit dona; et ius confert ad actualia gratiae auxilia impetranda.

---

(1) Huc Pontifex appellat verba Apostoli, 1 Cor., 13, 8; « Caritas numquam excidit ».

Operae pretium est ipsa verba Enc. exscribere quibus gratia sacramenti describitur.: « Non solum permanens vitae supernaturalis principium, gratiam scilicet sanctificantem, auget, sed etiam peculiaria addit dona, bonos animi motus, gratiae germina, naturae vires augendo ac perficiendo ut coniuges non ratione tantum intellegere, sed intime sapere firmiterque tenere, efficaciter velle et opere perficere valeant quidquid ad statum coniugalem eiusque fines et officia pertinet; ius denique iis concedit ad actuale gratiae auxilium toties impetrandum, quotiescumque ad munera huius status implenda eo indigent ».

Verba haec quaestioni locum dant de formali significatione istorum verborum, seu de intentione Pontificis in hac descriptione. Quam sic reddere posse putamus. Notum est in theologia sacramentorum, sacramenta, praeter gratiam sanctificantem sive primam sive augendam, conferre auxilia actualia in particulares sacramentorum fines (1). Quaenam in statu coniugali postulentur, haec S. Pontifex distincte enumerare voluit, ut maiorem sacramenti existimationem gigneret. Quia autem etiam receptum est, alias gratias dari non petentibus, alias vero, maiores, minus consuetas, non dari nisi petentibus, atque in matrimoniali statu condiciones difficillimae adiunctorum interdum occurrunt, Pontifex docet saltem praesto semper esse gratiam orandi et ius ad impetrandum divinum subsidium quo omnis difficultas superetur.

Verum gratia matrimonii plene non operabitur sine docili coniugum cooperatione. Rebelles tamen seu adulteri, vinculo se spoliare nequeunt, quod, propter reiectam gratiam, ipsis tunc causa est gravioris reatus.

---

(1) Omittimus hic quaestionem de relatione inter gratiam sanctificantem et istas gratias actuales. De qua re, videsis LA TAILLE, *Mysterium Fidei*, Excidatio XLVIII, p. 583. 584. Fusiorem expositionem gratiae sacramentalis exhibet DE SMET, *De Sacramentis in genere*, n. 71-76.

De altera Parte seu impugnato matrimonio.

Generaliora.

In primis, quasi generali conspectu, S. Pontifex deplorat tot vias quibus omni hominum generi venenum falsae doctrinae de matrimonio instillatur, sive ab iis qui « ad extrema.... indomitae libidinis consectaria devehuntur », sive etiam ab iis qui saltem aliquid contra divinae naturalisque legis praecepta nostris temporibus concedendum putant. Pastor gregis Christi se muneris necessitate astrictum experitur, ut vocem etiam importune attollat et, vel invitus, flagitia satis distincte denuntiet et damnet.

Subinde, altam et communem malorum radicem esse declarat abiudicatam a matrimonio divinam originem et sacramenti rationem: qui error, etiam in priore Parte refutatus, perniciosissimus demonstratur consectariis quae inde prono alveo fluunt: quod leges et mores de matrimonio sint mutabiles; quod generativa vis etiam extra matrimonium exerceri possit, cum ex ipsa eius natura latius quam matrimonium pateat.

Hac utens occasione, Pontifex insectatur tria moderna inventa: matrimonium *ad tempus,* v. g. trimestrale, quod in magna civitate usurpari nobis relatum est, vel in annum aut in tres annos, quod proponebatur nigritis pro tempore quod in exercendis metallis insumendum habebant; matrimonium ad *experimentum,* quod, v. g. attentari possit ut uxor si foecundam probet; matrimonium *amicale,* quod v. g. in certis partibus Germaniae floret vel potius saevit, et, deturpato honesto amicitiae nomine, omnem coniugii usum, sine vinculo et exclusa prole fieri sinit. Atque ad haec turpia plures velint ut leges et publica populi instituta aptentur!

[1]

Specialia.

Machinationes infensae primo bono seu proli.

I. Primo hic deploranda nobis est magis in dies grassans pestis neomalthusianismi, quae prolem studiose, vitiato naturae actu, arcendam statuit: sive ut voluptatem sine onere gustent, sive excusent impotentiam continentiae, difficultates proprias, matris vel rei familiaris.

Quas omnes excusationes simul Pontifex retundit pronuntiando onanismum esse intrinsece inhonestum, quia ipsi naturae adversatur. Quod hac brevi ratione efficit: per istum abusum, naturali sua vi et virtute industriose destitutus exercetur actus qui sua natura proli generandae est destinatus. Atque in ipsa inspirata Scriptura rem ut Deo odiosam exhiberi testatur S. Pontifex, afferens locum quo ipse S. AUGUSTINUS usus est. Locus autem iste stricte valet ut substat receptae in Ecclesia interpretationi. Secluso enim hoc interpretationis subsidio, cum Onan isto agendi modo legem frustrare intenderit qua fratri suo prolem excitare iubebatur, ambigi poterat sub quonam respectu actus Deo odiosus diceretur.

Quod e Scriptura collegit, quod ratione firmavit, S. Pontifex vult etiam *infallibili* sententia sua in aevum sancire.

Infallibili, inquam, sententia. Etenim *a*) Non tantum praeposita inscriptione qua ad omnes totius Ecclesiae Ordinarios locorum dirigitur, sed in ipsa encyclica epistola S. Pontifex explicite profitetur se per Ordinarios Ecclesiam universam immo totum genus humanum alloqui (cfr Prooemium). — *b*) Versamur in declaranda veritate circa mores. — *c*) Sollemnibus verbis protestatur Ecclesiam catholicam per os suum loqui. — *d*) Munus istius

Ecclesiae docendi et defendendi morum integritatem et honestatem formaliter appellat. — *e*) Ecclesia ista, sic Pontifex, « in *signum legationis suae divinae*, — *f*) Altam per os Nostrum extollit vocem atque denuo *promulgat* » (ergo per modum legis) « quemlibet matrimonii usum, in quo exercendo, actus, de industria hominum, naturali sua vitae procreandae vi destituatur, Dei et naturae legem infringere, et eos qui tale quid commiserint gravis noxae labe commaculari ».

Itaque, ut vim oraculi enucleemus : *a*) « Quemlibet usum » intellege quo complete actuatur saltem alterutrius coniugis facultas. Deficiente completa actuatione, actus naturalem procreandi vim non haberet — *b*) « De industria hominum », seu positivo artificio; minime igitur si, ob ignotam vel notam causam sterilitatis, sive ex subiecto, sive ex tempore quo usus fit coniugii, nulla proles generetur. — *c*) « Dei et naturae legem », ita ut non positiva tantum Dei lex, sed etiam naturale vetitum agnoscendum sit. — *d*) « Et gravis noxae labe », ita ut abusu isto mortale peccatum committatur. — *e*) Quia autem naturale vetitum cadere dicitur in quemlibet matrimonii usum ibi descriptum, usus iste pronuntiatur *intrinsece* illicitus. Ceterum paulo ante in § « At nulla profecto ratio, etc. » ipse Pontifex hanc declarationem edidit: « ita matrimonio utentes contra naturam agunt et turpe quid atque intrinsece inhonestum operantur ». Et paulo post, in § « At cavendum » dicta sic confirmat: « Nullae enim exsurgere possunt difficultates quae mandatorum Dei, actus, *ex interiore natura sua malos,* vetantium, obligationi derogare queant ».

Quaeret quispiam cur S. Pontifex minus usitata forma utatur, cum definitionem, potius quam directe sibi, Ecclesiae per os suum loquenti imputet. Ni fallimur, ratio haec afferri potest, quod sollemne oraculum explicite iis opponit qui « a christiana doctrina, iam

inde ab initio tradita, neque umquam intermissa recedentes, aliam nuper de hoc agendi modo doctrinam sollemniter praedicandam censuerint », i. e. Episcopis Anglicanis qui, numero 307 in palatium Lambeth (Londini) convenerant et qui, 195 suffragiis contra 63, istius immemorabilis traditionis non ignari, casum finxerunt in quibus procreatio esset illicita et remedium continentiae adhiberi non posset, et ideo artificiosam frustrationem excusandam esse existimarunt (1).

Iam vero relatores conventus anglicani qui se ad Ecclesiam catholicam pertinere contendebat, dum avitam traditionem non negabant, observabant tamen prohibitionem nullo Concilio universali edictam esse. Sollemne igitur Ecclesiae iudicium ipse S. Pontifex pronuntiare volens, simul monet, ad tramitem can. 1323 § 2 (2): sollemne huiusmodi iudicium pronuntiare proprium est tum oecumenici Concilii tum Romani Pontificis ex cathedra loquentis.

Inter ipsos catholicos sacerdotes non deerant qui, ut severitatem emollirent, valde perspicuam declarationem adhuc desiderari obiciebant (3). Sua nunc declaratione Pontifex his quoque os praecludit.

Verum, praeter dubitationes speculativas, longe frequentius observatur remissior actio confessariorum, qui timentes inutilem bonae fidei eversionem et derelictionem sacramentorum, vel prudentem paenitentium interrogationem omittebant, vel delictum accusantes verbis ambiguis plus minusve securos reddebant, vel haerentium quaestiones callide declinabant (4).

---

(1) Cfr in *Nouvelle Revue Théologique*, dec. 1930, disputationem nostram: *La Conférence de Lambeth et la morale du mariage.*

(2) Canon quidem de definitione fidei loquitur; verum prorsus valet de veritate morali definienda.

(3) Cfr in HOCHLAND mensis iunii 1930, disputationem sacerdotis catholici LAROS: *Revolutionierung der Ehe.*

(4) Hos palam denuntiavit PAUL BUREAU in opere « L'*indiscipline des moeurs* ».

Quare S. Pontifex, pro suprema sua auctoritate et cura salutis omnium animarum, gravibus et firmis verbis has normas tradit, ut ministri sacri, *a)* se immunes ab errore servent; *b)* nullis falsis opinionibus conniveant; *c)* positive curent ut sibi commissi fideles veritatem noscant.

Non vult enim S. Pontifex — sic eius mentem interpretari nos posse arbitramur — :

Ut diutius in libris de hodiernis moribus, scriptores, etiam catholici, infirmitatem confessariorum qui impotentes sint ad moralia Evangelii praecepta urgenda, denuntiare et deplorare possint;

Non vult ut, propter istam timiditatem, Ecclesia catholica speculativam rigiditatem practicis cum malo morali compromissis coniungere existimari possit: ut non obscure relatores conventus Lambeth insinuarunt;

Non vult ut fideles minoris faciant religionem quae nihil aut pauca tantum ab ipsis exigere audet;

Non vult ut confessarii existiment innocuas esse actiones naturali legi contrarias, si sine peccato formali exerceantur;

Non vult ut, nimis solliciti de servando qualicumque sacramentorum usu, potius habeant multos numerare christianos, quam multum in christianis cernere christianismum. « Si sal evanuerit, in quo salietur »?

Itaque fidenter agendum est. Num ideo omnis casus excludendus est quo confessarius, tuta conscientia, prudenter silere possit? Certe omnes et singulos casus attingere generali sua directione, S. Pontifex non cogitavit. Exceptioni cuipiam locus esse potest, ut si, secluso omni scandalo, vera bona fides cum adiunctis difficillimis periclitantis matris coniuncta, non videatur esse turbanda.

Verum nulla bona fides admittenda est in illo qui, doctrinam Ecclesiae cognoscens, suo iudicio adeo fidit ut Ecclesiae doctrinae normas suas praeponat.

Hactenus dicta sufficere poterant. Quo tamen efficaciora sint eius praecepta, S. Pontifex singulas causas seu allegatas excusationes abusionis attingere annuit, ut singulas vel retundat vel apte temperet.

Ac turpes quidem praeteriens, Supremus Pastor:

1. *Matri periclitanti,* cuius tamen discrimen insinuat non raro verbis esse amplificatum, vere paterne compatitur, sed simul magnificum heroicae virtutis praemium effert.

2. Subinde, varios casus secernendo, ut ipsa dicendi moderatione et diligentia maiorem sibi auctoritatem conciliet, S. Pontifex:

a) Alterum coniugem excusat qui, invitus, peccatum potius patitur, ac perversionem recti ordinis, cuius alter solus reus sit, ob gravem causam permittit, alterum tamen a peccando removere conando.

Verum hic legenti confusio quaedam vitanda est, quasi ipsa permissio semper licita sit. Ex ipsis documentis Pontificiis, quae Pontifex nec repetere debebat neque abrogare intendit, materialis illa cooperatio tunc solum licita fit cum bene inchoatus actus sola alterius culpa non perficitur; sed eadem graviter culpanda foret, si actio ab initio artificiose vitiata esset. (Cfr responsa S. Paenitentiariae 3 april. et 3 iun. 1916 in nostro opere *De Castitate,* ed. 2, n. 263; vel apud MARC, *Institutiones Alphonsianae*, 1917, T. 2, n. 2116 et 2117, ubi primum prodiere.)

b) Monet eos non agere contra naturam qui, servato recto actionis ordine, norunt, sive ex diebus quibus fit, sive ex naturali corporis defectu prolem non esse nascituram, quia, salva intrinseca actus natura, ideoque debita ad primarium finem ordinatione, fines secundarii matrimonii intendi possunt.

3. Communis omnium fidelium Pater non negat se percelli coniugum egestate qui in alendis liberis gravissimam difficultatem experiuntur; sed hoc ratum

et fixum esse vult, ob nullas difficultates obligationi vitandi quae ex interiore sua natura sunt mala, derogari posse; ac semper coniugibus praesto esse gratiam qua suo munere fideliter fungi et se a labe onanismi praeservare possunt. Quam doctrinam Concilio Tridentino et damnatione haeresis Ianseniana propositam esse confirmat.

4. Graviter peccant qui, vitiato actu, obtinent ut nulla concipiatur proles; gravissime peccant qui conceptae prolis vitam attentant.

Errores prius retexens, S. Pontifex memorat tum illos qui rem istam beneplacito parentum permittunt, tum illos qui eam tantum ob graves causas, id est, ob *indicationes* medicas, sociales, eugenicas licere contendunt. Omnes autem isti exoptant ut leges suis placitis accommodentur. Immo non nulli postulant ut magistratus publici letiferas sectiones positive iuvent: « quod alicubi quam frequentissime fieri omnibus notum est ». Re vera res publica Russiaca in urbe principe Mosca, Institutum condidit ubi cuilibet feminae volenti foetus perimitur. Quotannis ibi circa 30.000 abortus exercentur (1).

Atque iterum a matre incipiens, Pontifex denuo manifestat quantum matris periclitantis misereatur; sed principium est, nulla causa directam innocentis necem excusari posse: sive de matre, sive de prole agatur. Nec ulla potestati publicae facultas est istud permittendi vel operandi.

Ius enim gladii in solos reos valet; iniustus aggressor nullus est; et nullum necessitatis ius usque ad directam innocentis occisionem pervenire potest. Hac ratione, S. Pontifex simul sueta obiecta confutat.

---

(1) Fas est et ab hoste doceri. Medicus Rector istius Instituti de sequelis istius sectionis nos accurate certiores facit. Inde novimus quantum ipsi crudeli matri sint damnosae.

Re vera nullum esse aggressorem iniustum patet consideranti, non ideo quempiam fieri iniustum quia propter locum quem sine iniuria occupat vel propter vitalem suam actionem simul causa est cur alius moriatur. Nulla autem iniusta actio foetui obici potest. Bene praeterea tenendum est principium a S. Pontifice enuntiatum: nullum necessitatis ius ad directam innocentis occisionem pertingere posse.

Quaeret quispiam, quaenam occisio pro directa haberi possit.

Directa est quae sive ut finis intendatur sive ut medium eligatur. Indirecta vero est quae neque intenditur neque eligitur, sed mere sequi permittitur ex actione tamquam alter effectus qui impediri nequit neque efficaciae bonae est utilis. *Signum* porro necis *indirectae* istud est, quod actio aequaliter fieret, remedium aeque adhiberetur, sive esset sive non esset foetus. Sit hoc exemplum: Uterus tam est morbosus ut excidi debeat neque ablatio differri queat. Imperata excisio eodem modo exerceretur sive contineat sive foetum non contineat. Si autem gravidus fuerit, eius ablatio simul expulsionem foetus secum trahet: sed haec erit indirecta.

Itaque, etiam in summo matris discrimine quae cum ipso foetu interitura esset nisi foetus auferretur, abortus quo soli matri consuli possit directus manet et proin intrinsece illicitus, etiam si solo abortu una vita servari possit. Namque etiam tunc valet istud: Non occides! Hic saepe plures fugit distinctio mortis sine opera humana evenientis et occisionis. Medicus qui, in isto extremo discrimine, abortu abstinet neminem quidem salvat, sed neminem occidit; contra, procurando abortum, matris saluti consuleret sed per foetus occisionem seu per reatum homicidii.

Severissimis Augustini verbis tum vitiatus actus coniugalis tum abortus reprehenditur.

Neque ulla eugenica indicatione abortum excusari

posse, Pontifex eadem ratione demonstrat, allato principio: « Non sunt facienda mala ut eveniant bona ».

Magistratus porro, quorum non nulli actionem appellant, SS. Dominus nervose monet ipsorum esse ut vitam innocentium tueantur, non autem ut per leges seu decreta eorum occisioni cooperentur. Deum sanguinis effusi ultorem timeant, qui, in non uno loco, propendent ut a delicto abortus therapeuticum abortum expresse excipiant.

Quia ad prolis bonum vera ratione refertur quoque naturale ius hominis ad matrimonium, reprobatur etiam iste eugenismus qui, ne hereditarii defectus transmittantur, contendit ut matrimonium pluribus lege prohibeatur, vel plures medicorum opera naturali procreandi facultate priventur.

Reprobatur, inquam, quia, cum familia sit Statu sanctior, ius familiam condendi nulli innocenti eripi potest; et quia in membra civium Status nullam habet potestatem directam, quae ab ipso homine in proprium corpus est abiudicanda.

Simul, attento fine supernaturali hominis, docemur, eos non graviter peccare qui coniugium contrahunt ipsis tamen dissuadendum; ac tum ex ipso rationis lumine, tum ex Ecclesiae doctrina constare nullatenus licere ut quis mutilatione vel alia via se ineptum ad certas functiones efficiat, nisi quando bono totius corpori aliter provideri nequeat.

De acceleratione partus. Dum abortum directum reprobat, S. Pontifex nullo pacto damnat accelerationem partus quae iustis ac proportionatis causis imperetur, et fiat, ut a Suprema Congregatione S. Officii (4 maii 1898 ad II) « eo tempore ac modis quibus, ex ordinarie contingentibus, matris et foetus vitae consulatur ».

Hodie, ope cuiusdam specialis machinae incubantis, *quidam* (pauci) foetus *semestres* servari possunt. Regulariter, ut vitalis edatur, per septem mini-

mum menses foetus corpore matris foveri debet; nec sine speciali periculo ante 34 hebdomadas expellitur.

Itaque, nisi mors matris immineat, ut foetus vitae consulatur, exspectandae sunt 34 hebdomadae seu septem menses et duae hebdomadae. Prout matris periculum magis vel minus urget, quia ipsius foetus interest ut a matre alatur, eum licebit, considerato periculi gradu, iam citius extrahere ita tamen ut saltem sit semestris, et curando ut adsit medium eum artificiose incubandi. Ipsius enim matris vitae etiam consulendum est.

Dum autem aeque sacram pronuntiat utriusque, matris et infantis, vitam, Papa repudiat istas collationes quibus quidam medici interdum pro matre, interdum pro prole, quasi sententiam dicerent, ita ut si optio matri faveret, prolem vel craniotomia vel directo abortu, quasi poena capitali, perimerent. Sed nulla optio ipsis linquitur, nisi ut utriusque vitae consulant. Nec si, servata ista norma, accidat ut ambo pereant, neutra tamen mors ipsis imputari poterit.

Verum fit ut leges civiles hic etiam cum naturali parum concordent. Non tantum magistratus nullam poenam medico infligent qui, propter indicationes medicas, foeticidium vel directum abortum commisit, verum etiam, expressa sanctione tales abortus pro legitimis pronuntiant; immo poena civili plectunt medicum qui, in extrema necessitate, non fecerit abortum quo mater salva fieri poterat.

Meminerint, sic Pontifex, Deum esse sanguinis vindicem; sanguinem innocentis de terra clamare ad caelum.

De Eugenismo. Eugenismi nomine veniunt studia istius scholae quae humanum genus magis valetudine et viribus florens parare intendit, quo felicius dies praesentes agat.

Salubria eugenismi consilia, ut Enc. litterae con-

cedunt, per se non sunt improbanda; sed negant eugenismum pro fine alia bona sibi subordinante haberi posse; negant magistratibus inesse facultatem privandi etiam non reos facultate generandi; negant gravi culpa taxari posse qui, capaces, coniugium contrahunt, saepe tamen iis dissuadendum, quia non possint nisi mancam gignere prolem.

Cur non sunt graviter culpandi? Quia, sic Pontifex, homo non terrae sed caelo generatur, ubi etiam miser aeternum beatus esse poterit.

Cur saepe dissuadendum ipsis est matrimonium? Quia sana prole temporale societatis bonum melius obtinetur, et homini pervius est nobilior status casti caelibatus.

Cur non semper dissuadendum est? Quia, propter vim concupiscentiae, caelibatus obstat virtuti plurium, de quibus Apostolus dixit, « melius est nubere quam uri » (1), et ipsius societatis magis interest puros vigere mores.

Porro, ex prioritate familiae prae Statu, Pontifex a civili potestate ius abiudicat *directe* matrimonium prohibendi. Directe, inquam, non indirecta ratione qua sontes et etiam ob insaniam vel morbum aliis periculosi, ab antiquo iam tempore domibus concludi consueverunt.

Negat, ut vidimus, etiam omne ius potestati publicae directe laedendi corpus personae innocentis (v. g. mutilatione) in quod ipsa persona perfectum dominium non habet.

Machinationes infensae alteri bono, seu fidei.

In exponenda hostili fidei matrimonialis impugnatione, notabilis est ampla Pontificis comprehensio, quando nos docet in fidem peccari tum per peccata

(1) 1 Cor. 7, 9.

contra prolem, tum per actus contrarios castae fidelitati, honestae uxoris obtemperationi, germanae inter utrumque coniugem caritati. Scilicet, ut etiam, dum de isto fidei bono disserebat, nos docebat, fides non tota consistit in negativo officio vitandi adulterii, sed positive postulat ut quod coniugi debetur id alter alteri praestet.

1. Itaque damnanda primo est *libidinosa amicitia* quae, ut instinctui sexuali plenius satis fiat, vitando tamen prolem, cum altera persona iungatur: propter quod velint etiam leges poenales reformari quae fidem coniugalem sanciunt. Istis commentis Pontifex firmiter opponit absolutum Christi vetitum: « Non moechaberis ».

2. Dein respuitur triplex sic dicta *mulieris emancipatio, socialis,* qua uxor, neglectis curis domesticis, suo ingenio indulgeat officiisque etiam publicis addicatur; *oeconomica,* qua, repugante etiam viro, uxor sua negotia libere habere et gerere, etiam posthabita familia, possit; *physiologica,* qua, pro arbitrio suo se turpiter ab oneribus coniugalibus vel maternis liberet.

Advertendum hic est, nullatenus a Pontifice reprobari participationem rei publicae mulieri permissam, vel regimen matrimoniale in quo uxor proprii patrimonii administrationem servet; sed, iure quidem et merito, excluditur huiusmodi participatio vel administratio quae fiant despiciendo et violando vitae coniugalis sacra officia.

Adulterina autem aequalitatis ratio ipsi uxoris dignitati adversatur eique veterem paganismi servitutem minatur.

Verum aequalitatem iurium in opere coniugali exercendo Pontifex, post S. Paulum (1) praedicat, et minime negat obtemperationem ad adiuncta temporum et personarum exigi posse et debere.

3. Eam recentem sed prorsus falsam coniugii ra-

(1) I Cor. 7, 4.

tionem SS. Dominus penitus repudiat, qua essentia coniugii in caeca quadam sympathia ponatur, ita ut cessante ista animorum convenientia, ipsum coniugium dissolvatur.

Machinationes infensae tertio bono, seu sacramento.

1. Tertium bonum matrimonii Pontifex maxime nobis renuntiat impugnatum vera *coniuratione ponendi matrimonium inter res profanas.*

Ut mentem Pontificis bene assequamur, sedulo distinguere debemus negationem formalem religiosae naturae matrimonii et instituta concreta quae per se sunt ambiguae significationis.

Omni matrimonio Pontifex, placitis LEONIS XIII inhaerens, naturam sacram vindicat, maxime autem matrimonio inter christianos contracto. Quod belle efficitur tum gentium traditione, tum verbis LEONIS XIII quibus matrimonium declaratur fuisse a principio quandam Incarnationis Verbi Dei adumbrationem, tum ex divina matrimonii origine, tum ex fine procurandi Deo subolem et Deo addicendi amore mutuoque auxilio ipsos coniuges; tum ex naturali coniugum officio, quo « parentes divinae omnipotentiae velut administri inserviunt », tum ex sacramentali natura matrimonii christiani.

Verum, ubinam ista sanctitas formaliter inest? Non in adiunctis exterioribus sed *in ipso consensu* quo matrimonium contrahitur, et qui, inter christianos, est a Christo in efficax gratiae signum assumptum. Forma reliqua, quae a competente potestate ad valorem servanda praecipitur, quamvis valde congruenter sacram indolem prodat, potest etiam esse non sacra in se. Ita ipsi Tridentini Patres non longe abfuerunt a mere praecipienda praesentia trium testium (1); et nunc

(1) Cfr Conc. Trid. Acta, P. VI, primum et alterum propositum decreti, p. 640. 681. In tertia forma p. 761 apparet parochus cum duobus vel tribus testibus.

etiam adiuncta sunt in quibus, absente omni sacro ministro, sacramentum matrimonii conferri et recipi potest.

Sed reprobatur civile matrimonium quod, ex institutione sua, sacram naturam, a matrimonio abiudicat et penitus potestati civili regendum traditur.

2. Hoc alterum dein reprehendit S. Pontifex, quod *mixtae nuptiae,* sine ullo religionis respectu, promiscue, etiam sine religiosae potestatis assensu, licitae praedicantur. Memorat hic Pontifex quantum a mixtis istis nuptiis mens Ecclesiae, teste ipso Codice (can. 1064), sit aliena. Prohibitio quidem ecclesiastica, adhibitis cautionibus, quandoque dispensatur, sed prohibitionem divinam propter periculum perversionis accedere posse non est dissimulandum. Et generaliora incommoda huiusmodi matrimoniorum numerantur: periculum areligionis in prole; difficilior inter coniuges animorum conformatio; minus arta inter ipsos communio.

3. Maxime autem, quasi tertium corollarium conubiorum quae profana facta velint, reprobatur: augescens in dies *divortiorum facilitas,* et acrior impugnatio matrimonii indissolubilis.

Allatas causas e bono coniugum, prolis, ipsius societatis pro legibus divortii desumptas, Pontifex ordine numerat; neque hos praetermittit qui contendunt matrimonium non secus quam alios contractus arbitrio coniugum esse permittendum: sed nullum ex his obiectis argumentis praevalere potest verbis Christi quae ad omnia matrimonia referuntur, et anathemata Tridentina; ac satis omnia confutata dicit Papa, comparatis rationibus matrimonii dissolubilis et indissolubilis. Hic pulcherrimum locum exscribit in quo Leo XIII ambo inter se confert.

4. Denique, quomodo mores e relaxatis matrimoniis corrumpantur, atque ipsa corruptela vincula coniu-

galia magis relaxet, idque in perniciem familiarum et societatis, haec et descripta et a LEONE XIII praenuntiata Pontifex refert et confirmat.

De Tertia Parte, seu De Remediis.

I. Ex ista Parte, in primis colligenda habemus quaedam *principia* seu Normae quae Pastori supremo in proponendis remediis dux et lumen fuerunt. « Quaecumque a recto ordine declinarunt non possunt in pristinum ac suae naturae congruentem statum alia via reduci quam ad divinam rationem revertendo. » — Nisi prius se subiciat Deo, homo cupiditates suas sibi subditas habere non potest. — Naturales artes sunt adiumento, sed sine gratiae auxilio sufficere nequeunt. — Ut firmiter et sine errore divinam de matrimonio legem cognoscat, christifidelis, sive doctus sive indoctus, debet, in rebus fidei et morum sinere ut regatur et ducatur a S. Dei Ecclesia, per Supremum Pastorem, qui ipse regitur a Iesu Christo Domino Nostro.

2. His illuminatus principiis, SS. Dominus haec indicat *remedia*: « Omnes divinam de matrimonio rationem contemplentur ad eamque se conformare studeant ». — « Qui se sacro coniugii vinculo nectunt, intima et germana evadat totos erga Deum pietas ». — Caveant Christifideles ne suo iudicio nimis fidant, sed dociles sint ad praecepta Ecclesiae seu Supremi eius Pastoris. — Omni qua par est via, etiam per apte selectos *Actionis catholicae* laicos, fideles bene de matrimonio edoceantur. — Frequens status sui recordatio atque operosa recepti sacramenti memoria fideles iuvabit ut firmiter Dei mandatis stare proponant. Gratiae sacramenti cooperari debent. — Remota praeparatione fortis et generosae educationis debent sponsi ad statum suum accedere parati. — Proxima praeparatio in primis postulat prudentem coniugis electionem,

ex implorato Dei auxilio, matura deliberatione, et adhibitis consiliis parentum: quae ratio honorandi parentes divinam benedictionem procurat. — Meliore qua fieri possit ratione providendum est temporalibus coniugum necessitatibus, tum congruo salario, tum idoneo regimine oeconomico, tum propria coniugum industria vel separata vel consociata; tum caritate divitiorum, tum subsidiis ex aerario, quibus copiosae prolis onus levetur. — Bonis legibus tutandus est ordo moralis. Valde optandum est ut Potestas publica concorditer agat cum Ecclesia.

3. Dum remedia indicat, simul *quaedam* SS. Dominus *dissuadet vel vituperat:* Commenta de « perfecto matrimonio » (1) quod non est nisi depravatum; exaggeratam institutionem physiologicam qua ars callide peccandi potius quam virtus caste vivendi discitur; — maiorem matris et prolis illegitimae quam legitimae sollicitudinem; — plenam separationem potestatis civilis ab Ecclesia et religione.

4. Plura quae ad rem faciunt *docet: a*) *Perseverantem virtutem sacramenti* per totum coniugii spatium. I. e. non solum sacramenta quae characterem imprimunt conferunt, ex physico sigillo, subiectis dispositis auxilia actualia per omne spatium per quod ratio characteris subsistit; sed etiam in aliis sacramentis quidpiam in entitate morali dignoscitur a pluribus medium inter signum sensibile sacramenti et gratiam quam efficit, tamquam proximus titulus gratiae. Qui titulus, si est ad gratias status conferendas directus, moraliter perseverat quamdiu status permanet, perseverat ut iugis fons auxiliorum. Sicut SS. Eucharistia, in qua corpus et sanguis Christi est res et sacramentum, probabiliter quamdiu Christus sacramentaliter praesens est operatur; et Paenitentia in absolutione ius dat ad plenam, sub de-

(1) In Hollandia prodiit liber hoc titulo signatus, qui in varias linguas conversus satis diffusus est.

bitis condicionibus, remissionem seu exstinctionem peccatorum quae sunt accusata; ita Extrema Unctio ad totam aegritudinem et Matrimonium per totum coniugium suam virtutem exercet.

Praeterea istud est proprium matrimonii christianorum, ut coniuges mysticam unionem Christi cum Ecclesia repraesentent seu repraesentare debeant fideli, amorosa et perpetua unione. Et, qua tale, vinculum ipsum ab Apostolo appellatum est sacramentum. Quare, manente illa repraesentatione, dici potest matrimonium esse *sacramentum permanens,* non proprio sacramenti sensu sed sensu quo Apostolus vocem usurpavit, et conferri potest cum SS. Eucharistia, sed analogice, quia in SS. Eucharistia manet ipsum signum externum quod ut significans et continens Christum est gratiae, dum in matrimonio manet, ut ab actu sacramentali inductum, vinculum, quod ipsum est signum seu sacramentum unionis Christi cum Ecclesia, demonstrativum gratiae.

b) De *operariorum mercede* S. Pontifex fortiter inculcat ut tales sint rationes oeconomicae ut patres familias omnes, sibi, uxori, filiis, pro dignitate et loco alendis necessaria *mereri et lucrari* queant. Quibus verbis socialis convenientia salarii familiaris aperte praedicatur. Quonam autem titulo privati tale salarium pendere debeant, S. Pontifex non declarat. Strictae quidem iniuriae damnat artem qua merces minor fieret *aequo,* i. e. aequalitate quae vocatur arithmetica, seu inter datum et promissum; verum quaenam sit ista aequalitas, istud non definit. Atque in fine sententiae, ubi loquitur de mercede quae impar sit alendae familiae, mere negat fas esse ut tam tenuis statuatur. Nihil igitur ad doctrinam *Rerum Novarum* addere voluit.

c) Notabilis etiam est instans modus quo inculcat, legibus et *publicis impensis* prospiciendum esse ut condicio homine digna omnibus sit pervia. Ac numerat

Pontifex domicilium, occasionem laboris, pretia rerum moderata, exemptionem matris a labore qui rei domesticae noceat, convenientem victum et medicamenta. Ut ita prospiciant, id qui rem publicam administrant inter praecipuas suae potestatis partes habere debent.

CONCLUSIO.

Post tot praeclara documenta, Pontifex ut Pastor universalis, bona a se tam pulchre descripta et vindicata, matrimoniis piissime apprecatur.

A. VERMEERSCH, S. I.

---

2. — SS. D. N. Pius Pp. XI.

Sermo in pervigilio Nativ. D. N. I. C. (24 dec. 1930)

AD EMOS PATRES CARDINALES UNA SIMUL CUM PRAELATIS ROMANAE CURIAE IN AULAM CONSISTORIALEM CONVENTOS AD OMINANDUM BEATISSIMO PATRI IN PERVIGILIO NATIVITATIS D. N. IESU CHRISTI.

Venerabili fratelli e dilettissimi figli in Cristo,

Refectus et gratus de optationibus S. Collegii et promissis precibus,

Benedetto il Natale del Signore, che, insieme alle altre squisite consolazioni spirituali che suole arrecare a tutte le anime fedeli e non del tutto disattente al rinnovarsi ed al suonare delle ore di Dio, a Noi porta di nuovo anche questa sempre desideratissima ora di cuore a cuore con voi.

La voce del vostro cuore ha trovato tanta affettuosa espressione in quella del nuovo Decano del Sacro Collegio Cardinalizio, e Noi Ci affrettiamo a ringraziarvi dei vostri fraterni e filiali auguri, della preziosa strenna delle preghiere che avete fatte per Noi e che Ci promettete di fare anche nelle sante feste e nel nuovo anno che sta per incominciare.

optatum et strennam reddit.

Noi pure vi portiamo (e non a voi soltanto) un augurio che risponde al desiderio universale, e che possiamo ben dire magnifico, perchè non è Nostro, ma del Cielo e del Dio di pace che torna in questo conturbato e tribolato mondo, e vi

portiamo pure (e di nuovo non soltanto a voi), una strenna che speriamo benefica a molti.

Prius tamen laeta et tristia exeuntis anni commemorare proponit.

Ma prima di presentarvi e l'augurio e la strenna, secondiamo volentieri il discreto invito rivoltoci dal vostro Eminentissimo interprete, di dare un memore sguardo ai tanti argomenti di consolazione, e purtroppo anche di pena e dolore vero, di cui è seminato l'anno che sta per chiudersi. Ci è caro presentare di nuovo e insieme con voi a Dio benedetto, da una parte l'inno della Nostra riconoscenza, dall'altra il gemito delle Nostre pene, che vuole essere pure l'espressione della Nostra inconcussa ed illimitata fiducia nei soccorsi e nei rimedi di quella Sua infinita misericordia che ha fatto sanabili gli individui e i popoli.

Leata sunt:

saeculares anni S. Augustini, S. Emerici, S. Antonii, Numismatis portentosi, Concilii Ephesini.

Congressus eucharistici habiti Bedae, Carthagine, Laureti; nuntiati in Barensi civitate et Hibernia;

Nove glorificati Sancti;

Non erano ancora spenti gli splendori santi e santificanti del centenario Francescano ed ecco celebrarsi ed affacciarsi i centenari di S. Agostino, di S. Emerico, di S. Antonio, della Medaglia Miracolosa, del Concilio di Efeso, che già si viene preparando in operoso silenzio: gloriose rievocazioni e quasi risurrezione e rinnovazione di magnifiche figure e memorandi fatti del passato; presentissimo e larghissimo risveglio di fede e di vita cristiana. E possiamo appena accennare ai succedutisi Congressi Eucaristici di Budapest, di Cartagine, di Loreto, che, con le loro meraviglie di fede, di pietà, di santificazione Ci fanno desiderare più vivamente quelli di Bari e d'Irlanda che già si profilano all'orizzonte e magnificamente si annunciano; appena accennare a quegli splendidi astri, anzi a quelle vere costellazioni, che la divina Bontà Ci ha concesso di aggiungere al cielo della santità glorificata.

Fructus inde collecti fidelium universalium: zeli pro missionibus, pro actione catholica, pro institutione religiosa et scientifica.

Di tutte queste grandi e veramente ineffabili consolazioni, e di tutte le altre che le accompagnarono e ne furono i preziosi frutti, non cesseremo mai di ringraziare la infinita bontà del Signore. Poniamo in prima fila tra quei frutti il meraviglioso perseverare e continuo crescere dell'operoso e generoso zelo di tutti i fedeli, ed in tutti i paesi, per le Missioni, per l'Azione Cattolica, per le opere e le istituzioni intese a promuovere ed elevare sempre più l'istruzione religiosa ed il culto della scienza delle scienze sacre e di tutte le scienze armonizzate con la Fede; e tutto questo nonostante le straordinarie difficoltà dei tempi.

Valde tristia sunt:

E qui cominciano le dolenti note, dolenti davvero, e quali la storia non ha mai registrato; fors'anche perchè mai il mondo si è trovato in quelle, che Noi vediamo e viviamo, condizioni di rapporti materiali e morali, privati e pubblici, individuali e collettivi, che rendono inevitabili le più vaste e più lontane

ripercussioni di tutte le scosse che si producono nei diversi paesi e nei diversi ambienti politici, sociali, finanziari, economici, industriali.

Universale discrimen nummarium et oeconomicum,

Diciamo questo generale anzi universale disagio finanziario ed economico, il quale è così penosamente risentito nella loro stessa compagine dagli Stati e dai popoli anche i più ricchi e più forti, come dalle più piccole ed umili famiglie, da queste (s'intende) ben più dolorosamente. Diciamo questa così

tanta cessatio a labore;

largamente diffusa disoccupazione che toglie lavoro e pane a tanti operai ed alle loro famiglie, e fa sentire sempre più vivamente il bisogno di un più giusto rapporto fra produzione e consumo, fra macchine e mano d'opera, e sovratutto di un migliore assetto sociale ed internazionale ispirato a maggior giustizia e carità cristiana, e che, senza sovvertire l'ordine stabilito dalla divina Provvidenza, renda possibile ed effettiva fra le diverse classi e fra i diversi popoli la collaborazione fraterna utile a tutti, invece della lotta e della concorrenza dura e sfrenata, a tutti nociva ed a più o meno breve andare disastrosa. Benedette tutte le iniziative intese ad alleviare le tante sofferenze del presente ed a preparare un migliore avvenire. Diciamo questi vaghi timori coi quali molti guardano all'avvenire quasi vedendo in più d'un settore dell'orizzonte nubi minacciose, timori (diciamo subito) per Noi eccessivi, e nubi (speriamo sempre) non tutte foriere di tempeste, ma che intanto tengono gli animi sospesi e turbati. E diciamo non tutte, perchè universali e spaventevoli tempeste certamente preparano una propaganda sovversiva d'ogni ordine e nemica di ogni religione nonchè il dilagare del malcostume, se disastrose ideologie, deplorevoli debolezze e più deplorevoli connivenze, e la ricerca troppo avida dei materiali interessi continueranno a troppo poco tentare per combatterle, anzi a venire in loro favore. Ed a tutti i guai accennati sono venuti ad aggiungersi un po' dappertutto, ma più rovinosi e micidiali in Italia, i tanti disastri tellurici, sismici, marittimi, fluviali, atmosferici. Sempre e dovunque le pene dei figli sono e saranno le pene del Padre, che al generale ricorso ha risposto e risponde prima con la preghiera di ogni giorno e col conforto della parola paterna, poi anche secondo le possibilità sue (accresciute da molte filiali e commoventi generosità) con qualche materiale soccorso; preferita fra tutte, anche da Noi, e fra tutte più insistentemente richiestaci e più volentieri concessa, la carità del lavoro, di molti lavori.

timores de futuro;

praeparatae formidandae procellae ex propagato atheismo et omni ordini contrariis placitis calamitosa ideologia et deplorandaa timiditate;

clades et ruinae physicae.

Quantum cum filiis Pater compatiatur, et tum oratione tum subsidiis eis auxilio esse vult.

Posti dalla mano di Dio a capo di tutta la Chiesa Sua, dovunque essa soffre, combatte e prega, ivi è il Nostro cuore, ivi le Nostre sollecitudini, ivi le Nostre preci, per pregare, combattere e soffrire con essa. E questa santa Chiesa di Dio soffre, pregando, indicibili sofferenze e pregando combatte le più aspre lotte in più d'un paese. Bisogna ancora molto pregare (almeno questo) per i nostri fratelli e figli del Messico, per i mirabili campioni che nel nome e per l'amore di Gesù Cristo soffrono e muoiono nelle Russie, nella Siberia, preparando colle loro sofferenze la rinascita in Cristo di quelle immense regioni e di quegli innumerevoli popoli. Bisogna inoltre pregare per i bravi e valorosi Nostri missionari e per le Nostre care Missioni della Cina che ancora in molte parti dello sterminato paese hanno attraversato e tuttavia attraversano durissime prove non senza gloria di veri martirii; non per fatto di quelle popolazioni, generalmente buone e pacifiche, ma per fatto di pochi (relativamente pochi) violenti, sospinti spesso dall'istessa nefasta propaganda antisociale e antireligiosa che minaccia tutto il mondo civile.

Insistit in oratione fundenda pro pastoribus et fidelibus Mexicanis, pro christianis qui in Russia et Siberia persecutionem patiuntur, pro Missionariis et Missionibus Sinensibus.

Posti dalla stessa divina mano sulla Sede episcopale del Principe degli Apostoli e Vescovo di questa Roma da Gesù Cristo prescelta a centro e capo di tutta la Chiesa Sua, la Chiesa cattolica, dobbiamo vedere con quotidiano cordoglio il proselitismo acattolico anzi anticattolico spiegare in Italia, e più in questa stessa Roma, un'azione sempre più intensa e sempre più vasta dove subdola e insidiosa, dove audace e sfrontata, coprendo il pericolo ed il danno delle coscienze con l'attrattiva di molteplici vantaggi gratuiti o quasi approfittando per lo più dell'ignoranza e dell'ingenuità, congiunte spesso alla miseria ed alla fame; e tutto ciò in presenza d'una legge che ammette bensì acattolici all'esercizio di culti diversi dal cattolico, ma non li dice punto ammessi al proselitismo, e tanto meno al proselitismo sfrenato, contro la Religione cattolica, la sola Religione dello Stato (Trattato Lateranense, art. 1); e tutto ciò come se vi possa essere qualche cosa di più offensivo e ingiurioso contro la persona del Sommo Pontefice che appunto un tale proselitismo (Tratt. Lat., art. 8), o più in contrasto col carattere sacro della Città Eterna, Sede vescovile del Sommo Pontefice, centro del mondo cattolico e mèta di pellegrinaggi (Concord. Lat., art. 1). Il tenore della legge e delle solenni Convenzioni è tanto chiaro e persuasivo, da farci pensare a dimenticanza di esse o ad ignorazione del lamentato proselitismo, per spiegarci ciò che av-

Dolet studia acatholica et anticatholica in Italia et in ipsa Urbe contra catholicam Ecclesiam, unicam religionem Status.

Haec protestatur contraria pactis Lateranensibus.

Considerata bona voluntate hominum, cuius signum agnitio iuridica operis praeservandae Fidei, protestatio ista speratur non futura inanis.

viene: per questo abbiamo creduto necessario di farne qui chiaro richiamo e chiara segnalazione. E nutriamo fiducia che non sarà senza buon effetto, non potendo, d'altra parte, Noi dubitare di quelle buone disposizioni, che anche l'interesse del Paese reclama, del Paese minacciato nel suo tesoro più prezioso, la Fede dei padri, e nella sua unità più profonda ed essenziale, l'unità religiosa. Amiamo vedere un segno ed una prova di tali buone disposizioni nel decreto, testè da Noi letto, che riconosce personalità giuridica agli effetti civili in Italia all'Opera da Noi nuovamente istituita per la preservazione della Fede.

SS. Pater omnibus Fratribus et Filiis exoptat pacem, cuius omen datum ab Angelis.

Ed ora il Nostro augurio a voi, venerabili fratelli e dilettissimi figli. Ce lo mette nel cuore e sulle labbra la solenne e cara festività che ancora una volta Ci prepariamo a celebrare: *in terra pax*. È l'augurio venuto dal Cielo e primamente cantato dagli Angeli sopra la culla del neonato Re dei secoli immortale, venuto a pacificare gli uomini a Dio, gli uomini agli uomini, per tutti sacrificandosi, tutti richiamando alla universale paternità divina ed alla universale fraternità umana, al concetto ed alla pratica della fraterna carità, alla giusta estimazione ed al distacco dei beni terreni, alla ricerca prima e precipua dei beni spirituali. Quale augurio più opportuno e più rispondente a questo universale invocarsi pace, pace? Ed appunto per questo il Nostro augurio non soltanto a voi si rivolge, ma a tutto il mondo. A tutto il mondo, perchè per tutto salvarlo Gesù ci veniva, ma in particolar modo a tutti i diletti figli della grande famiglia cattolica della Chiesa che Gesù veniva a fondare: si tratta della pace da Cristo portata, della pace di Cristo, e non si è con Cristo e di Cristo se non essendo nella Chiesa cattolica e con la Chiesa cattolica: *Ubi Ecclesia ibi Christus*. Per questo i cattolici non sono chiamati soltanto al più largo e perfetto godimento della pace di Cristo, ma come alla consolidazione ed alla dilatazione del regno di Cristo, così alla dilatazione e consolidazione della Sua pace; e questo mediante il molteplice apostolato della buona parola, dell'operosità benefica, della preghiera, a tutti così facile e così potente anzi onnipotente presso Dio. La gloria ed il dovere di questo apostolato di pace appartiene principalmente a Noi ed a tutti i chiamati ad essere ministri del Dio della pace; ma ecco un vasto e magnifico campo anche per tutto il laicato cattolico che non cessiamo di invitare e di chiamare alla partecipazione dell'apostolato gerarchico. È ai cattolici di tutto il mondo e massime a quelli che studiano, lavorano e pregano nell'Azione

Universo orbi et maxime catholico pacem Christi exoptat. Hac catholici peculiariter frui possunt, hanc etiam promovere debent,

quod praecipue ad Pastorem et ministros sacros, sed etiam ad laicos pertinet.

Hoc ut praestent Pontifex invitat instantissime socios actionis catholicae.

Cattolica, che oggi rivolgiamo più caldo questo invito e richiamo. Che essi si uniscano tutti nella pace e per la pace di Cristo in pieno consenso di pensieri e di sentimenti, di desideri e di preghiere, di opere e di parola — parola parlata, parola scritta, parola stampata — e sarà una calda e certamente benefica atmosfera di vera pace che avvolgerà il mondo intero.

Sed vera pax non est nisi a Deo.

Ma « pace di Cristo » vuol essere, e non soltanto un pacifismo sentimentale, confuso, indiscreto nè scevro di pericoli; perchè quella sola è la pace vera che viene da Dio, e che della vera pace ha i caratteri essenziali ed indispensabili ed i frutti preziosi.

Ce lo ricordava la Chiesa, incomparabile Maestra, or sono pochi giorni, facendoci rileggere nella santità del divino sacrificio la bella e profonda parola dell'Apostolo delle Genti (*Philip.*, 4, 7): *Pax Dei quae exsuperat omnem sensum custodiat corda vestra et intelligentias vestras in Christo Iesu Domino Nostro.*

Errant qui pacem stabilem componi posse, existiment cum avida contentione bonorum sensibilium;

Trascende dunque il senso la pace di Cristo, la pace vera, ed è grave errore credere che pace vera e durevole possa regnare fra gli uomini e fra i popoli finchè questi rivolgono le prime, precipue e più avide ricerche ai beni sensibili, materiali, terreni, i quali, per essere finiti, difficilmente possono bastare a tutti, anche se nessuno (difficile ad avverarsi) si voglia prendere la parte del leone, e necessariamente, quanto più grande è il numero dei partecipanti, tanto minore la parte di ciascuno; onde quei beni sono quasi inevitabilmente sorgenti, come di cupidigie e di invidie, così di discordie e di contrasti. Avviene il contrario dei tesori spirituali — la verità, il bene, la virtù — che, quanto più largamente vengono comunicati, e più abbondano e fruttificano a vantaggio dei singoli e delle collettività.

vel eam sperant sine interiore animorum pace,

Altro errore, dal quale la parola apostolica divinamente ispirata vuol premunire, è quello di chi crede potersi dare vera pace esterna tra gli uomini e tra i popoli ove non è pace interna, ove cioè lo spirito di pace non possiede le intelligenze ed i cuori, ossia le anime tutte quante; le intelligenze per riconoscere e rispettare le ragioni della giustizia, i cuori perchè alla giustizia si associ, anzi prevalga, la carità; giacchè se la pace, secondo il profeta deve essere opera e frutto di giustizia (Isaia, 32, 17), essa, come luminosamente insegna S. Tommaso (2ª 2ae q. 29. III ad 3um) e com'è nella natura delle cose, appartiene piuttosto alla carità che alla giustizia. Purtroppo è difficile che regni e duri la pace interna delle intelligenze e

sine aequa bonorum distributione;

dei cuori fra cittadini e classi sociali, se forti motivi di contrasto son fatti sorgere e mantenersi fra i cittadini e fra le classi sociali da non equa distribuzione e proporzione dei vantaggi e dei pesi, dei diritti e doveri, del contributo di capitale, direzione, lavoro e della partecipazione a quei frutti, che solo dalla loro amica cooperazione possono prodursi. Più difficile, per non dire impossibile, che duri la pace fra i popoli e fra gli Stati, se in luogo del vero e genuino amor patrio regni ed imperversi un egoistico e duro nazionalismo, che è dire odio ed invidia in luogo del mutuo desiderio di bene, diffidenza e sospetto in luogo di fraterna fiducia, concorrenza e lotta in luogo di concorde cooperazione, ambizione di egemonia e di predominio in luogo del rispetto e della tutela di tutti i diritti, siano pur quelli dei deboli e dei piccoli.

sine, pro genuino patriae amore, repudiato nationalismo.

Pax postulat ut societas propriae defensioni ab hostibus internis et externis consulat.

Assolutamente impossibile poi che i popoli posseggano e godano quella tranquillità nell'ordine e nella libertà che è l'essenza stessa della pace, finchè dall'interno e dall'esterno incombono minacce e pericoli, non fronteggiati da sufficienti misure e provvedimenti di difesa. E certamente minacce e pericoli sono inseparabili dalla già accennata propaganda antisociale e antireligiosa; ma non è con le sole difese materiali che si potranno allontanare e vincere. Quanto a minacce di nuove guerre, mentre i popoli ancora sentono così dolorosamente il flagello dell'ultima immane, Noi non vogliamo, non possiamo credere alla loro realtà, non potendo credere alla presenza di uno Stato civile, che voglia divenire così mostruosamente omicida e quasi certamente suicida; quando di una tale presenza dovessimo anche solo positivamente dubitare, dovremmo rivolgerci a Dio colla ispirata preghiera del re profeta, che pur conosceva la guerra e la vittoria: *dissipa gentes quae bella volunt* (Ps. 67, 31) e con quella quotidiana e universale della Chiesa: *dona nobis pacem.*

Minas autem novi belli haberi Pontifex admittere nequit. Qui bellum induceret foret monstruose homicida et fere certo suicida. Iam si dubium oriretur, orandus esset Deus ut dissiparet gentes quae bella volunt, rogandus ut donet nobis pacem.

Strenna est epist. encyclica, hoc anno proditura, de matrimonio christiano.

Ma venga ormai la strenna dopo l'augurio di pace, di pace vera, di pace intima, di pace tranquilla e sicura. Dobbiamo dir subito che di poterla oggi stesso presentare la Nostra strenna, in natura, a voi qui, dilettissimi figli e venerabili fratelli, ed all'orbe cattolico, abbiamo vivamente desiderato e sperato, ma dobbiamo invece limitarci ad annunciarvela; sarà pronta fra pochi giorni e potrà, dovrà anzi, ancora datarsi da questo anno 1930. Diciamo datarsi, perchè si tratta di un'enciclica, della quale ancora nessuno sa niente.... Come vedete è quella che vi facciamo un'anticipazione confidenziale di padre a figli, ai figli più vicini e prediletti, coi quali, venuti a trovarlo, non può tenere più oltre il segreto.

Huius argumentum tam praesens est ut Pontifex actionem suam existimet urgentis necessitatis.

Sarà un'enciclica di soggetto importantissimo e che interessa quant'altro mai la famiglia, gli Stati, anzi l'umanità intera; un argomento di perenne attualità, attualità che oggi presenta aspetti quanto mai lacrimevoli e preoccupanti; tanto preoccupanti da farci ritenere in coscienza il Nostro intervento non soltanto opportuno e necessario, ma anche urgente. L'enciclica tratterà del *Matrimonio cristiano in ordine alle condizioni, ai bisogni, ai disordini presenti della famiglia e della società.* È evidente, e lo sarà ancora più dopo la lettura, che per la sua gravità ed importanza essa ha necessariamente richiesto una lunga meditazione e preparazione ed aveva già fatto molto cammino nel Nostro spirito ancor prima che un connubio regale venisse a renderla e più opportuna e più necessaria che già non la facessero le condizioni generali del mondo. Più opportuna, diciamo, perchè della dottrina e delle leggi divine ed ecclesiastiche, delle quali Dio benedetto nell'arcano del Suo consiglio Ci ha voluto custodi, interpreti e maestri, siamo debitori a tutti quanti, poveri e ricchi, deboli e potenti, piccoli e grandi, ed a quelle dottrine e leggi appartiene pure quanto la Chiesa insegna ed ordina circa il matrimonio e precisamente circa i matrimoni misti. Diciamo pure più necessaria per le gravi sopravvenienze alle quali il connubio stesso ha dato luogo. Diciamo così, perchè intorno all'importante avvenimento (importante in se stesso e nelle possibili sue conseguenze private e pubbliche), del quale abbiamo pesato davanti a Dio tutta la gravità e con questa la responsabilità che a Noi pure ne derivava, Noi non avevamo nè potevamo avere altre difficoltà, fuori quelle inerenti alle cose ed alle persone, difficoltà che giustificano pienamente l'atteggiamento della Chiesa cattolica sempre in massima contraria ai matrimoni misti e la sua intransigenza circa le condizioni e cauzioni prescritte dai sacri canoni, senza le quali, anche in concorso di gravi motivi, l'offesa di Dio ed il pericolo delle anime rendono impossibile ogni permesso e concessione.

Encyclicam magis opportunam et necessariam fecit recens conubium regale.

Fidenter requisivit cautiones, easque obtinuit.

Di tali condizioni e cauzioni Noi abbiamo trattato, non con personalità politiche di paese o di Governo alcuno, ma con gli stessi regali contraenti, i quali ne assumevano formale e scritto impegno esplicitamente ricordante i canoni relativi, ed in tali termini espresso da ispirarci piena ed assoluta fiducia (già, come è chiaro, dovuto alla qualità delle loro auguste persone) che essi pienamente intendevano e misuravano la portata dell'impegno preso, e con la perfetta lealtà, che a sovrani si conviene, assumevano pure l'obbligo di mantenerli.

Falsos sparsos nuntios confutat.

Ma ecco che sullo storico avvenimento, sulle cauzioni richieste e date, sugli impegni presi, sulla stessa celebrazione del sacro rito si è venuta stendendo una vera nube di false notizie circa immaginarie trattative ed assurde transazioni, di commenti quali confusi ed incerti quali contrari alla verità dei fatti e del loro contenuto morale e religioso, nè soltanto da private persone e da privato luogo, e più che tutto di solenni celebrazioni confessionali studiosamente preparate perchè avessero presso il gran pubblico tutta l'apparenza di rinnovare od almeno completare un matrimonio, che era già un fatto compiuto e completo; con manifesta offesa di Dio stesso inonorato in un Sacramento da Lui istituito e particolarmente onorato; con inevitabile inganno ed errore di moltissimi, e con scandalo vero e non meno colpevole per essere lo scandalo di quelli che ingenuità ed ignoranza assimilano ai pusilli, a quei pusilli, dei quali Gesù Cristo ha preso, proprio contro lo scandalo, così terribili difese (Matt., 18, 6, ecc.). È appunto e solo per l'onore di Dio e per il bene delle anime che, come esigevano il dovere e la responsabilità dell'apostolico ministero, abbiamo approfittato di questa solenne adunanza per rimettere in piena luce la verità delle cose e dei fatti.

Populus et principes Bulgariae norunt quanto amore Pontifex eos persequatur.

I cari e fedeli figli che abbiamo in Bulgaria, tutto il popolo bulgaro ed i suoi Sovrani sanno l'amore che in Gesù Cristo loro portiamo; quell'amore di cui, pur mantenendo vigore alla legge, abbiamo dato riconosciute prove, quell'amore che secondo le Nostre possibilità Ci muoveva al soccorso nei disastri che percossero il loro paese, quell'amore che Ci fa e farà sempre pregare l'onnipotente e misericordioso Iddio per ogni loro vera prosperità e temporale e spirituale.

Benedictio Apostolica.

Avete, venerabili fratelli e dilettissimi figli, avete il Nostro augurio, avete la Nostra strenna natalizia; non Ci resta più se non impartirvi, come di tutto cuore facciamo, l'apostolica benedizione: benedizione grande e copiosa che basti a voi tutti e singoli che Ci allietate colla vostra cara presenza, che basti anche per tutto quello e per tutti quelli che ciascuno di voi ha nella mente e nel cuore; benedizione che vuol pur essere augurio di buone ed ottime sante feste, di buono e felice anno, di ogni bene.

Latina versio potiorum partium sermonis

De oeconomico rerum discrimine. « Mundus numquam versatus est in condicionibus relationum materialium et moralium, privatarum et publicarum, singularium et collectivarum quas oculis cernimus et vita vivimus et quae ne-

cesse efficiunt ut omnes qui in diversis regionibus et diversis orbibus politicis, socialibus, nummariis, oeconomicis, quaestuosis motus accidunt maxime extensos et distantes repercussus suos habeant.

Generale immo universale dicimus infortunium nummarium et oeconomicum quod tam grave in sua intima constitutione Status et populi etiam ditissimi et fortissimi experiuntur sicut minimae et humillimae familiae, quibus, ut liquet, est multo magis acerbum. Eam tam late diffusam dicimus cessationem quae tot operarios cum eorum familia labore et pane privat, ob quam magis et magis necessitatem sentimus magis iustae proportionis inter rerum effectionem et consumptionem, inter machinas et operam manualem, atque in primis melioris status socialis et internationalis subiecti maiori iustitiae et caritati christianae, et quae, ordinem a divina Providentia constitutum minime sub vertens, factu facilem et praesentem efficit inter diversos ordines et populos fraternam cooperationem omnibus utilem, pro cura et immoderata luctatione et aemulatione quae omnibus nocet et citius vel tardius calamitosa fiet. Benedicta sint omnia incepta quae tendunt ut tanta praesentia mala levent, et meliora futura praeparent. Incertos dicimus timores quibus non pauci, futurum circumspicientes, in non una caeli parte nubes minaces observare putant, timores (ut ilico dicamus) nimii, et nubes (sperare pergimus) non omnes tempestatum praenuntiae, sed quae interea animos suspensos et turbatos detinent. Non omnes, dicimus, quia sine dubio procellae universales et formidabiles propagatione omnem ordinem subvertente, inimica omnis religionis, et morum perversione praeparantur, si perniciosa commenta, lamentabiles imbecillitates et magis lamentabiles collusiones, et nimis avida utilitatum temporalium cupiditas nimis parum contra ea tentare, vel adeo iisdem favere pergent. Cunctis indicatis miseriis, addita sunt fere ubique sed in Italia magis damnosae et homicidae, tam multae clades terrestres, sismaticae, maritimae, fluviales, aëreae. Semper et ubique dolores filiorum sunt et erunt dolores patris qui, generaliter rogatus, respondit et respondet primo cotidiana oratione, paterna cohortante voce, atque etiam subsidio aliquo temporali, quantum potuerit, adiutus multis et animum commoventibus liberalitatibus. Forma porro subsidii quam Pontifex ipse omnibus aliis praefert, quam magis instanter rogatus est et libentius concessit est subsidium sufficiendi operas multas operas. »

De Pace. « Non ad Vos tantum sed ad totum orbem optatum Nostrum (de pace) dirigitur. Ad totum orbem, quia ut totum salvum faceret Iesus nobis advenit, modo tamen peculiari ad omnes dilectos filios magnae catholicae familiae Ecclesiae propter quam condendam Iesus advenit; de pace agitur a Christo allata de pace Christi, et cum Christo vel Christi non est, quin sit in Ecclesia catholica et cum Ecclesia catholica. *Ubi Ecclesia ibi Christus.* Ideo catholici non tantum vocati sunt ut pace Christi largius et perfectius fruerentur, sed, non minus quam ut regnum Christi firmarent et extenderent, ut Eius pacem diffunderent et firmarent; quod multiplici apostolatu boni sermonis, beneficae actionis, orationis omnibus tam facilis et tam potentis, immo omnipotentis apud Deum. Istius pacis apostolatus gloria et officium praecipue ad Nos pertinet et ad omnes qui vocati sunt ut essent ministri Dei pacis; verum ecce amplum et magnificum campum etiam pro omnibus laicis catholicis quos indesinenter invitamus et vocamus ut hierarchicum apostolatum participent. Catholicis universi orbis, iis maxime qui student, operantur et orant in Ecclesia catholica, invitationem istam et vocationem hodie ferventius mandamus. Coniungantur inter se omnes in pace et pro pace Christi, plene concordes cogitationibus et affectibus, votis et precationibus, opere et verbo — verbo dicto, verbo scripto verbo typis mandato — ac totus mundus calido et certo benefico verae pacis aëre circumcingetur.

Verum esse debet « pax Christi », nec merus pacifismus mollis, confusus, indiscretus nec periculis vacuus; quia sola Christi pax est vera quae a Deo proficiscitur et verae pacis notas essentiales, necessarias, et pretiosos fructus possidet.

Eius rei nos memores faciebat Ecclesia, Magistra singularis, ante paucos dies, dum in sanctitate divini sacrificii volebat ut iterum legeremus pulchrum et profundum dictum Apostoli Gentium (Phil. 4, 7): *Pax Dei quae superat omnem sensum custodiat corda vestra et intelligentias vestras in Christo Iesu Domino Nostro.*

Sensum igitur exsuperat pax Christi, pax vera, et valde errat qui existimet pacem veram et stabilem inter homines et populos regnare posse quam diu primo, praecipue et avidius conquirunt bona sensibilia, materialia, terrena, quae, cum finita sint aegre omnibus sufficere possunt etiam si nullus (quod difficile eveniet) sibi partem leoninam sumere voluerit; ac necessario quo plures sunt participantes, eo minor singulis pars obtingit. Quare fere vitari nequit quin bona ista, sicut cupiditates et invidias, ita discordias et rixas pariant. Contra se habent bona spiritualia — verum, bonum, virtus, — quae quanto largius communicantur, eo abundantiores singulis et societatibus fructus ferunt.

Ab hoc altero errore divinitus inspiratum apostolicum dictum nos praeservare vult, ne credamus veram inter homines et populos pacem exteriorem haberi posse, ubi non sit pax interior, ubi a spiritu pacis mentes et corda, i. e. animi toti non possideantur: mentes ut rationes iustitiae agnoscant et venerentur; corda ut iustitiae coniungatur immo praeponatur caritas. Pax enim, cum, iuxta prophetam, opus et fructus iustitiae esse debeat (Is. 32, 17), ea, sicut dilucide S. Thomas (2, 2, q. 29, III ad 3) docet, et ipsa rerum natura fert, potius quam ad iustitiam, ad caritatem pertinet. Infeliciter interior mentium et cordium pax inter cives et ordines sociales difficile regnabit et perseverabit, si graves causas discidiorum inter cives et ordines sociales induxerit et retinuerit non aequa distributio et proportio commodorum et onerum, iurium et officiorum, collationis capitalis, directionis, laboris et participationis fructuum quae e sola amica eorum cooperatione nasci possunt. Magis difficile, ne impossibile dicam ut inter populos et Status pax perseveret, si, pro vero et genuino amore patrio regnet et furat suorum rerum studiosus et durus nationalismus, qui significat odium et invidiam in locum mutuae benevolentiae, diffidentiam et suspicionem in locum fraternae fiduciae, aemulationem et luctationem in locum concordis cooperationis, cupiditatem principatus et imperii in locum reverentiae et tutelae omnium iurium, etiam debilium et exiguorum.

Prorsus autem fieri nequit ut populi illa tranquillitate ordinis et libertatis in qua ipsa essentialiter consistit potiantur et fruantur, quam diu intra et extra impendent minae et pericula quibus sufficientes cautiones et propugnacula non opponantur. Ac profecto minae et pericula a iam memorata propagatione antisociali et antireligiosa separari nequeunt, nec solis materialibus praesidiis dimoveri et superari poterunt. Quod ad minas novorum bellorum, dum populi flagellum ultimi immanis belli adhuc tam acerbum experiuntur, Nos nolumus nec possumus eas veras habere, cum credere non possimus unum adesse Statum civilem qui tam monstruose homicidam et fere certo suicidam evadere annuat. Si talem adesse tantum positive dubitandum Nobis foret, ad Deum cum inspirata oratione prophetae regii, qui ipse bellum et victoriam cognoscebat convertere deberemus: *dissipa gentes quae bella volunt* (Ps. 67, 31), et cum cotidiana et universali Ecclesiae oratione: *dona nobis pacem.*

De matrimonio regis Bulgariae. Plus quam generalia iam mundi adiuncta, regium conubium opportunam et necessariam fecit encyclicam epistolam de matrimonio christiano. Magis opportunam, dicimus, quia doctrinae et legum divinarum et ecclesiasticarum, quarum arcano suo consilio Deus benedictus voluit Nos esse custodes, interpretes et magistros, omnino omnibus, pauperibus et divitibus, debilibus et potentibus, exiguis et magnis debitores sumus. Iam vero ad has doctrinas et leges pertinet quidquid Ecclesia docet et praecipit de matrimonio et nominatim de matrimoniis mixtis. Dicimus etiam magis necessariam, propter gravia facta quibus ipsum conubium locum dedit. Ita dicimus, quia quod ad ipsum gravem eventum (gravem in se et in possibilibus suis consectariis privatis et publicis) cuius omne momentum et Nobis inde profectam religionem coram Deo perpendimus, nullas alias difficultates habebamus et habere poteramus, praeter eas quae in rebus et personis inerant; quae difficultates plene iustam demonstrant agendi rationem catholicae Ecclesiae, quae per se matrimoniis mixtis est contraria, eiusque severitatem in exigendis condicionibus praescriptis a sacris canonibus, et sine quibus, etiam si graves rationes occurrant, Dei offensa et periculum animarum omni licentiae et concessioni viam intercipiunt.

De istis condicionibus et cautelis egimus non cum politicis personis cuiuspiam regionis vel gubernii, sed cum ipsis regiis partibus, quae formale et scriptum documentum acceptarunt memorans canones ad rem facientes, et his verbis conceptum quae plenam et absolutam fiduciam nobis darent (quae fiducia iam qualitati augustarum personarum debita erat) quod probe cognoscebant et metiebantur quo spectaret promissum factum, et perfecta sinceritate quae principes decet etiam obligationem ea servandi assumebant.

En autem supra factum historicum, cautiones requisitas et datas, obligationes susceptas, ipsam sacri ritus celebrationem, superstrata est nubes falsorum nuntiorum de phantasticis colloquiis et absurdis transactionibus; commentationum tum confusarum et ambiguarum tum alienarum a factis veris eorumque morali et religiosa summa, non a privatis tantum personis et loco profectorum; maxime autem sollemnium celebrationum propriarum ecclesiae, callide praeparatarum ut apud vulgus iterare vel saltem perficere viderentur matrimonium iam factum et completum: quae manifesta erat offensio ipsius Dei dehonestati in sacramento quod Ipse instituit et peculiariter honestavit; causa necessariae plurimorum deceptionis et erroris, et verum scandalum quod non ideo minus culpandum est quia istis datur qui propter simplicitatem et ignorantiam suam comparandi sunt cum pusillis, quos Iesus Christus tam terribilibus verbis praecipue a scandalo protexit (Matth. 18, 6 etc.). Diserte et solum propter Dei honorem et bonum animarum, quod officium et religio apostolici ministerii a nobis requirebat, hoc sollemni conventu usi sumus ut veritatem rerum et factorum plena luce perfunderemus.

Cari et fideles filii quos in Bulgaria habemus, universus populus Bulgarorum eorumque supremi principes amorem quo in Iesu Christo eos afficimus non ignorant; eius amoris, etiam dum legem urgebamus argumenta agnita dedimus; amor iste Nos impulit ut, pro viribus, iis in calamitate qua eorum regio affligebatur opitularemur, amor iste nos movet et usque movebit ut pro eorum vera temporali et spirituali felicitate omnipotentem et misericordem Deum oremus.

---

3. — SS. D. N. Pii Pp. XI

Epistola 22 nov. 1930

SAECULO ELAPSO A MANIFESTATIONE B. M. V. DE NOMISMATE PRODIGIOSO.

(A. A. S., 1 dec. 1930, XXII, 515)

PIUS PP. XI

Memoratur apparitio ex qua nomisma prodigiosum originem habuit.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. (1) — Catholicis hominibus paene nullis mirabile illud non auditum dixeris, cuius sollemnis passim per orbem terrarum commemoratio die potissimum huius mensis septimo ac vicesimo habebitur: quo die beatissima Virgo, centesimo ante anno — postquam se plus semel Catharinae Labouré conspiciendam dederat, quae Parisiis apud Puellas a Caritate Vincentianas tirocinium agebat — duplici in tabula novi Nomismatis exemplar piae puellae exhibuit, praecepitque ut tale ipsamet Nomisma cudendum curaret. Pollicebatur quidem sanctissima Mater, quotquot illud, praesertim circa collum, gestassent, caelestibus eos gratiis locupletatum iri: quarum copiam ut, sua ipsius declaratione, efficaciter significaret, manus hinc inde demisit, e quibus quidam profectus est lucis veluti torrens, adeo splendidae ut oculorum aciem praestringeret. Eiusmodi sane eventum, dilecte fili, idcirco est Nobis ad recolendum suavius, quia plurimae sensim ad fideles iam tum accessere corporis animique utilitates; cum enim ad sacri usum Nomismatis insculptaeque ibi preculae, Deiparam sine labe conceptam testantis, brevi temporis spatio popularis ubique gentium pietas exarsisset, tam multa de materna Virginis misericordia in christianam plebem beneficia profluxisse constat, ut Nomisma nuncupari prodigiosum coeperit posteaque omnino consueverit. Atque una simul vobiscum gaudendi vobisque gratulandi periucunda incidit Nobis opportunitas; siquidem, dilecte fili, non ignoramus, utramque, cui praees, Vincentianam sodalitatem quae sibi in hoc centum annorum decursu incrementa laudumque ornamenta comparavit,

Beneficia inde collata ob quae vocatum est prodigiosum.

Gratulatur simul S. Pontifex benemeritae Congregationi a Missione.

(1) Ad R. D. Franciscum Verdier, summum moderatorem Presbyterorum Congregationis a Missione et Societatis Puellarum a Caritate.

ea Manifestationi illi beatissimae Virginis accepta referre, quam celebraturi estis. Congregationi profecto a Missione Nobis carissimae, quam Pater Legifer ad promovendam pauperum salutem rectamque cleri disciplinam tum suscitavit, cum novum pro rerum temporumque condicione praesidium Ecclesia praestolari videbatur, datum est, hoc saeculi intervallo, non modo ut muneri suo ne deesset, sed etiam ut studiosius vacaret, caritatis beneficentiaeque instituta atque opera provehendo in aliorumque mentem subiiciendo: quo in genere Vincentianae, quas vocant, Collationes a Friderico Ozanam inductae, etsi modeste agunt, nonne in luce orbis terrarum versantur? Quid quod sodales vestri, dilecte fili, evangelicam fidem per sacras expeditiones aut incolumem inter fideles praestitere aut inter infideles, vel sanguine effuso, propagarunt? At vero Puellae a Caritate nimium quantum — vexillo, ut ita dicamus, sacri Nomismatis innixae — post Deiparae Manifestationem, cum ingenti Ecclesiae civilisque societatis utilitate, floruere; numerus enim earum, quotae tunc erant, adeo usque adhuc auctus est, ut Puellarum quadraginta fere milia hodie censeantur, eademque, magnifico operum apparatu elucentes, multo maiora portendant in posterum. Quibus quidem omnibus, quemadmodum mense Martio huius anni bene precati sumus, cum scilicet sorores quae in Urbe degunt earumdemque alumnas libenter admisimus atque alloquio donavimus, item bene hodie precamur, ominamurque ut in perpetua suae exercitatione caritatis, in puellis excolendis, pium praesertim suadendo sacri Nomismatis usum, animas Christo frequentissimas lucrentur. — Quod reliquum est, cupimus, ut saecularia sollemnia propediem habenda, Immaculata Dei Genetrice auspice, ne praetereant quin et vobis et christiano populo divinae gratiae afferant ubertatem: cuius conciliatrix esto paternaeque benevolentiae testis apostolica benedictio, quam tibi, dilecte fili, atque utrique Vincentianae sodalitati peramanter in Domino impertimus.

Laudat **Vincentianas collationes** *(Ozanam), Missionarios Congregationis,*

Puellas a caritate.

Quibus omnibus bene precatur et ominatur.

Benedictio Apca.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXII mensis Novembris anno MDCCCCXXX, Pontificatus Nostri nono.

Dies (22 Nov. 1930).

PIUS PP. XI

4. — Suprema S. Cong. S. Officii

Decretum 8 nov. 1930

DAMNANS SAC. TURMEL EIUSQUE OPERA EAQUE IN INDICEM LIB. PROH. INSERENS

(A. AS., 1 dec. 1930, XXII, 517)

SACERDOS IOSEPHUS TURMEL EXCOMMUNICATUS VITANDUS DECLARATUR, DEGRADATUR ET EIUS OPERA IN INDICEM LIBRORUM PROHIBITORUM INSERUNTUR.

Dies in Cong. *Feria V, loco IV, die 6 Novembris 1930*

Facta recensentur Sacerdotis in Seminario Rhedonensi;

Sacerdos Iosephus Turmel, ex archidioecesi Rhedonensi in Gallia, iam anno 1892 munere docendi, quod in Seminario maiore Rhedonensi obibat, ab E.mo Cardinali Place suo Archiepiscopo privatus est, eo quod nonnullis ex suis alumnis praesentiae reali Iesu Christi in Ss.ma Eucharistia se non credere declaraverat.

ut scriptor apertus

Anno 1901 E.mus Cardinalis Richard, Archiepiscopus Parisiensis, de speciali mandato et nomine Sacrae Congregationis Indicis, sacerdotem Turmel graviter monebat ob articulos haereticales ab ipso editos in foliis periodicis *Revue d'histoire et de littérature religieuses*, quorum infelix sacerdos A. Loisy moderator erat; addito vetito, ne quid deinceps ad sacras disciplinas pertinens absque praevia approbatione ecclesiastica publici iuris faceret.

ut scriptor dissimulatus

Anno 1908 coram Ill.mo ac Rev.mo Domino Augusto Dubourg, suo Archiepiscopo, absolute negavit se sub falsis nominibus « A. Dupin » et « G. Herzog » duos libros contra dogmata Ss.mae Trinitatis et Virginitatis Mariae, nec non contra alias Ss.mae Matris Dei praerogativas scripsisse, firmiter asserens cum dictis auctoribus nihil prorsus se commune habere immo eos ne novisse quidem. Illa vero occasione, ad quamvis suspicionem a se avertendam, suo Ordinario sub die 22 Maii 1908 explicitam professionem fidei catholicae in scriptis exhibuit. Praefati duo libri, primus sub nomine « A. Dupin » vi decreti diei 25 Maii 1908, et alter sub nomine « G. Herzog », vi decreti diei 5 Iulii 1909, in Indicem librorum prohibitorum dein inscripti fuerunt.

Damnata opera. Subiectio auctoris.

Ab anno 1909 usque ad annum 1911 Sacra Congregatio Indicis septem opera sacerdotis Turmel tribus diversis decretis, latis respective diebus 5 Iulii 1909, 7 Martii 1910 et 2 Ianuarii 1911, proscripsit ac damnavit; auctor vero post singulas damnationes suo Archiepiscopo in scriptis absolute se subiiciebat, declarans se doctrinae catholicae firmiter adhaerere.

Variorum nominum usurpatio.

Haud tamen exinde a sua nefaria opera cessavit, sed sub diversis itidem falsis nominibus alios libros aut articulos identidem edere perrexit, blasphemias in Deum continentes, haeresim propugnantes, ipsorumque religionis fundamentorum eversivos, qui ei tamquam auctori, etsi ipso pertinaciter negante, adscribebantur.

Multatus suspensione anno 1929.

Anno demum 1929, cum ex peracta inquisitione sufficientia collecta essent argumenta ad sacerdotem Turmel plurium horum operum sub diversis nominibus editorum tamquam verum auctorem designandum, ab E.mo Cardinali Charost, Archiepiscopo Rhedonensi, de mandato Supremae Sacrae Congregationis S. Officii, regularis instructus est processus, in quo sacerdos Turmel, constitutis subiectus diebus 10, 20, 21, 23 Decembris 1929 et 10 Ianuarii 1930, et non obstantibus suis firmis, iteratis, immo et iuratis negationibus, de reitate convictus, poena suspensionis a divinis mulctatus est sententia die 23 Ianuarii 1930 lata et in fasciculo *Semaine Religieuse du Diocèse de Rennes* diei 25 Ianuarii 1930 edita.

Paulo antequam ei suspensio a divinis intimaretur, infelix hic sacerdos suam reitatem fortiter negare pergens, E.mo Archiepiscopo declaravit se libenter esse paratum professionem emittere fidei catholicae; paucis tamen diebus post, iam a divinis suspensus, ad editorem Rieder manuscriptum misit alterius voluminis operis *Catéchisme pour adultes* in eum finem evidenter conscripti religionem christianam oppugnandi et atheismum propagandi.

Post plurimas negationes audax Confessio.

Cum tandem se manifeste detectum perspexisset, duabus epistulis diebus 25 Martii et 1 Aprilis currentis anni ad E.mum Cardinalem Charost datis, sacerdos Turmel confessus est se plurimos articulos et quatuordecim opera edidisse sub sequentibus quatuordecim falsis nominibus: « Louis Coulange, Henri Delafosse, Armand Dulac, Antoine Dupin, Hippolyte Gallerand, Guillaume Herzog, André Lagard, Robert Lawson, Denys Lenain, Paul Letourneur, Goulven Lézurec, Alphonse Michel, Edmond Perrin, Alexis Vanbeck ».

Quomodo nocuerit famae cleri in Gallia.

Ut facile est intelligere, ex tot libris et articulis sub diversis nominibus prodeuntibus, haeresim ac impietatem propu-

gnantibus, legitima orta esta suspicio ne in Gallia totidem adessent sacerdotes qui fidei catholicae adversarentur; quod quidem clero Gallico gravem profecto et manifestam iniuriam inurebat.

Decretum Em. Patrum

Cum igitur sacerdos Turmel quadraginta iam abhinc annis ideas catholicae fidei contrarias expresserit, et pluries monitus, poenisque ab auctoritate ecclesiastica plexus, prout ex dictis constat, non resipuerit, necnon quotidie Sacrum litare sit ausus, E.mi ac Rev.mi Patres rebus fidei ac morum tutandis praepositi, in Plenario Conventu Feria V, loco IV, die 6 Novembris 1930 habito, procedendi formam Supremi S. Tribunalis S. Officii propriam ad normam can. 1555 sequuti, praeaudito RR. DD. Consultorum voto, decreverunt:

libros damnans,

1. — Duodecim opera sacerdotis Iosephi Turmel, quorum tituli infra notantur, sub diversis nominibus edita, sed ab ipso uti propria agnita, praeter alia duo iam damnata et in Indicem relata, tamquam praedamnata habenda esse atque in Indicem librorum prohibitorum esse inserenda:

Louis Coulange, *La Vierge Marie*, Paris, Rieder, 1925. — Id., *La Messe*. Paris, Rieder, 1927. — Id., *The Life of the Devil*. London, 1929. — Id., *Cathéchisme pour adultes* (2 voll.). Paris, Rieder, 1929-1930. — Henri Delafosse, *Le Quatrième Evangile*. Paris, Rieder, 1925. — Id., *Les écrits de Sant Paul: L'Épître aux Romains*. Paris, Rieder, 1926. — Id., *Les écrits de Saint Paul: La Première Épître aux Corinthiens*. Paris, Rieder, 1926. — Id., *Les écrits de Saint Paul: La seconde Épître aux Corinthiens. Les Épîtres aux Galates, aux Colossiens, aux Éphésiens, à Philémon*. Paris, Rieder, 1927. — Id., *Les écrits de Saint Paul: L'Epître aux Philippiens. Les Epîtres aux Thessaloniciens. Les Epîtres Pastorales. L'Epître aux Hébreux*. Paris, Rieder, 1928. — Id., *Lettres d'Ignace d'Antioche*. Traduction nouvelle avec introduction et des notes. Paris, Rieder, 1927. — André Lagarde, *The Latin Church in the Middle-Age*. Edinburgh, 1925. — Edmond Perrin, *Saint Thomas d'Aquin, Somme Théologique*. Voll. I-II: *Dieu*. Traduction nouvelle avec une introduction et des notes. Paris, Rieder, 1927-1929;

excommunicans reum nominatim et vitandum declarans;

2. Ipsum, iam incursum in excommunicationem latae sententiae ad normam can. 2314 § 1, 1, nunc excommunicatione nominatim ac personaliter damnari, prout vi praesentis decreti damnatur; omnibus plecti poenis publice excommunicatorum; atque insuper *vitandum esse et ab omnibus vitari debere;*

Degradationi eum subiciens

3. — Eundem etiam degradationis poenae cum omnibus iuris effectibus subiici;

4. — Ab excommunicatione vero, de qua supra, ipsum absolutum non iri, nisi datis antea verae resipiscentiae signis, et retractatis formiter omnibus suis erroribus per declarationem a S. Officio probandam et publici iuris faciendam. Quibus tantum praestitis et non aliter, ipsum posse ad Sacramenta more laicorum iterum admitti. *Condicionem apponens absolutioni.*

Et eadem Feria V, die 6 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. D. Pius divina Providentia Pp. XI, in solita audientia R. P. D. Adsessori concessa, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit atque publicandam iussit. *Approbatio SS.i et mandatum publicandi.*

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 8 Novembris 1930. *Dies (8 nov. 1930).*

L. ✠ S.

A. Subrizi, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.*

5. — Suprema Cong. S. Officii

Decretum 21 nov. 1930

QUINQUE LIBROS P. ROUÉ DAMNANS

Feria IV, die 19 Novembris 1930 *Dies Cong.*

In Generali Consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii E.mi ac Rev.mi D.ni Cardinales, fidei et moribus tutandis praepositi, praehabito DD. Consultorum voto, damnaverunt, proscripserunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendos mandarunt libros a Paulo Roué editos, quibus tituli: *Proscriptio librorum.*

Le Procès de Jésus, Étude historique et juridique. Paris, André Delpeuch, éditeur; *Libri damnati*

Le Procès de Judas dit l'Iscariot. Paris, éditions de l'Épi;

Code de l'union libre (Amants, Maîtresses, Enfants naturels). Paris, Librairie de Droit usuel pratique;

Traité de l'annulation du mariage religieux. Paris, Etienne Chiron, éditeur;

Mon formulaire d'actes sous-seings privés. — Paris, Librairie de Droit usuel.

Et sequenti feria V, die 20 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. D. Pius divina Providentia Pp. XI, in solita audientia R. P. D. Adsessori impertita, relatum Sibi E.morum Patrum decretum approbavit, confirmavit et publicandum iussit. *Approbatio SS.i et mandatum publicandi.*

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 21 Novembris 1930. *Dies (21 nov. 1930).*

A. Subribzi, *Supremae S. Cong. S. Offici Notarius.*

L. ✠ S.

[4. 5.]

6. — S. Congr. Concilii

Resolutio 19-31 iul. 1930

DE MISSA PRO POPULO IN FESTIS SUPPRESSIS
(A. A. S., 1 dec. 1930, XXII, 521)

Die 19 Iulii 1930

Toletana et aliarum.

Orator controversiam exponens,

QUAESTIO. — Eminentissimus Cardinalis Archiepiscopus Toletanus die 1 Ian. 1930 ad H. S. C. quae sequuntur exponebat: « Etiam post decretum Sacrae Congregationis Concilii 28 Decembris 1919 disputatur in Hispania de obligatione applicandi Missam pro populo diebus festis olim *ex iure particulari* de praecepto ut e. g. in Hispania diebus Sancti Antonii Patavini, Sancti Isidori Agricolae, Sancti Augustini Doctoris, Sancti Ferdinandi Regis, etc., sed nunc suppressis sive vi Codicis, sive ante Codicem; dum alii negant, quia in festorum suppressorum decreto 28 Dec. 1919 non memorantur; alii affirmant, innixi in doctrina aliquorum scriptorum. Inde oritur diversa praxis et magna confusio, quae oporteret ut de medio tollatur; id quod unice per declarationem authenticam Sacrae Congregationis obtineri potest. Quapropter enixe orat ut talis declaratio quam primum detur ».

declarationem postulat.

Commendatio Nuncii Apo.

Super ea quaestione, quam etiam Exc.mus D. Nuncius Apostolicus apud Catholicum Regem, authentice solvendam commendat, exquisitum est, ut de more, votum Consultoris, quod praestat ex integro referre.

Votum Consultoris. Reicitur argumentum obligationem negans, ex c. 1247 § 2;

VOTUM CONSULTORIS. — Praemitto notissimam disciplinam vigentem circa applicandam Missam pro populo diebus festis suppressis iure universali; scilicet: « nihil hac in re per Codicem immutatum esse a disciplina hucusque vigente » (Pont. Comm. Cod., 17 Febr. 1918); itaque Missam applicandam esse singulis diebus enumeratis in subsequenti elencho edito a S. H. C. die 28 Dec. 1919 (*A. A. S.*, XII, p. 42). In quo elencho notantur duo festa localia: « Dies S. Patroni Regni; dies S. Patroni loci », quae tamen sunt iuris communis, vi nempe legis generalis, etsi variis diebus observata iuxta singulas regiones et loca. Unde statim cadit argumentum quod quis deducere vellet ex canone 1247 § 2: « Ecclesiastico praecepto dies festi

Patronorum non subiacent » ; scilicet sublatum est, quatenus superesset, praeceptum de quo in titulo « de diebus festis », quin fiat mutatio circa Missae applicationem pro populo.

et ex silentio de festis particularibus.

His dictis, unicum argumentum ab iis allatum qui suppressam putant obligationem applicandae Missae pro populo, diebus festis suppressis, deducitur ex silentio citati decreti circa festa iuris particularis. At statim quisque videt argumento huiusmodi nullam vim inesse, quia : *a)* silentium natura sua est quid negativum ; unde nec potest nec debet trahi in argumentum positivum ; nisi saltem aliud quid accedat ; *b)* laudatum decretum editum est ad tollenda dubia et anxietates ; nullum autem ius constituit ; contra expressis verbis se refert ad ius praeexistens, citans responsum Pontificiae Commissionis, iuxta quod nihil est innovatum a Codice ; *c)* immo decretum formaliter excludit ius particulare, non solum quia iteratis vicibus loquitur de festis « in *universali* Ecclesia », sed etiam quia nihil aliud est nisi determinatio celebris elenchi Urbaniani, qui legem ferebat pro *universali* Ecclesia, omisso iure particulari, ut ex eiusdem tenore patet.

Argumentum pro obligatione.

Ceterum, si res paulo attentius consideratur, statim apparet quaestionem minime versari circa ius particulare. Etenim ad ius particulare attinet festorum localium institutio et, dato casu, suppressio ; sed festorum etiam localium natura iuridica eadem est quae festorum universalium ; important scilicet idem praeceptum audiendi Sacrum, idem vetitum quoad opera servilia, eandem applicationem Missae pro populo. Haec autem nihil locale aut particulare habent. Iamvero inducta sunt iure communi festa quae nunc dicuntur suppressa, in quibus cessavit primo vetitum servilia operandi, dein et praeceptum audiendi Sacrum ; nunquam autem cessavit obligatio Missam pro populo : dicente canone 339 § 1 (cf. 466), quin antiquiores textus referam : applicandam esse Missam pro populo « in dominicis aliisque diebus festis de praecepto, etiam suppressis ». Cur autem et quomodo aliter res se haberet quoad festa suppressa iuris particularis ?

Ad hoc ergo ut admittamus sublatam fuisse applicationem Missae pro populo diebus festis suppressis iuris particularis, necesse foret ut demonstretur alias et alias servandas et servatas esse regulas quoad haec et ista festa, eiusdem naturae iuridicae ; demonstratio vero fieri deberet certo et authentico textu, vel saltem exemplo. Textum autem vel exemplum nemo protulit, quantum sciverim. Interim ergo stare possumus et debemus validissimae praesumptioni de qua supra.

Confirmatio ex Brevi Pii VII.

Quid autem loquar de praesumptione, dum textus adest? Pius enim Pp. VII, Brevi *Paternae charitati*, die 10 Aprilis 1818, reductionem concessit festorum antea in regno Neapolitano servatorum uti de praecepto; quo Brevi sublata sunt non tantum quaedam festa iuris universalis, scilicet e catalogo Urbaniano, sed etiam quaedam iuris particularis, ut ecce festum S. Antonii Patavini et S. Dominici. Porro quoad omnia festa suppressa, nulla facta distinctione, voluit Pontifex « nihil esse innovandum quoad chorum, relate ad festa in quorum occursu sublatum est praeceptum audiendi Sacrum ». Iamvero, fere statim ab edito Brevi, quaesivit Archipresbyter loci *Petrella* dioecesis Aquilanae, post primum dubium circa festum S. Antonii: « An parochi teneantur in posterum applicare Missam pro populo et celebrare cum cantu Missam parochialem diebus quibus sublatum est praeceptum audiendi Sacrum », evidenter interrogans circa *omnia* festa suppressa. Et respondit S. C. R. die 18 Octobris 1818 (n. 2592): « Affirmative ad utramque partem, etc. ». Haec ex *Consultazione canonica* XCIV E.mi Cardinalis Gennari, quae metam tangit, ut arbitror.

Votum pro obligatione

Quum vero nulla vel levis afferatur causa cur res in Hispania aliter se habuerint aut habeant ac in regno Neapolitano, certa omnino videtur responsio affirmativa, seu « stare obligationem applicandi Missam pro populo diebus festis suppressis iuris particularis in Hispania ».

Quare, etc.

Resolutio pro obligatione, 19 iul. 1930.

Resolutio. — In plenariis Comitiis die 19 Iulii 1930 in Palatio Apostolico Vaticano habitis, E.mi Patres Sacrae Congregationis Concilii, ad propositum dubium, nempe « *An obligatio applicandi Missam* pro populo *diebus festis suppressis, olim, ex iure particulari de praecepto, exsistat in casu* », respondendum censuerunt: « *Affirmative* ».

Approbatio SS.i

Dies (31 iul. 1930).

Facta autem relatione Ss.mo D.no Nostro Pio Papae XI, in Audientia infrascripto Secretario concessa die 31 eiusdem mensis, Ss.mus datam resolutionem approbavit ac confirmavit.

I. Bruno, *Secretarius.*

Annotatio.

Quamvis a solo archiepiscopo Card. Toletano quaestio proposita sit, resolutio tamen inscribitur *Toletana et aliarum*, quia propter identitatem causae ex sic expressa S. Cong. mente, valere debet pro universa Hispania.

7. — Dataria Apostolica

Normae 11 nov. 1930

SERVANDAE AB ORDINARIIS IN IMPETRANDA APOSTOLICA SEDE COLLATIONE BENEFICIORUM

(A. A. S., 11 dec. 1930, XXII, 525)

Cur normae praescribantur.

Ut Rev.mis Ordinariis recursus ad Sedem Apostolicam pro obtinenda collatione beneficiorum non consistorialium, quae, ad normam iuris, ipsi Sedi Apostolicae reservata sunt (Codex iuris can., 396, 1435) vel devoluta (can. 1432 § 3), facilior reddatur, et ut eorundem provisio recte et congruenter absolvatur, ac praecipue ut Romanus Pontifex, cui soli illorum collatio spectat et pertinet, libere ad illa eligere possit clericos, quos digniores et magis idoneos in dominio iudicaverit, sequentes normae, a SS. D. N. Papa Pio XI adprobatae, servandae erunt:

Spatium interponendum.

I. A die vacationis beneficii reservati vel a die devolutionis, ad diem quo recursus ad Sedem Apostolicam erit faciendus, aliquod temporis spatium intercedat, ita ut notitiam de collatione ipsius beneficii Summo Pontifici reservata clerici dioeceseos tempestive habeant.

In supplici libello omnium qui optant nomina cum testimonialibus danda, indicatis dignioribus saltem tribus.

II. Rev.mi Ordinarii in supplici libello pro collatione obtinenda beneficiorum reservatorum vel devolutorum, ad E.mum Cardinalem Sanctae Romanae Ecclesiae Datarium mittendo, nomina ecclesiasticorum omnium, qui beneficium optant, praesentent, una cum testimoniis de eorum aetate, studiis, vita, moribus, ministeriis quibus laudabiliter quisque functus sit, et de idoneitate ad munia beneficii, de quo agitur, obeunda: et saltem tres, quatenus fieri possit, uti digniores indicent.

Suffragia examinatorum, si beneficia obnoxia sint concursui

III. Si beneficia reservata vel devoluta legi concursus, sive generali sive particulari, obnoxia sint, suffragia ab examinatoribus lata quoad idoneitatem et scientiam tum coniuctim tum distincte, ad Apostolicam Datariam, una item cum vitae curriculo seu testimoniis, ut supra, concurrentium, mittantur, servatis apud curiam Ordinarii actis concursus.

Qualitas requisita, SS.i, si Scriptura explananda est

Quod si beneficio onus insit Sacrae Scripturae populo explanandae, candidatus, ex praescripto Motus proprii Pii Pp. XI

diei 27 Apr. 1924, licentia aut laurea in re biblica potitus esse debet. Si Ordinarii vero derogationem a dicta lege, rationabili de causa, impetrare cupiant, testimonium de candidati peritia super Sacram Scripturam, onerata eorum conscientia, perhibeant.

vel cura animarum annectitur.

VI. Si de beneficio agatur adnexam habente curam animarum, quarum salus super omnia prae oculis habenda est, iudicium Rev.mi Ordinarii quoad scientiam, pietatem, zelum animarum et idoneitatem candidatorum ad regendam paroeciam de qua agitur — cui tantum magis idoneus praeficiendus erit (can. 459) — semper requiritur, graviter onerata conscientia eiusdem Ordinarii.

Debita ratio de voto Ordinarii habebitur.

Votum vero Rev.mi Ordinarii circa candidatum, quem magis dignum et idoneum reputet, Summus Pontifex libenter semper excipiet ac de illo, pro Sua sapientia et prout in Domino iudicaverit, debitam rationem habebit.

Dies (11 nov. 1930).

Ex Dataria Apostolica, die 11 Novembris 1930.

R. Card. SCAPINELLI, *S. R. E. Datarius.*

L. ✠ S.

I. GUERRI, *Regens.*

ANNOTATIONES

1. Notissimum est, etiam post Codicem I. C., cuius normae antiquis regulis Cancellariae substitutae sunt, beneficia non nulla quoque non Consistorialia a S. Pontifice providenda esse. Quae benefica alia reservata, alia devoluta dicuntur. *Reservata* sunt quae per se, ex normis iuris, i. e. ex can. 396 et 1435, S. Sedi assignantur; *devoluta* vero ea quae propter neglegentiam Ordinarii iam ab ipso conferri non possunt: i. e., quando beneficium intra sex menses non contulit extra adiuncta quae « prudenti Ordinarii iudicio, collationem tituli paroecialis differendam suadeant ». Cfr c. 1432 § 3 et 458.

2. Consuevit S. Pontifex votum Ordinarii maximi facere: quod in fine praefati documenti insinuatur et confirmatur.

ACTA SUMMATIM RELATA

8. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Indulgentiae catechismum tradentibus et discentibus concessae.

A. Brevi *Litteris nostris*, 11 mart. 1930, SS. D., abrogatis indulgentiis in hac re antea concessis, « omnibus et singulis christifidelibus, qui per mediam circiter horam et non minus quam per tertiam horae partem doctrinae christianae tradendae vel discendae saltem bis in mense operam dederint, eodemque in mense bis lucrandam, diebus ad ipsorum arbitrium seligendis, *Plenariam Indulgentiam*, dummodo vere poenitentes et confessi ac sacra communione refecti, aliquam ecclesiam vel publicum oratorium visitaverint, ibique ad mentem nostram seu Romani Pontificis preces effuderint misericorditer in Domino » concedit, praeter indulgentiam *partialem centum dierum*, contrito saltem corde acquirendam (*A. A. S.*, XXII, 336).

Nova dioecesium in Romania circumscriptio et hierarchia.

B. Bulla *Solemni Conventione*, 5 iun 1930, SS. Dominus novam circumscriptionem et hierarchicam dioecesium tum latini tum graeci-rumeni ritus decernit in regno Romaniae, sicut cautum erat pactione 10 maii - 7 iul. 1929 inter S. Sedem et Romaniae regnum, art. II et III (cfr *Per.*, XIX, 97 ss). (*A. A. S.*, XXII, 381.)

Canonizatio B. Catharinae Thomas.

C. Bulla *Hispana terra*, 12 iun. 1930, beatae Catharinae Thomas, canonissae regulari professae Ordinis S. Augustini, Palmae Balearium, Sanctorum caelitum honores decernuntur (*A. A. S.*, XXII, 371).

Canonizatio B. Luciae Filippini.

D. Bulla *Magistra sancta*, 22 iun. 1930, beata Lucia Filippini, fundatrix et antistita Instituti Magistrarum Piarum ab eius cognomine nuncupatarum, Sanctorum fastis adscribitur (*A. A. S.*, XXII, 433).

Canonizatio B. Theophili a Curte.

E. Bulla *Arbor bona*, 29 iun. 1930, qua etiam narrantur acta sollemnis canonizationis habitae in Basilica Vaticana, confirmatur iterumque decernitur ascriptio sanctorum fastis B. Theophili a Curte, sacerdotis Professi O. F. Min. (*A. A. S.*, XXII, 465).

Canonizatio B. Ioannis de Brébeuf et sociorum.

F. Bulla *Militantem Ecclesiam*, 29 iun. 1930, Beatis Ioanni de Brébeuf, Isacco Iogues et sociis martyribus, Societatis Iesu sodalibus, Sanctorum honores decernuntur.

G. *Litterae de Dioecesibus, Vicariatibus, Praefecturis Apostolicis et Missionibus.*

Praelatura Nul. Guajaramirensis.

1. Bulla *Animarum cura,* 1 mart. 1929 dismembrantur dioecesis S. Aloisii de Caceres et praelatura nullius Portus Veteris et erigitur nova praelatura nullius Guajaramirensio (*A. A. S.*, XXII, 444).

Delegatio Congi Belgici.

2. Brevi *Ad regimen,* 10 ian. 1930, erigitur delegatio apostolica Congi Belgici (*A. A. S.*, XXII, 447).

Delegatio Africae.

3. Brevi *Pastoralis officii,* 11 ian. 1930, erigitur delegatio apostolica Africae (*A. A. S.*, XXII, 448).

Sappensis, Scodrensis.

4. Brevi *Incumbentis Nobis,* 25 ian. 1930, fines reguntur inter dioecesim Sappensem et archidioecesim Scodrensem (*A. A. S.*, XXII, 449).

Poonensis, Bombayensis.

5. Brevi *Romanum Pontificem,* 25 ian. 1930, fines reguntur inter dioecesim Poonensem et archidioecesim Bombayensem (*A. A. S.*, XXII, 450).

Vicariatus Nili Sup. et Praefectura Nili Aequat.

6. Brevi *Romanum Pontificem,* 4 dec. 1929, Fines reguntur inter vicariatum apostolicum Nili Superioris et praefecturam apostolicam Nili Aequatorialis (*A. A. S.*, XXII, 476).

Praefectura de Pingliang.

7. Brevi *Longinquis in regionibus,* 25 ian. 1930, erigitur praefectura apostolica de Pingliang, dismembrato territorio e vicariatu apostolico de Tsinchow in Sinis (*A. A. S.*, XXII, 477).

Missio d Sinkiang.

8. Brevi *Decet Romanum Pontificem,* 14 feb. 1930, dismembrato territorio e vicariatu apostolico de Lanchowfu erigitur Missio independens de Sinkiang in Sinis (*A. A. S.*, XXII, 478).

Territorium de Macas.

9. Brevi *Quo Fidei,* 19 feb. 1930, territorium de Macas praefecturae apostolicae de Mendez et Gualaquiza adiudicatur (*A. A. S.*, XXII, 480).

Vicariatus Canalis Suesii.

10. Brevi *Ex apostolico munere,* 30 mart. 1930, fines immutantur vicariatus apostolici Canalis Suesii (*A. A. S.*, XXII, 482).

Praefectura de Umtata.

11. Brevi *Quo maiori rerum,* 30 mart. 1930, distracto territorio a vicariatu apostolico de Mariannhill, erigitur praefectura apostolica de Umtata (*A. A. S.*, XXII, 483).

Archid. Rhodiensis.

12. Brevi *Constitutione Apostolica,* 30 mart. 1930, augetur territorium archidioecesis Rhodiensis (*A. A. S.*, XXII, 484).

Vicariatus Transvaal. et Kimberley.

13. Brevi *Decessores Nostros,* 30 Mart. 1930, territorium de Marico et de Rustemburg a vicariatu apostolico Transvaalensi ad vicariatum de Kimberley transfertur (*A. A. S.*, XXII, 485).

Vicariatus insularum Salomonicarum.

14. Brevi *Cum in praefectura,* 31 maii 1930, Praefectura apostolica insularum Salomonicarum septemtrionalium in vicariatum apostolicum erigitur (*A. A. S.*, XXII, 513).

Vicariatus Wuchang.

15. Brevi *Venerabilis frater,* 31 maii 1930, erigitur praefectura apostolica de Wuchang in vicariatum. (*A. A. S.*, XXII, 514).

H. *Litterae de ecclesiis.* In Basilicam minorem eriguntur :

1. Brevi *Lombardi in Urbe,* 21 dec. 1929, templum SS. Ambrosii et Caroli in Urbe, in quo SS. D. primum abhinc annos quinquaginta litavit (*A. A. S.*, XXII, 387). *Templum SS. Ambrosii et Caroli in Urbe.*

2. Brevi *Archidioecesis Compsanae,* 17 feb. 1930, templum in honorem B. M. V. et Sancti Gerardi Maiella C. SS. R., loci « Caposele » (*A. A. S.*, XXII, 479). *Templum in honor B. M. V. et S. Gerardi C. SS. R., in loco Caposele.*

3. Brevi *Moguntinae dioecesis,* 1 ap. 1930, paroeciale templum S. Martini Ep. oppidi « Bingen » (*A. A. S.*, XXII, 486). *Eccl. paroec. S. Martini, oppidi Bingen.*

4. Brevi *Dioecesis Savonensis,* 17 maii 1930, ecclesia collegiata S. Ioannis Baptistae, loci « Finalmarina » (*A. A. S.*, XXII, 487). *Ecclesia collegiata S. Ioann. B. in loco Finalmarina.*

5. Brevi *Ianuensi in civitate,* 21 maii 1930, Ecclesia S. Francisci de Paula in Ianuensi civitate (*A. A. S.*, XXII, 510). *Ecclesia S. Francisci de Paula urbis Ianuae.*

9. — S. C. Consistorialis

Immutatio finium.

Decreto 28 martii 1930, seiungitur pagus *Orchów* a paroecia Damaczevo et a dioecesi Pinskensi et paroeciae Wodawa et dioecesi Siedlcensi perpetuo unitur (*A. A. S.*, XXII, 392). *Dioeceses Pinskensis et Siedlcensis.*

Decreto 23 maii 1930, seiunguntur pagi *Albertòw* et *Jankòwek* a paroecia Budziszewice et ab archidioecesi Varsaviensi et paroeciae Rokiciny et dioecesi Lodzensi uniuntur (*A. A. S.*, XXII, 454). *Pagi Albertow et Iankòwek.*

10. — S. C. pro Ecclesia Orientali

Decretum, 24 maii 1930, de administratione Ordinariatus graeco-rutheni in regione Canadensi (*A. A. S.*, XXII, 346). *Ordinariatus Canadensis.*

11. — S. Congregatio de Religiosis

Approbationes Institutorum vel Constitutionum.

1. Decreto 1. dec. 1929, constitutiones instituti Sororum, vulgo *di Nostra Signora della Croce,* definitive approbantur. *Sorores Nostra Signora della Croce.*

2. Decreto 1. dec. 1929, constitutiones sodalium, vulgo *Oblati di S. Giuseppe d' Asti,* definitive approbantur. *Oblati di S. Giuseppe d' Asti.*

3. Decreto 1 dec. 1929, institutum Sororum, vulgo *Piccole Suore dell' Immacolato Cuore di Maria, del Terz' Ordine di S. Francesco,* laudatur eiusque constitutiones ad septennium approbantur. *Piccole Suore dell' Immacolato Cuor di Maria.*

Scolare del Terz'Ordine di S. Francesco.

4. Decreto 1 dec. 1929, institutum Sororum, vulgo *Scolare del Terz' Ordine di S. Francesco di Eggenberg,* ad septennium approbatur.

Ministre degli infermi di Lucca.

5. Decreto 1 dec. 1929, institutum Sororum, vulgo *Ministre degli Infermi di Lucca,* cum constitutionibus ad septennium approbatur.

Suore di Paramé.

6. Decreto 27 ian. 1930, institutum Sororum, vulgo *dei Sacri Cuori di Gesù e Maria di Paramé,* cum constitutionibus ad septennium approbatur.

Sorores a charitate.

7. Decreto 27 ian. 1930, institutum Sororum *a Charitate,* cuius domus in dioecesi Namurcensi, ad septennium approbatur.

Suore della Compassione di Maria Addolorata.

8. Decreto 27 ian. 1930, constitutiones instituti Sororum, vulgo *della Compassione della Beatissima Vergine Maria Addolorata,* definitive approbantur.

Serve del SS mo Sacramento.

9. Decreto 27 ian. 1930, institutum Sororum, vulgo *Serve del SS.mo Sacramento di Caracas,* cum constitutionibus ad septennium approbatur.

Suore del Sacro Cuore del Verbo Incarnato.

10. Decreto 27 ian. 1930, institutum Sororum, vulgo *del Sacro Cuore del Verbo Incarnato,* cuius domus in Urbe, cum constitutionibus ad septennium approbatur.

Serve di S. Giuseppe.

11. Decreto 27 ian. 1930, constitutiones Instituti Sororum, vulgo *Serve di S. Giuseppe,* ad septennium approbantur.

Figlie di S. Giuseppe.

12. Decreto 27 ian. 1930, constitutiones Sororum, vulgo *Figlie di S. Giuseppe,* ad septennium approbantur.

Figlie della Carità del SS. Cuore di Gesù.

13. Decreto 27 ian. 1930, institutum Sororum, vulgo *Figlie della Carità del SS.mo Cuore di Gesù,* cum constitutionibus approbatur.

Gioseffiti di Grammont.

14. Decreto 3 mart. 1930, constitutiones Instituti Sodalium, vulgo *Gioseffiti di Grammont,* definitive approbantur.

Sorores de la Providence de Portieux.

15. Decreto 3 mart. 1930, constitutiones Instituti Sororum, vulgo *de la Providence de Portieux,* definitive approbantur.

Terziarie Domenicane di S. Caterina da Siena.

16. Decreto 3 mart. 1930, Institutum Sororum vulgo *Terziarie Domenicane di S. Caterina da Siena,* cum constitutionibus ad septennium adprobatur.

Scrores della Dottrina Cristiana.

17. Decreto 3 mart. 1930, constitutiones Sororum, vulgo *della Dottrina Cristiana,* definitive approbantur.

Clarissae.

18. Decreto 12 martii 1930, constitutiones *Monialium Clarissarum,* ad septennium approbatur.

Figlie del Purissimo Cuore della B. M. V.

19. Decreto 12 maii 1930, Institutum Sororum, vulgo *Figlie del Purissimo Cuore della B. M. V.,* cum constitutionibus ad septennium approbatur.

Fratelli Francescani di Monte Bellew-Islanda.

20. Decreto 12 maii 1930, Institutum Sodalium, vulgo *Fratelli Francescani di Monte Bellew - Islanda, del Terz' Ordine Re-*

golare di S. Francesco, cum constitutionibus ad septennium approbatur.

21. Decreto 12 maii 1930, Institutum Sororum, vulgo *Hermanas Amantes de Jesús, Hijas de Maria Immaculada,* cum constitutionibus ad septennium approbatur. *Hermanas Amantes de Iesús, Hijas de Maria Immaculada.*

22. Decreto 12 maii 1930, Institutum Sororum, vulgo *Carmelitane del Divin Cuore di Gesù,* cum constitutionibus definitive approbatur. *Carmelitane del Divin Cuore di Gesù.*

23. Decreto 12 maii 1930, Institutum Sororum *a S. Ioseph,* cum constitutionibus ad septennium approbatur. *Sorores a S. Ioseph.*

24. Decreto 12 maii 1930, Institutum Sororum, vulgo *Francescane Missionarie di S. Giuseppe,* cum constitutionibus ad septennium approbatur. *Francescane Missionarie di S. Giuseppe.*

25. Decreto 12 maii 1930, Institutum Sodalium, vulgo *Aumôniers du Travail,* cum constitutionibus ad septennium approbatur. *Aumôniers du Travail.*

26. Decreto 12 iulii 1930, Institutum Sororum, vulgo *del SS.mo Cuore di Gesù Montmartre,* cum constitutionibus ad septennium approbatur. *Suore del SS.mo Cuore di Gesù Montmartre.*

27. Decreto 12 iulii 1930, Institutum Sororum, a *Tertio Ordine Regulari S. Francisci* cum constitutionibus ad septennium approbatur. *Sorores a Tertio Ord. Reg. S. Francisci.*

28 Decreto 12 iulii 1930, Institutum Sororum, vulgo *delle Scuole Cristiane della Misericordia,* cum constitutionibus ad septennium approbatur. *Suore delle Scuole Cristiane della Misericordia.*

29. Decreto 12 iulii 1930, Institutum Sororum *a S. Ioseph,* cum constitutionibus ad septennium approbatur. *Sorores a S. Ioseph.*

30. Decreto 12 iulii 1930, Institutum Sororum, vulgo *Servantes du Saint-Esprit et de Marie Immaculée,* cum constitutionibus ad septennium approbatur. *Servantes du Saint-Erprit et de Marie Immaculée.*

31. Decreto 12 iulii 1930, Institutum Sororum, vulgo *Ancelle del Santuario,* cum constitutionibus ad septennium approbatur. *Ancelle del Santuario.*

32. Decreto 12 iulii 1930, Institutum Sororum *a Divino Corde Iesu,* cum constitutionibus ad septennium approbatur. *Sorores a Divino Corde Iesu.*

33. Decreto 12 iulii 1930, Institutum Sororum *a Sancta Martha* cum constitutionibus ad septennium approbatur. *Sorores a S. Martha.*

34. Decreto 12 iulii 1930, Institutum Sororum *a Sancto Carolo* cum constitutionibus definitive approbatur. *Sorores a S. Carolo.*

35. Decreto 12 iulii 1930, Institutum Sororum, vulgo *Piccole Suore dell' Immacolato Cuore di Maria del Terz' Ordine di S. Francesco,* cum constitutionibus ad septennium approbatnr. *Piccole Suore dell'Immacolato Cuore di Maria del Terz'Ordine di S. Francesco.*

12. — S. Congr. Rituum

Causae Beatificationis et canonizationis.

Maria Caelina a Praesentatione.

I. *Burdigalen.* Decretum 18 iun. 1930, super introductionis causae beatificationis et canonizationis Servae Dei Mariae Caelinae a Praesentatione, secundi ordinis S. Francisci (A. A. S., XXII, 417).

Paulina Maria Iaricot.

II. *Lugdunen.* Decretum 18 iun. 1930, super introductionem causae beatificationis et canonizationis Servae Dei Paulinae Mariae Jaricot, fundatricis operum Propagationis Fidei et Rosarii viventis (A. A. S., XXII, 420).

13. — Provisio Ecclesiarum

Decretis S. Congregationis Consistorialis nominati sunt :

Catania (Italia).

7 iul. 1930, R. D. Carmelus Patanè, ex ep. Hydruntino, archiepiscopali ecclesiae Catanensi.

Iglesias (Italia).

22 iul. 1930, R. D. Ioannes Pirastru, cathedrali ecclesiae Ecclesiensi.

Anglona-Tursi (Italia).

29 iul. 1930, R. D. Dominicus Petroni, cathedrali ecclesiae Anglonensi Tursiensi.

Alife (Italia).

29 iul. 1930, R. D. Aloisius Noviello, cathedrali ecclesiae Aliphanae.

Melfi-Rapolla (Italia).

29 iul. 1930, R. D. Aloisius Dell'Aversana, cathedralibus ecclesiis Melphiensi et Rapollensi.

Évreux (Francia).

2 aug. 1930, R. D. Alfonsus Gaudron, cathedrali ecclesiae Ebroicensi.

Saint-Dié (Francia).

2 aug. 1930, R. D. Augustinus Marmotin, cathedrali ecclesiae Sancti Deodati.

Great-Falls (U. S. A.)

1 aug. 1930, R. D. Eduinus V. O' Hara, cathedrali ecclesiae Great-Ormensi.

Rio Preto (Brasile).

8 aug. 1930, R. D. Libanius Lafayette, cathedrali ecclesiae Riopretensi.

Berlino (Germania).

13 aug. 1930, R. D. Christianus Schreiber, cathedrali ecclesiae Berolinensi.

Sandomir (Polonia)

21 aug. 1930, R. D. Stanislaus Bronislaus Jasinski, cathedrali ecclesiae Sandomiriensi.

Milwaukee (U. S. A.)

26 aug. 1930, R. D. Samuel Stritch, metropolitanae ecclesiae Milwaukiensi.

28 aug. 1930, R. D. Aloisius Scheiwiler, cathedrali ecclesiae Sancti Galli. *San Gallo (Svizzera).*

2 sept. 1930, R. D. Hippolytus Agudelo, cathedrali ecclesiae Pastopolitanae. *Pasto (Columbia).*

2 sept. 1930, R. D. Stanislaus Adamski, cathedrali ecclesiae Katovicensi. *Katowice (Polonia).*

2 sept. 1930, R. D. Maximilianus Kaller, cathedrali ecclesiae Varmiensi. *Warmia (Prussia).*

16 sept. 1930, R. D. Marius Toccabelli, cathedrali ecclesiae Alatrinae. *Alatri (Italia).*

17 sept. 1930, R. D. Iosephus Kumpfmueller, cathedrali ecclesiae Augustanae Vindelicorum. *Augusta (Baviera).*

14. — Nominationes.

A. — *Brevibus apostolicis nominati sunt:*

28 iun. 1930, R. D. Petrus Falière, Vicarius Apostolicus Birmaniae Septentrionalis. *Birmania.*

28 iun. 1930, R. P. Thomas Emmet, Vicarius Apostolicus Jamaicae. *Giamaica.*

18 iul. 1930, R. D. Franciscus Lion Hin Wen, Vicarius Apostolicus de Fenyang. *Fenyang.*

23 iul. 1930, R. P. Raphaël Angelus Palazzi, Vicarius Apostolicus de Hengchow. *Hengchow.*

24 iul. 1930, R. P. Ioannes Cuvelier, primus Vicarius Apostolicus de Matadi in Congo Belgico. *Matadi.*

24 iul. 1930, R. D. Ignatius Canazei, Vicarius Apostolicus de Shinchow *Schinchow.*

B. — *Decretis S. Cong. de Propaganda Fide:*

12 feb. 1930, R. D. Martinus O' Gara, Praefectus Apostolicus de Shenchow. *Shenchow.*

19 feb. 1930, R. P. Ludovicus Lapierre, Praefectus Apostolicus de Sze-ping-kai. *Sze-ping-kai.*

1 apr. 1930, R. P. Ioannes E. Morris, Praefectus Apostolicus de Peng-yang. *Peng-yang.*

8 apr. 1930, R. P. Gulielmus Thomas Porter, Praefectus Apostolicus Nigeriae septemtrionalis. *Nigeria.*

29 apr. 1930, R. P. Ignatius Larranaga Lasa, Praefectus de Pingliang. *Pingliang.*

30 apr. 1930, R. P. Rogerius Cazzanelli, Superior ecclesiasticus missionis de Hwangchow. *Hwengchow*

15. — Necrologium.

Charlottetown. 7 iul. 1930, Ludovicus Iacobus O' Leary, episcopus Carolinapolitanus.

Roma. 9 iul. 1930, Em. Card. Vincentius Vannutelli.

S. Luigi Potosi. 13 iul. 1930, Michael M. de la Mora, episcopus S. Ludovici Potosiensis.

Placencia. 16 iul. 1930, Iustus Ribas y Fernandez, episcopus Placentinus.

Ascoli Satriano Cerignola. 24 iul. 1930, Ioannes Sodo, episcopus Asculanus Apul. et Ceriniolensis.

Fidenza. 9 aug. 1930, Ioseph Fabbrucci, episcopus Fidentinus.

Nancy-Toul. 27 aug. 1930, Hippolytus De la Celle, episcopus Nanceiensis et Tullensis.

Aix 28 sept. 1930, Mauritius Rivière, archiepiscopus Aquensis.

Firenze 7 nov. 1930, Em. Card. Alphonsus M. Mistrangelo Archiepiscopus Florentinus.

Rennes. 7 nov. 1930, Em. Card. Alessius Charost, Archiepiscopus Rhedonensis.

Sinnada. 13 nov. 1930, Enricus Victor Altmayer, Archiepiscopus Synnadenus.

Aversa. 23 nov. 1930, Septimius Caracciolo di Torchiarolo episcopus Aversanus.

BIBLIOGRAPHIA

I. *Ex libris.*

Francisco Ter Haar (C. SS. R). *De matrimoniis mixtis eorumque remediis.* Vol. (15 × 22,5) VIII-195 p. Taurini ex officina Libraria Marietti 1931. Lib. it. 11.

De prohibitione ineundi matrimonium mixtum. - De dispensationibus in matrimoniis mixtis. - De remediis contra matrimonia mixta adhibendis. - De modo agendi cum iis qui matrimonium mixtum iam inierunt. - Documenta statistica aliaque ex variis regionibus.

Hölscher Emil Erich. *Sittliche Rechtslehre : der Versuch einer Objektiven Erforschung des Rechts.* 2 Vol. (15 × 23) Pag. 352. 372. München, Kösel-Pustet, 1930.

Die Voraussetzungen des Rechts: Das Objektive. Die Erkenntnisfähigkeiten. Sittlichkeit, Sittliches Gesetz und sittliche Pflicht. — Das Recht: Die wesentlichen Elemente des Rechts. Die Gerechtigkeit. Die unwesentlichen Elemente des Rechts. Der Begriff des Rechts. — Recht und Sittlichkeit. — Das Verhältnis des natürlichen Rechts zum positiven Rechte: Die Begriffe: natürliches und positives Rechts. Das natürliche Recht insbesondere. Das positive Recht insbesondere. Das Verhältnis zwischen natürlichem und positivem Rechte. — Staat, Staatsgewalt und Staatliches Recht. — Kirche, Kirchengewalt und Kirchliches Recht. — Staat und Kirche: Historischer Exkurs. Kirche und Staat. Die negativen der staatlichen Zuständigkeit. — Das Sittlich — Positive Recht: Die objektiven Beziehungen des Rechtes. Die subjektiven Beziehungen des Rechts. Von der Erzwingbarkeit der Rechtsbeziehungen. — Das Göttliche Recht.

Broel-Plater Leo. *De primatu Romanorum Pontificum ab Anastasio II ad Pelagium II* (496-590) Vol. (15 × 22) Pag. 78, Romae, 1930.

De unica Christi Ecclesia et de Romanis Pontificibus Petri in primatu successoribus. — De primatu iurisdictionis RR. PP. — De infallibilitate RR. PP. — De relationibus inter Rom. Pontifices et Imperatores. — Conclusio.

P. Ioseph Ternus (S. I.). *Zur Vorgeschichte der Moralsysteme von Vitoria bis Medina.* Vol. (16 × 24,5) 116 pag. Paderbon, Ferdinand Schöningh, 1930.

Ubersicht über die Gesamtentwicklung von Vitoria bis Medina - Stellung und Bedeutung des Dominicus Soto in der Vorgeschichte der Moralsysteme - Der moraltheologische Traktat " De dubio et opinione „ bei Medina verglichen mit jenem bei Soto. Gemeinsames und trennendes. - Die Minusprobabilitätsthese Medinas in Zusammenhang seines Opinio-Traktates. - Eine neuere kontroverse zur Philosophie des Probabilismus und ihre Beleuchtung ans unsern Ergebnissen.

Matthaeus Conte a Coronata (O. M. C.). *Institutiones Iuris canonici* ad usum utriusque cleri et scholarum. Vol. II, *De Rebus.* Vol. (14,5 × 22,5) 520 p. Taurini, Marietti, 1931. Venit 25 Lit.

Volumen ad ordinem et divisiones Codicis aptatus est. Omittitur Pars de Sacramentis. Indicamus, exempli causa: De exemptione locorum sacrorum; De consilio fabricae Ecclesiae; Casus dubiae privationis sepulturae; De expositione publica aut privata SS. Eucharistiae; De supplicatione XL Horarum; De modo contionandi; De iureiurando antimodernistico; De iuribus Ordinarii loci circa instituta ecclesiastica non collegiata; De reductione aut commutatione ultimarum voluntatum ad pias causas; speciatim notanda circa venditionem, permutationem et locationem bonorum ecclesiasticorum; speciatim servanda in emphyteusi bonorum ecclesiasticorum; speciatim notanda de contractu mutui; De interpretatione facultatum reducendi onera piarum fundationum.

Vinc. Avv. Del Giudice. *Sul potere giurisdizionale dei tribunali ecclesiastici nelle cause di nullità dei matrimoni preconcordatari.* 20 p. da " Il Foro della Lombardia „ Padova, Casa Edit. Dr. Ant. Milani, 1931.

Umberg I. A., (S. I.), *Systema Sacramentarium.* Vol. (14×21) Pag. VIII-122, Oeniponte, Rauch, 1930.

De esse sacramentorum. - De sacramentorum necessitate. - De sacramentorum susceptione. - De sacramentorum confectione et collatione.

Bastnagel Clement Vincent. *The appointment of parochial adjutants and assistants* (The catholic University of America, Canon Law Studies). Vol. (15 × 23) Pag. XV-262, Washington D. C., 1930.

Historical conspectus. - Early history of Parish discipline. - The parochial auxiliary clergy from the time of their origin to the thirteenth century. - Parochial assistant vicars from the

thirteenth century to modern times. - Parochial adjutant vicars from the time of their origine to modern times. - Textual import of canons 475 § 1 and 476 §§ 1-2. - The manner of appointing adjutants. - The manner of appointing assistants.

Conran Edward James. *The interdict.* (The catholic University of America, Canon Law Studies) Vol. (15×23) Pag. V-163, Washington D. C. 1930.

The nature of the interdict. - Historical development. - Effects. - Canon 2269: The Laying of an interdict. - Canon 2270: Modifying consequences of the local interdict. - Canon 2272: Effects of the particular local interdict. - Canon 2273: The extent of local interdicts. - Canon 2274 and 2275: The effects of a personal interdict. - Canon 2276: Concessions in favor of those personally innocent. - Canon 2277: Interdicts forbidding entrance into a Church. - Interdicts constituted by Law.

Costello M. John. *Domicile and quasi-domicile.* (The catholic University of America, Canon Law Studies) Vol. (15×23) Pag. VII-201, Washington D. C., 1930.

Domicile in roman Law; in canon Law. — Quasi-Domicile before the Code. — The place of Origin. — Concept of domicile and quasi-domicile; Acquisition; Loss. — Plurality of domiciles and quasi-domiciles. — Legal or necessary domicile and quasi-domicile. — Place of domicile and quasi-domicile; Effects.

Ferry A. William. *Stole Fees* (The catholic University of America, Canon Law Studies) Vol. (15×23) Pag. VIII-107, Washington D. C., 1930.

Historical Development: Pious Offerings. The Evolution and Development of Stole Fees. — Canonical Aspect: General Law on Stole Fees. The Rights of the White Stole. The Rights of the Black Stole. — Exemption.

Kremer Michael N. *Church support in the United States* (The catholic University of America, Canon Law Studies) Vol. (15×23) Pag. VI-136, Washington D. C., 1930.

Historical conspectus of church support. — The obligation of church support. — Methods of support. — Support of diocesan and extra-diocesan activities.

O' Neill William H. *Papal rescripts of favor* (The catholic University of America, Canon Law Studies) Vol. (15×23) Pag. VII-218, Washington D. C., 1930.

Historical introduction. — Preliminary notions about rescripts. — Rescripts in Roman Law. — Historical development of papal rescripts of Favor. — Their granting; Development

Form; Taxes, componenda, agents' fees and carrier expenses; Petitioning, interpreting and executing, Petitioning favors from the Holy See. -- Interpretation of papal rescripts of favor: Execution. Cessation, (can. 60-61).

Petrani Alexiux. *De relatione iuridica inter diversos ritus in Ecclesia catholica.* Vol. (14×22) Pag. 107, Taurini, Marietti, 1930, Venit Lit. 6.

Varii ritus in Ecclesia catholica. — Catholici ad ecclesiam orientalem pertinentes. — De suprema in ritus orientales moderandos auctoritate. — Sedes Romana et ritus orientales. — De proprio uniuscuiusque fidelium ritu. — De mutatione proprii ritus. — De transitu a ritu latino ad orientalem, ab orientali ritu ad alium. — De christifidelium per praelatos regimine. — De rituum prohibita permixtione. — De certo ordine in sacramentorum administratione. — De baptismo, confirmatione; de sacrificio eucharistico, ss. communione. — De paenitentia, de extrema unctione. — De ordine, matrimonio. — De temporibus sacris eorumque observatione.

Faggioli Emilio. *Elementi di amministrazione ecclesiastica.* Vol. (14×22) Pag. 139, Torino, Marietti, 1930, Venit Lit 6.

Amministrazione. — Amministrazione ordinaria. — Stato patrimoniale. — Stato economico. — Amministrazione straordinaria. — Contabilità. — Ufficio amministrativo diocesano. — Pratiche di archivio. — Testamento.

Vito Pasquale. *Questioni canoniche di materie riguardanti i nostri tempi secondo il Codice di Diritto Canonico.* Vol. (15 21) Pag. 168, Pignataro Maggiore (Napoli), 1930. Lit. 10.

Dell'obbligo di adempiere un legato. La dichiarazione di nullità del matrimonio civile contratto prima che andasse in vigore il concordato fra la S. Sede e l'Italia. — La riserva dei peccati imposta fuori Sinodo. — Gli oneri da dedursi per la tassa del Seminaristico. — Le esequie e l'invito al Clero locale. — Funzioni in una cappella di campagna. — L'articolo 28 del Concordato e l'assoluzione della censura incorsa dai detentori di beni ecclesiastici. — Posizione giuridica delle ex-collegiate e rapporti col Vicario foraneo. — Le Messe manuali bisogna trasmetterle « cum integra eleemosyna ». - Delega per la celebrazione di matrimonio nella Chiesa di un Convento. — Funerali di espatriati nel loro paese di origine. — Donazione di beni mobili della propria chiesa per ingraziarsi alta persona. — I diritti dell'Arciprete sulle chiese succursali. — La restituzione di un mutuo in denaro. — Il diritto alla doppia e la prescrizione trentennale.

P. De Preter (C. I. C. M.). *Le gouvernement des communautés religieuses*. Vol. (16×24) 94 pag. Anvers. Librairie Veritas.

De la supériorité en général. — De la sainteté du Supérieur. — De la prudence. — De l'alliance de la prudence avec la fermeté. — De la correction. — De la patience dans les contradictions — (Ex opere maiore **P. Valuy**).

Lépicier Alessio Maria (Card.). *Gesù Cristo re dei nostri cuori*. Vol. (11×17) Pag. 219, Torino, Marietti, 1930, Venit Lit. 6.

Il Cuore di Gesù capolavoro della destra di Dio, fonte di ogni bene, Re dei nostri cuori. — Gesù Cristo adorato come Re dai Magi, proclamato dai discepoli, rende testimonianza della sua regia dignità. — Testimonianza resa da Pilato. — Il suo regno non umano, ma divino, Re e centro di tutti i cuori. — Glorie del Cuor di Gesù, rispecchiate nei Santi. — Come Gesù deve regnare sui nostri cuori, sulla famiglia, sulla società. — Trionfo di Gesù sui nemici suoi, dell'opera sua, della sua Chiesa. — Lettera enciclica di Leone XIII sulla consacrazione degli uomini al SS. Cuore di Gesù. — Offerta, litanie, coroncina al Sacro Cuore. — Promesse di Gesù ai suoi devoti.

de Moreau É. (S. I.). *Saint Anschaire missionnaire en Scandinavie au IX^e siècle*. Vol. (15×22) Pag. VII-152, Louvain, Museum Lessianum.

Introduction. — Le baptême du roi Harald de Danemark (826). — L'oblat de Corbie (801-822). — L'appel de Dieu et de l'empereur. — Premières expéditions chez les Vikings (826-831). — Les origines de l'archevêché de Hambourg (831-845). — Les grandes épreuves. — L'union de Hambourg et de Brême (845-864). — La conquête de la liberté religieuse en Danemark et en Suède (848-865). — Derniers jour de l'apôtre du Nord. Son culte. — Les *Pigmenta* de Saint Anschaire.

Concetti Nicolaus (O. E. S. A.). *S. Augustini vita*. Vol. (15×22) Pag. 590, Tolentino, Filelfo, 1929. Venit lit. 30.

A nativitate ad adolescentiam; ad septimum supra decimum aetatis suae annum. — Carthagine, illicito irretitus amore, elegans et urbanus, maior, in schola rhetoris, despicit sacras Scripturas; seductus a Manichaeis remeat Thagastam. — A Manichaeis recedit. Augustini vices a vicesimo aetatis suae anno ad tricesimum; a tricesimo ad tricesimum secundum. — Augustini mores a conversione ad baptismum; a percepta baptismi gratia ad obitum s. matris Monicae. — De timore Domini in sancto Augustino. — De eius pietate. De eius scientia. De eius fortitudine. — Eius ascensus in gradum consilii. —

S. Augustini initium, progressus et exitus in fortitudine. – Eius ratio assequendae perfectionis. Gradus sapientiae in S. Augustino. — Eius vita postuma. Eius scripta. Eius auctoritas, cuius testes SS. Patres, scholastici, theologi; eius oppugnatores. Vivit adhuc. — Augustinismi conditores. — S. Augustini laudes.

Victor Hostachy. *Les Missionnaires de la Salette.* Vol. (12 × 19) 157 pag. Paris, Librairie Letouzey et Ané, 1930.

Les origines. - L'installation missionnaire. - L'organisation de la vie religieuse. - La fondation de l'École apostolique. - L'autonomie romaine. - L'expansion salettine. - La persecution. - La grande guerre. - L'efflorescence des oeuvres.

G. Robinot Marcy (S. I.). *Aux prises avec l'apostasie des masses* Vol. (12 × 19) 208 pag. Paris, Éditions Spes, 1930.

Les causes de l'apostasie populaire - A la recherche d'une méthode d'apostolat populaire. - Un précédent: renouveau catholique dans la jeunesse intellectuelle. - L'application de la Méthode aux masses populaires. Deux vaines solutions. - La solution: le Catholicisme social. Son programme. - Conclusion.

Guitton Georges. *1891: Une date dans l'histoire des travailleurs.* Vol. (12 × 19) XI - 160 p. Éditions Spes, Paris, 1930. Venit 9 fr.

Le Pape de l'Encyclique. - La préparation de l'Encyclique par les études. - La maturation de l'Encyclique par les événements. - Le contenu de l'Encyclique. - Les résultats de l'Encyclique.

Fernand Baudhuin. *La Belgique après le centenaire.* Vol. (12 × 19) 276 pag. Louvain, Éditions de la Société d'études morales etc. 1931.

La situation économique et financière. - L'actif de la Belgique. - L'économie du Congo Belge.

*** *Manuel de la J. O. C.* Vol. (13 × 19) pag. 391, Bruxelles, Jeunesse Ouvrière Chrétienne, 1930.

Le problème de l'adolescence salariée: Le nombre des jeunes salariés. La vie des jeunes salariés. L'avenir de la classe ouvrière. La doctrine catholique. — Notes d'histoire: La préparation. La J. O. C. en marche. — Le programme général de la J. O. C.: Les responsabilités sociales. L'organisation des jeunes travailleurs. La formation intégrale des jeunes travailleurs. La vie professionnelle du jeune salarié. Les hommes et les restaurants. Les loisirs des jeunes travailleurs. Les vacances des jeunes travailleurs. Le service militaire. La question des jeunes travailleuses. — L'organisation et l'administration de la J. O. C.: L'organisation générale régionale, locale. Les blocs

d'entreprises. Les isolés. L'administration centrale, régionale, locale. — La méthode jociste: le fondement et les caractères de la méthode jociste. La formation intégrale. Les réunions d'études. Les retraites et les récollections. Les réunions des organismes directeurs, de masse. L'administration et les services. Les publications jocistes. La conquête jociste. Les collaborations nécessaires. — Les services jocistes: Service des préjocistes, d'orientation, de placement et de logement, service colonial. L'épargne. L'organisation professionnelle. La mutualité. La pension de vieillese. La documentation. Service du matériel éducatif, des loisirs et des sports, des jocistes-soldats.

I. Viollet. *Pour Aimer.* Vol, (11,5 × 20,5) 23 p. Bruxelles-Paris, Les Éditions Jocistes, 1930.

F. Godefroid. *Le Jocisme* 39 p. Bruxelles, (L'Églantine), publication mensuelle; 1930.

Bartmann Bernhard. *Das Fegfeuer* Vol. (13 × 19) pag. 215, Paderborn, Bonifacius, 1929.

Einführung. — Vorfragen; Die Quellen. Der Tod, der Weg ins Ienseits. Das Wo des Ienseits. Die Psychologie des Ienseits. Nach dem Tode das Gericht. — Das Fegfeuer: Seine Existenz in der H. Schrift; in der Väter Kirche. Das Was der Läuterung. Das Wie der Läuterung. Unsere Hilfe. Grenzen unserer Hilfe. Entstellungen und Uebertreibungen. Selbtschutz vor dem Fegfeuer. Freuden des Fegfeuers.

Louvet M. A. *Il Purgatorio secondo le rivelazioni dei santi.* Vol. (11 × 17) Pag. 324, Torino, Marietti, 1930, Venit Lit. 7.

Morte e giudizio particolare. — Purgatorio: pene, divisioni. — Stato delle anime, gioie, durata. — Rapporti delle anime con Dio, con la Chiesa trionfante, militante. — Protezione, suffragio delle anime: opere, preghiera, indulgenze. — Mezzi per evitare il Purgatorio. Uscita delle anime dal Purgatorio.

G. Hoornaert (S. I.). *Le plus beau livre...* (10 × 17 ½) 60 p. Bruxelles. Librairie A. Dewit 1930.

Le plus beau livre. Témoignages de Saints ou de Papes, d'auteurs profanes. Mérites de l'Imitation - résolutions pratiques. L'auteur de l'Imitation. Gersen. Gerson. Thomas a Kempis.

G. Doyle. « *Vieni, seguimi* » (Traduzione dall' Inglese) Vol. (14 × 20) 110 pag. Isola del Liri, Soc. Tip. A. Macioce & Pisani, 1931.

La chiamata del Divin Maestro. Che cos'è la Vocazione. Una vera Vocazione. I segni della Vocazione. Motivi per entrare in Religione. Dobbiamo incoraggiare le Vocazioni ? Prova

della Vocazione. Deliberazione. Età per entrare. Quanto sia importante seguire la Vocazione. Opposizione. Obbiezioni. Vantaggi della vita Religiosa. La messe di anime. Appello. Cenno biografico sull'Autore.

I. De Guibert (S. I.). *Oraison mentale et prière pure.* 32 pag. (Revue d'Ascétique et de Mystique Tom XI - 1930) Toulouse.

Arnaldo Bertola. *La Musica Sacra* nelle *Leggi della Chiesa.* Vol. (13 × 19) 67 p. Torino. M. Capra, 1930.

La questione musicale liturgica nel Diritto Canonico. — Motu proprio 22 novembre 1903 « *Inter pastoralis officii* » di S. S. Papa Pio X. — Costituzione Apostolica 20 dic. 1928 « *Divini cultus sanctitatem* » di S. S. Papa Pio XI.

Spitoni Cyprianus (O. F. M.). *Rubricae breviarii et missalis romani* Vol. (12 × 18) Pag. 105, Ad Claras Aquas, 1930, venit Lit. 5.

Prooemium in rubricas breviarii. — Prooemium in rubricas Missalis. - Praefatio secundae editionis. — Pars prior: rubricae breviarii. — Pars posterior: rubricae missalis.

*** *Ordo divini Officii recitandi sacrique peragendi iuxta Kalendarium Ecclesiae universalis pro anno Domini 1931* (Vol. 12 × 18) Pag. 118, Taurini, Marietti, 1930. Venit Lit. 3.

II. *Ex Periodicis.*

Apollinaris 1930. — Maroto. De peculiari iure personarum ecclesiasticarum in Italia iuxta novas conventiones. De vi verborum can. 1099 § 2: « ab acatholicis nati » iuxta responsa Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos data d. 20 iulii 1929 et 17 februari 1930. — *** De concordato inter S. Sedem et Romaniam. — Canestri. Criteria pro statu ecclesiastico consulendo. - Roberti. De privilegio fori.

The Clergy Review 1931. — E. I. Mahoney. Matrimonial consent and Divorce. — Ph. Hughes. A Hierarchy that failed.

Collationes Brugenses 1930. — Willems St. De bonis corporeis immobilibus. De bonis primo usu consumptibilibus et non-consumptibilibus necnon de fungibilibus et non-fungibilibus. De cibo et potu relate ad ieiunium ecclesiasticum. — Brys I. De violentia eiusque influxu in actuum moralitatem. De fidelium associationibus. De intentione requisita ad legis adimpletionem. — *** Over Stigmatisatie. — Coucke. De tempore ageneseos. — Legrand A. De discretione spirituum. — Callewaert C. De corporali.

Collationes Gandavenses 1930. — BLATON F. Elementa specifica legis. Generalia de potestate ecclesiastica. — F. CLAEYS BOÛÙAERT. De condicionibus quae ex parte voluntatis requiruntur, ut votum valide et discrete emittatur. — V. MANNAERT. De missis gregorianis.

Collationes Namurcenses 1930. — GÉRARD V. Erreurs, illusions et écueils qui se rencontrent dans la vie mystique. — COLLART A. De reali immutatione Christi in sacrificio Missae. (1931) De mystica Christi immolatione in Missa. — VOOSEN E. De erectione paroeciarum. — PIERARD A. L'ornementation de l'autel. — RANWEZ E. Casus legitimae defensionis. — (1931) L'envie. A quelle heure peut-on commencer Matines?

Collationes Tornacenses 1930. — *** Necessitas peccata potestati clavium subiciendi. De liturgia sabbati sancti. De examine " praenuptiali „. Efficacia contritionis charitate perfectae. De officio defunctorum. (1931) De pudicitia et nudismo. La prière est-elle utile? De Commoratione clericorum in dioecesi. Les danses dans les églises. — WARICHEZ I. (1931) Le champ d'action de saint Éleuthère. — P. GROULT. (1931) Le vrai visage de saint Jean de la Croix.

Collectanea Mechliniensia 1930. — CARTON DE WIART E. De ignorantia et voluntario. — DE JONGE J. La crainte servile et la charité. — GILLET P. La question romaine. — CLAES J. La loi du 20 mars 1927. — RYCKMANS G. De privilegio paulino. — GOUGNARD A. De privilegiis datis Conventibus Eucharisticis. — DEGRÈVE A. De la méthode au Catéchisme.

Il Diritto Ecclesiastico 1930. — CORAZZINI GIUSEPPE. Il Concordato Lateranense e le leggi eversive dell'asse ecclesiastico. — CAPALTI LUIGI. Il privilegio Paolino nel Concordato Lateranense. « Istanza di parte » e « Trasmissione d'ufficio » negli effetti civili dei matrimoni preconcordatari in Italia. — GAUDENZI SCIPIONE. Contributo alla disciplina civile della dispensa da matrimonio rato e non consumato. — CORNAGGIA MEDICI LUIGI. I capaci alla copula, che si conoscono incapaci alla generazione possono validamente contrarre matrimonio? — ZACCHI M. Lasciti di beneficenza a favore di enti inesistenti od incapaci. Decime e prestazioni fondiarie perpetue commutabili ad una pretesa scadenza del termine per la commutazione. — BOVA PASQUALE. L'art. 25 del Concordato e le rinuncie sovrane ad ogni provento regalistico. — BADII Prof. CESARE. Commento al diritto matrimoniale vigente. — EDOARDO RUFFINI AVONDO. Il can. 1409 del C. I. C. Contributo alla dottrina delle persone giuridiche.

Ephemerides Liturgicae 1930. — BRINKTRINE J. Zur Deutung des Wortes "Secreta „. — CALLEWAERT C. De mutationibus in orationibus pro defunctis. — TIROZZI V. Quaestiones variae de Patrono ac Titulari, et de altaris immobilis consecratione. — (BIBLIOPHILUS). De S. R. C. decretorum collectionibus.

Estudios Eclesiasticos 1930. — TEIXIDOR L. La libertad humana en San Augustin. — LETURIA P. Consecuencia inesperada del movimento liturgico benedectino. — QUERA M. Otra vez sobre el amor de benevolencia en la atrición. — PUIG DE LA BELLACASA J. Trascendencia filosófica de las investigaciones de la fisica matemática sobre la constitución de la materia. — SEGARRA P. ¿ Temeraria ? o ¿ Algo menos ?

Estudis Franciscans 1930. — P. MIQUEL D'ESPLUGUES. L'Església Catòlica i el seu Doctor sant Agustí. — P. JERÔME DE PARIS. La nature de l'ange et de l'âme humaine d'après saint Augustin. — P. MARC DE CASTELLVI. El baptisme en el nom del Pare i del Fill i del Sant Esperit. — P. MICHAËL BÄUERLE A NEUKIRCH. Concordia trium sententiarum de materia et forma in ordine Presbyteratus. — P. HILARIN FELDER DE LUCERNE. Les études dans l'ordre des Capucins au premier siècle de son histoire.

Benediktinische Monatschrift 1930. BATZILL HARTMANN. Das tätige und das beschauliche Leben. Texte aus den Werken des hl. Thomas von Aquin, zusammengestellt und übersetzt. — LAXAR M. L. Buddhistisches und christliches Mönchtum. — DEINNINGER FRANZISCKUS. Das Ringen um den modernen Menschen. Um Ehre, Duell und Mensur. - DANZER BEDA. Der Gedanke der Organisation in der Erzichung bei St. Benedikt. Veriust der deutschen Benediktiner und Cisterzienser durch die Säkularisation.

Il Monitore Ecclesiastico 1930. — *** Circa la dispensa da impedimenti civili nel matrimonio canonico e in quello dinanzi a ministro acattolico. Su la perpetuità d'un legato di messe. — SOSIO D'ANGELO. Circa la restituzione del prezzo di cosa invalidamente alienata.

Perfice Munus 1930. — S. G. Elemosina ed applicazione di messe binate. — LARDONE GIOVANNI. — Diritto di funerare un demente. La confessione prima di celebrare. Diritto di accompagnare un cadavere. — GENNARO A. Sigillo sacramentale. Comunione Pasquale. De facultate legendi libros prohibitos. Se contragga la censura chi ob gravem metum si procura l'aborto. (1931) Battesimo conferito da un tubercolotico. Confessione delle Suore. — S. B. Septima manus — F. B. Rescritto

scaduto. — *** Conforti nel patire. Le opere pontificie per la propagazione della fede. Giovani anormali al tribunale dei minorenni. Un medico cattolico e l'uso del matrimonio. Luci ed ombre nel metodo Montessori. Il consolato dei gemini e l'anno della Passione. Le colpe del paganesimo pedagogico. La luce. La spiritualità di D. Bosco. — TRABUCCO C. Il concetto di educazione fisica nell'Enciclica Pontificia. — REINERI C. Teatro: I « caporali » dei filodrammatici. Cinematografo: Gli intermezzi nel Cinema. — DUFONTENY. Metodo di apostolato presso i non civilizzati. — ROSSI G. L'istituto del matrimonio in Italia dopo il Concordato Lateranense. Art. II. Il testo della legge dello Stato e della Istruzione della S. Sede per l'applicazione dell'art. 34 del Concordato. Rispondenze della Istruzione della S. Sede e della legge dello Stato con l'art. 34 del Concordato. Preparazione alla celebrazione del Matrimonio. Delle investigazioni Matrimoniali. — TESTORE (S. I.). Il Calvario dell'Oceania. — NADDEO EM. Seminario e cura di anime. — VISCONTI. Nomina e provvista dei benefici nel Concordato. — VAUDAGNOTTI. L'antichità della SS. Eucarestia. — MONS. DE SANTA. Riforma della Legislazione del lavoro. — DA CORONATA P. Ultime volontà per cause pie. — CAN. CHIESA. Farò le mie prediche da me: Giudizio.

Palestra del Clero 1930 e 1931. — VITO PASQUALE. De iure accusandi matrimonium. I testimoni nei giudizi. Del giuramento richiesto nei giudizi ecclesiastici. La dispensa dagli impedimenti civili. La posizione giuridica delle confraternite. Coadiutore o cooperatore infermo accollato ad un parroco. — MONETTI GIULIO. Il mondo economico. Diritto di sciopero? La piccola proprietà. (1931) Ascetica Sacerdotale. Importanza di questa rubrica. Importanza delle dottrine ascetiche. Loro utilità presente, individuale e sociale. — P. MATTEO CONTE DA CORONATA. La radiofonia, la morale e il diritto canonico. Nozioni sulla radiofonia. Se doveroso il pagamento di diritti e tasse sulle radio-audizioni. Diritti e privilegi dei Prelati Domestici di Sua Santità. Pubblici peccatori e privazione della sepoltura ecclesiastica. (1931) Il confessore occasionale delle religiose. — BUTTIGNONI G. Di una operazione chirurgica con gravissime conseguenze morali. Il matrimonio degli acattolici: i matrimonii di acattolici non battezzati. Acattolici battezzati. Messe celebrate con Ostia di dubbia materia. — FANELLI N. Il beneficio parrocchiale e la legge canonico-concordataria. Chiesa funerante e porzione parrocchiale. Natura delle Confraternite e loro diritti. — BONINCONTRO ENRICO. Come diventar sacerdoti se-

condo il cuore di Dio. Ciò che può far oggi un parroco. — *** Norme per l'insegnamento religioso nelle scuole medie. — COLOMBINI DANTE. Le nuove istruzioni della S. C. del Concilio: Le Chiese - Chiese di nessuno - Chiese del F. C. - Come giuridicamente nascono le Chiese - I primi passi - Lampi di vita - I locali per la rettoria. — (1931) Nomina e provvista, ossia le due lingue nell'italiano del Concordato. — COHENEL DAIN. Il Sacerdote. — VERLA GIOVANNI. (1931) Il significato di " adire " del can. 522 in un caso particolare. La messa di mezzanotte di Natale nelle chiese dei Religiosi. — HUGON P. EDUARDO. La mansuetudine nella vita spirituale. — MANCINI DR. ARGEO. I prodotti alimentari Maggi. (1931) Degli inni comuni *in die et hebdomada* del Breviario - Un caso tipico di professione religiosa (Figura giuridica della professione religiosa - Professione religiosa emessa sotto condizione - Professione emessa per una classe se valida per l'altra. Se i voti siano irritabili). — GRAZIOLI GIOVANNI. De crimine onanismi et neo-malthusianismi. — PICCINI GIUSEPPE. Prescrizione di decima. — Dr. GUIDO FAGIOLI. (1931) Il matrimonio dopo il Concordato. — SENIOR. (1931) Osservazioni sulla predicazione odierna.

Pastor bonus 1930 et 1931. — LENZ JOS. Das Wesen der modernen Theosophie und Anthroposophie. Beurteilung der modernen Theosophie und Anthroposophie. — FUNK ALOIS. Film und Seelsorge. — PFALSCHBACHER H. Die Union mit Russland als Kirchengeschichtliches und kirchenrechtliches Problem. — M. S., HÖCHSTÄDT A D. P. Die psychologische Bedeutung der Kinderexerzitien vor der Schulentlassung. — *** Ist der Rosenkranzmonat noch vorgeschrieben? — WEILER, TRIER. (1931) Das Erziehungsrecht der Kirche und die Enzyklika Papst Pius' XI « Uber die christliche Erziehung der Jugend ». — TREITZ, U. L. FR. TRIER. (1931) Vom Brautunterricht. — W. SCHLAGS, TRIER. (1931) Die religiösen Familienwochen. — DECHANT DR. SCHLICH, (1931) Die Gefährdung der christlichen Ehe in Stadt und Land.

Theologisch-praktische Quartalschrift 1930. — BIEDERLACK JOS. (S. I.). Zu P. Horvath's Buch « Eigentumsrecht nach dem heiligen Thomas ». — GROSAM IOS. Die Sterilisation auf Grund privater Autorität und auf Grund gesetzlicher Ermächtigung. (1931) Communicatio in Sacris. « Katholische Aktion? » — OSTERLE G. (O. S. B.) Die private Spendung der Kranken-Kommunion. — NIEBECKER E. Die Berechnung der Tagesstunden (Zeit-punkt der Mitternacht u. s. w.) nach dem Can. 33 des

C. I. C. — KÖCK J. Verbrennung konsekrierter Partikeln - Casus factus, non fictus. — SCHRATTENHOLZER A. Was ist unter ieiunium ecclesiasticum zu verstehen? Seit wann unterscheidet man in der kirchlichen Moral ieiunium cum abstinentia und ieiunium sine abstinentia? Was verstand man vor ca. 700 Jahren, z. B., zur Zeit des IV Laterankonzils unter ieiunium? — HARING J. Kodexauslegung-Kodexkorrektur. — V. CATRHEIN (S. I.). (1931) Was ist der Sozialismus? — B. VAN ACKEN (S. I.). (1931) Heroismus oder Mittelmässgkeit? — DR. PRÜMMER (O. P.). (1931) Seelsorgliche Behandlung der in blober Zivilehe lebenden Katholiken. — P. DR. HERIBERT JONE (O. M. Cap.). (1931) Delegation zur Eheassistenz.

Rese.na eclesiástica 1930. — TARRÉ JOSEP. L'estat actual de dos poblemes catolics. — A. Un décret important.

Revue de l'Aucam 1930. — D'ELIA M. (S. J.). Le docteur Sunt-Yat-sen. — PÉTILLON M. Le régime des concessions de territoire au Congo Belge.

Revue des communautés religieuses 1930. — JOMBART É. Le renvoi après les voeux perpétuels. Changement de supérieur. (1931) Le travail du dimanche. — BERGH E. La communion fréquente. La pratique. — CREUSEN J. Pratique superstitieuse. (1931) L'obéissance au Pape. Le service militaire des religieux belges. — BROUILLARD R. (1931) Les devoirs des éducateurs chrétiens.

Revue Ecclésiastique de Liége 1930. — VIEUJEAN J. Inquieta adolescentia. De intentione requisita in sacramentorum ministro. — KISELSTEIN G. L'obligatoire discrétion du confesseur. De restitutione propter fraudes in venditione occurrentes. De monopoliis: Notiones. — LEROUX E. Natura et obiectum orationis. — RAPPE JOS. De l'attitude à l'égard de la tentation. — PHILIPS G. Le sacrifice eucharistique dans la tradition africaine. — G. SIMENON. Renuntiatio officiorum ecclesiasticorum.

Nouvelle Revue Théologique 1930. — Prêtres de Belgique (1830-1930): LE SECRÉTAIRE DE LA N.R. TH. Avant-Propos. — DE MOREAU É. (S. I.). Dans le ministère pastoral. — MULLER A. (S. I.). Dans l'activité sociale. — CHARLES P. (S. I.). Dans la conquête missionnaire. — KREMER R. (C. SS. R.). Dans l'enseignement théologique et philosophique. — LEFÈVRE C. (S. I.). Dans les travaux littéraires. Langue française. — JANSSEN É. (S. I.). Dans les travaux littéraires. Langue flamande. — VAN DER MEERSCH IOS. Note sur la dévotion au Coeur apostolique de Jésus. — E. MERSCH (S. I. Sainteté de chrétiens, sainteté de membres. — VERMEERSCH A. (S. I.). La conférence de Lam-

beth et la morale du mariage. — CLAEYS BOÚÚAERT M. La pénitence salutaire. — I. CREUSEN (S. I.). (1931) Imperfection ou péché véniel — P. PEETERS (S. I.). (1931) Comment travailler à la réunion de l'Église russe? — JOS. ARENDT (S. I.). (1931) Les Retraites fermées de Jeunes Ouvriers et de Jeunes Employés.

Nederlandsche Katholieke Stemmen 1930. P. DAMASUS, (O. M. C.). R. K. Internaten voor meisjes. — F. VAN DE LOO. Waarom nooit absolveeren onder conditie: « si es dispositus » ? — M. VAN GRINSVEN (C. ss. R.). Lastgeving tot schatten en herstelwerk. — DUYNSTEE W. (C. ss. R.). Zielsziekten en hunne verpleging. — JAKOBS OD. Pr. Edward Poppe. — *** Vragen over de H. Liturgie. Huisbezoek, Biechtgelegenheid en.... Geloofkwijning. — BUIJS DR. L. (C. ss. R.). Het Huwelijk als remedium concupiscentiae. II. — BEIJERSBERGEN DR. H. (S. I.). Over de rubrieken, door den Misdienaar in een missa privata (lecta) te onderhouden. III. Over de uitdrukking « ab Acatholicis nati » van can. 1099 § 2. — I. P. VAN DEN HEUVEL. Over de verplichtingen van voorbereiding eo dankzegging bij de H. Communie. — W. DR. MULDER. Bij het 12 $^1/_2$ iarig jubilé van den Codexluris Canonici. (1931) Wettige, onwettige en gewettigde kinderen. I. — H. TH. METS. « Idem nunc offerens sacerdotum ministerio ». — DR. ALP. MULDERS. De Slavernij des Duivels. — L. H. TIMMERMANS. Rondom een vruchtbaar Priesterleven. I.

PARS ALTERA

MONUMENTA

16. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Nuncium radiophonicum 12 feb. 1931

(A. A. S., 5 mart. 1931, XXIII, 65)

Ad universam creaturam

Nuncium ad omnia et omnes.

Qui arcano Dei consilio succedimus in loco Principis Apostolorum, eorum nempe quorum doctrina et praedicatio iussu divino ad omnes gentes et ed omnem creaturam (1) destinata est, et qui primi in loco ipso mira sane ope Marconiana uti frui possumus, ad omnia et ad omnes primo Nos convertimus atque, hic et infra Sacro Textu iuvante, dicimus: Audite caeli quae loquor, audiat terra verba oris mei (2). Audite haec omnes gentes, auribus percipite omnes qui habitatis orbem, simul in unum dives et pauper (3). Audite insulae et attendite populi de longe (4).

Ad Deum

Deo Gloria.

Sitque primum verbum Nostrum: « Gloria in altissimis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis » (5). *Gloria* scilicet *Deo*, qui dedit, in diebus nostris, potestatem talem hominibus (6), ut vere in fines orbis terrae verba eorum pertingant (7);

(1) Matth., XXVIII, 19; Marc., XVI, 15.
(2) *Deuter.*, XXXII, 1, *(Cant. Moys.)*
(3) Ps. XXXXVIII, 1.
(4) Is., XXXXIX, 1.
(5) Luc. II, 14.
(6) Matth., IX. 8.
(7) Ps. XVIII, 5; *Rom.*, X, 18.

In terra pax.

et *in terra pax*, ubi pro illo divino Redemptore Iesu legatione fungimur (1), qui veniens evangelizavit pacem, pacem iis qui longe et pacem iis qui prope (2), pacificans in sanguine crucis suae sive quae in terris sive quae in caelis sunt (3).

Ad catholicos

Cur imprimis catholicos omnes alloquatur.

Nobis autem ad homines Nos convertentibus praecipit Apostolus, ut operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei (4). Iuvat igitur Nos istos omnes imprimis alloqui, eos nempe, qui, utpote in dominicam familiam et in dominicum ovile Catholicae Ecclesiae recepti et viventes, Nos dulci Patris nomine compellant, sacros Pastores et fideles, oves et agnos, quos omnes pascendos et regendos Nobis concredidit Pastor et Rex omnium Christus (5).

Ad hierarchiam

Fideles exoptat et apprecatur omnes pertinentes ad Hierarchiam.

Vos inquimus conlaterales Nostros S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Praelatos et Sacerdotes per diversos hierarchiae gradus sollicitudinum Nostrarum quotidianarum obiecta praecipua, eosdemque laborum participes et adiutores.

Rogamus et obsecramus, ut unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat (6), et ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis (7): pascite qui in vobis est gregem Dei, forma facti gregis ex animo (8); ut cum apparuerit Princeps pastorum percipiatis immarcescibilem gloriae coronam (9). Interim autem Deus pacis, qui eduxit de mortuis Pastorem magnum ovium in sanguine testamenti aeterni, Dominum Nostrum Iesum Christum, aptet vos in omni bono, ut faciatis eius voluntatem, faciens in vobis quod placeat coram se per Iesum Christum (10).

---

(1) *II Cor.*, V, 20.
(2) *Eph.*, II, 17.
(3) *Col.*, I, 20.
(4) *Gal.*, VI, 10.
(5) Io., XXI, 15; Matth., X, 19.
(6) *I Cor.*, VII. 20.
(7) *Eph.*, IV, 1.
(8) *I Petr.*, V, 2.
(9) *I Petr.*, V, 3.
(10) *Hebr.*, XIII, 20.

Ad religiosos

Religiosorum praeclara merita efferens eos vult diligentes custodes thesauri ipsis commissi, et consolatores, reparatoresque Regis et Sponsi.

Nunc vos alloquimur filii, et filiae praedilectionis Nostrae, qui quaeve charismata meliora aemulantes (1) atque in fide sanctissimorum votorum et in religiosa disciplina totius vitae nedum praeceptis sed et desideriis consiliisque divini Regis et Sponsi obsecundantes, Ecclesiam Dei virgineo odore fragrantem facitis, contemplationibus illustratis, orationibus fulcitis, scientia et doctrina ditatis, ministerio verbi et apostolatus operibus in dies percolitis et augetis. Igitur vere caelestis et angelicae vocationis participes, (2) quanto pretiosiorem thesaurum gestatis tanto diligentiorem adhibeatis custodiam, non solum ut certam vestram vocationem et electionem faciatis, (3) verum etiam ut in vobis, tamquam in servis apprime fidelibus et devotis, cor Regis et Sponsi consolationem et reparationem aliquam inveniat pro infinitis offensionibus et negligentiis quibus homines ineffabilem Eius dilectionem rependunt.

Ad missionarios

Ut Christi milites salutat missionarios

Iam os Nostrum patet ad vos, (4) filii et filiae in Christo carissimi, qui in missionibus orantes laboratis ad propagandam sanctam Christi fidem et Eius Regnum dilatandum. Sicuti Apostoli ecclesiarum primi, ita et vos: in periculis, in multa patientia, in necessitatibus et tribulationibus (5) spectaculum facti; (6) sicut illi, ita et vos « gloria Christi »; (7) vos qui in laboribus, saepe etiam in vinculis et in sanguine vestro, usque ad mortem certantes bonum et magnum certamen fidei et passionis (8) atque bonam confessionem confitentes, animas lucrifacitis et futurorum christianorum semina seminatis. Salvete strenui milites Christi! Sed et sacerdotes indigenas ac bonos catechistas, praecipuos fructus eosdemque participes laborum vestrorum, salvere iubemus.

et cum ipsis catechistas et sacerdotes indigenas.

---

(1) *I Cor.*, XII, 31.
(2) *Hebr.*, III, 1.
(3) *II Petr.*, I, 10.
(4) *II Cor.*, VI, 11.
(5) *II Cor.*, I, 10; VI, 4.
(6) *Hebr.*, X, 33.
(7) *II Cor.*, VIII, 23.
(8) *I Tim.*, 12; *II Tim.*, IV, 7; *Hebr.*, X, 32.

Ad fideles universos

Fideles universos ut collaboratores in apostolatu, vult in omnibus Deum honorificantes.

Cor Nostrum dilatatum est ad vos (1) quotquot estis Urbis episcopalis Nostrae et universi Orbis fideles; praesertim autem ad vos, qui in laicatu constituti Nobiscum et cum venerabilibus fratribus Nostris Episcopis cumque Sacerdotibus in apostolatu laboratis, sicuti credentes primi, viri ac mulieres laborabant, quas propterea Apostolus commendat (2). Vos Dei populus et oves pascuae eius, (3) vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis (4). Igitur modestia vestra nota sit omnibus hominibus et quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque iusta, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate et facite, (5) ut in omnibus honorificetur Deus (6).

Ad infideles et dissidentes

Assidue orat pro iis qui a fide et unitate Christi adhuc absunt, ut fiat unum ovile et unus Pastor.

Ad vos etiam cogitatio nostra et oratio Nostra convertitur qui a fide et unitate Christi adhuc abestis. Pro vobis enim quotidie offerimus preces et hostias Deo et Domino omnium, enixe petentes ut luce sua vos illuminet et vos ad oves quae vocem eius audiunt adducat et adiungat, et fiat unum ovile et unus Pastor (7).

Iis qui praesunt

Qui praesunt praesint in iustitia et caritate.

Cum autem omnibus debitores simus, ideo imprimis iis qui praesunt dicimus ut in iustitia et caritate praesint, in aedificationem et non in destructionem (8), semper memores non esse potestatem nisi a Deo (9) et Deo se rationem in iudicio durissimo reddituros (10).

---

(1) *II Cor.*, VI, 11.
(2) *Phil.*, IV, 3.
(3) Ps. LXXXIX, 3.
(4) *I Petr.*, II, 9.
(5) *Phil.*, IV, 5, 8.
(6) *I Petr.*, IV, 11.
(7) Io., X, 16.
(8) *II Cor.*, X, 8.
(9) *Rom.*, XIII, 1.
(10) *Sap.*, VI, 6.

Iis qui subsunt

Iis autem qui subsunt dicimus ut non tamquam hominibus sed tamquam Deo oboedientes sint, scientes quod qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt ipsi sibi damnationem acquirunt (1).

Qui subsunt oboediant tamquam Deo.

Divitibus

Similiter divitibus et pauperibus dicimus. Divitibus quidem ut se tamquam ministros divinae Providentiae et bonorum eius depositarios et dispensatores existiment, quibus pauperes ipse Christus Iesus commendavit et a quibus divinus Iudex plus repetet quia plura habuerunt (2), divini verbi nunquam obliti: vae vobis divitibus! (3).

Divites sint ministri Providentiae divinae, et recogitent de " Vae vobis divitibus „.

Pauperibus

Pauperes autem enixe in Domino hortamur ut ad paupertatem Iesu Christi Domini et Salvatoris respiciant, atque exemplorum ac promissionum Eius memores spiritualium divitiarum faciliorem ipsis acquisitionem ne negligant; et etiam ad meliorem statum, prout eos licet, enitentes, bono et recto corde commendent se Deo et non extendant ad iniquitatem manum suam (4).

Pauperes sint iusti et spiritualiter divites.

Operariis et datoribus operum

Operarios et datores operum enixe rogamus, ut non hostili aemulatione et certamine, sed amico et fraterno foedere iuncti, hinc copias et directionem illinc operam et industriam conferentes, quod iustum est quaerentes, quod iustum est dantes, proprium quorumque et commune simul bonum in tranquillitate ordinis operentur.

Operarii et operum datores sint amico foedere iuncti.

Infirmis et afflictis

Ultimum in exsecutione sed primum in intentione et in affectu cordis, ad vos venit verbum Nostrum, qui in infirmitatibus et doloribus, in aerumnis et tribulationibus estis, maxime qui talia ab inimicis Dei et humanae consortionis patimini.

Corde suo in primis complectitur eos qui in tribulatione sunt, eos maxime qui talia ab inimicis Dei et humanae consortionis patiuntur.

---

(1) *Rom.*, XIII, 2.
(2) Luc., XII, 2.
(3) Luc., VI, 24.
(4) Ps. CXXIV, 3.

Orationes Nostras et auxilia pro posse Nostra offerentes atque omnium caritati vos commendantes, in persona, quam gerimus, Christi vobis dicimus: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis et ego reficiam vos (1).

Benedictio Urbi et Orbi.

Restat ut Urbi et Orbi, atque omnibus in eis habitantibus benedictionem Apostolicam impertiamus, quod et facimus in nomine ✠ Patris et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

ANNOTATIO

Isto nuntio voluit supremus Pastor celebrare primum anniversarium diem pactorum Lateranensium quae sub auspiciis Immaculatae Virginis, Lapurdi apparentis, anno 1930 feliciter convenerunt.

---

17. — SS. D. N. Pius Pp. XI.

Bulla « Anno vertente » 26 oct. 1930

ERECTIO ET REGIMEN PONT. COLL. ECCL. NEERLANDICI PIANI DE URBE

(A. A. S., 15 ian. 1931, XXIII, 5)

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Collegii initium et absolutio materialis.

Anno Vertente quinquagesimo, ex quo primum, sacerdotali dignitate aucti, divina Hostia litavimus, sacrorum Hollandiae Antistites ut rem Nobis pergratam facerent utque catholico nomini apud suos satius opportuniusque prospicerent, consilium communiter inierunt Collegium in hac alma Urbe excitandi, in quo delecti e natione sua sacerdotes exciperentur et ecclesias-

(1) MATTH., XI, 28.

ticis altioris ordinis disciplinis rite sancteque conformarentur. Quod quidem consilium ut ad effectum quam primum adduceretur, locus ad rem aptus in Aventini montis deiectu coemptus est, ibique superiore anno, die secunda mensis Maii, auspicalis novi aedificii lapis sollemni ritu positus. Cum autem in praesens hoc studiorum domicilium omni sit paene numero feliciter absolutum, Nos, ut Hollandiae Episcopis paternam testemur voluntatem Nostram, eorum votis libentissime annuentes, ad iuridicam Collegii huius erectionem devenire volumus. Quapropter, de Sacrae Congregationis Seminariis Studiorumque Universitatibus praepositae consulto, ac suppleto quorum interest, vel eorum, qui sua interesse praesumant, consensu, haec quae sequuntur statuimus ac decernimus:

Formalis erectio.

I. Ad maiorem Dei gloriam reique catholicae incrementum, Collegium Neerlandicum Pianum, in Urbe conditum, ad sacrorum canonum normam apostolica Nostra auctoritate constituimus atque erigimus; tutelae ac patrocinio S. Willibrordi Episcopi Ultraiectensis committimus; eidemque Pontificii Collegii nomen, iura ac privilegia attribuimus.

Alumni.

II. Hoc clericorum institutum alumnos excipiet sacerdotes, pietate quidem ingenioque praestantes, quos Hollandiae Antistites e suis dioecesibus Romam, Ecclesiasticis altioris ordinis imbuendos disciplinis, missuri sunt.

Proprietas.

III. Novum, quod supra memoravimus, aedificium et continens eidem area, prope Aventinam viam sita, Collegio huic possessio ac sedes propria sunto.

Suprema auctoritas.

IV. Pontificium Collegium Neerlandicum Pianum sub iure ac potestate erit Sacrae Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus, ideoque ab ipsa regetur.

Iurisdictio Antistitum.

V. Singuli Neerlandiae Antistites eadem iura eademque officia in huiusmodi Instituto habeant, eique omnes pro viribus consulant.

Moderator.

VI. Collegii moderator a Summo Pontifice per Sacram Congregationem de Seminariis et de Studiorum Universitatibus eligendus est; isque sacrorum Neerlandiae Antistitum erit procurator atque parochi munere in Collegio fungetur.

Bonorum attributio.

VII. Si quavis ex causa Pont. Collegium Neerlandicum Pianum esse desierit, omnes eius possessiones, res mobiles, se moventes et quae moveri non possunt, pecuniae, reditus aliaque eiusmodi ad Sanctam Sedem devolventur, ut ab eadem, quantum fieri poterit, ad alumnos e Neerlandiae dioecesibus ecclesiasticis altioris ordinis disciplinis instituendos erogentur.

Fides transumptis.

Volumus praeterea ut harum Litterarum transumptis etiam

impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo alicuius viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae hisce Litteris tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. — Quae denique per hanc Nostram Constitutionem statuimus, decrevimus, ediximus ac mandavimus, ea rata omnia firmaque permanere auctoritate Nostra volumus, iubemus; quibuslibet etiam speciali mentione dignis minime obstantibus.

Dies (26 oct. 1930).

Datum Romae apud Sanctum Petrum, a. D. MDCCCCXXX die XXVI m. Octobris, in Festo D. N. Iesu Cristi Regis, Pontificatus Nostri anno nono.

Fr. ANDREAS Card. FRÜHWIRTH, *Cancellarius S. R. E.*

CAIETANUS Card. BISLETI, *Praefectus S. Cong. de Seminariis et Studiorum Universitatibus.*

Ioseph Wilpert, *Decanus Coll. Proton. Apostolicorum.*
Dominicus Jorio, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in tab. Cancellariae Apostolicae, Vol. XLIII, n. 23 — M. Riggi.

---

18. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Epistola Apostolica 1 martii 1931

SEPTIMO EXEUNTE SAECULO AB ANTONII PATAVINI OBITU DECRETISQUE EIDEM SANCTORUM CAELITUM HONORIBUS.

PIUS PP. XI

VENERABILIS FRATER (1)
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Fructus sperantur ex sollemnibus quae hoc anno et proximo celebrabuntur ob 700 annos ab obitu et a canonizatione S. Antonii.

Antoniana sollemnia, quae feliciter hoc anno agentur, septingentesimo scilicet ex quo Patavinus Thaumaturgus piissime obiit, quaeque per proximum producentur annum ad illius diei memoriam recolendam, quo die, septimo item ante saeculo, sanctorum caelitum numero ipsemet adscriptus est, ita profecto habitum iri confidimus, ut non parum eadem ad pie-

(1) Excell. P. D. ELIAS DALLA COSTA, Patavii Episcopus.

tatem fovendam conferant et ad animarum salutem procurandam. Novimus enim duo istic, in sede honoris tui, constituta esse Consilia ut sacrae huiusmodi profanaeque celebritates actuose apparentur diligenterque provehantur; quibus quidem Consiliis non modo quotquot ex insigni Assisiatis subole hunc sanctitatis florem venerantur sui Ordinis ornamentum et decus, sed civitatis etiam moderatores primoresque, nobilissima quadam animorum contentione, suam sunt operam ultro libenterque navaturi. Ac novimus itidem te, venerabilis frater, ad singulos catholici orbis Episcopos dedisse litteras, ut eosdem omnes ad hanc faustitatem participandam et in sua cuiusque dioecesi promovendam fraterno animo invitares.

Consilia constituta et invitatio ad omnes Episcopos directa ab Ep. Patavino memorantur.

At si opportunum est ubique rem agi, multo quidem opportunius ut, quemadmodum Patavii, ita in Lusitana Republica, ac praesertim Ulissipone, unde noster ortum duxit, peculiaria edantur pietatis testimonia effusioresque laetitiae. Quam ob rem libentissime accepimus dilectum filium Nostrum, Patriarcham Ulissiponensem, faventibus omnibus cuiusvis ordinis civibus, consilium iniisse saecularia haec in Antonii honorem sollemnia in sua patria peragendi. Et gaudium auxit Nostrum nuntius, qui ad Nos haud ita pridem perlatus est, haec, amico quodam foedere, ita esse celebranda, ut delecti viri, veluti Patavinae civitatis legati ad principem Lusitaniae urbem, fausta hac occasione, mittantur, atque hinc nonnulli item Patavium concedant, qui inibi, per sollemniores dies, Lusitanorum partes sustineant. Cur igitur spem non foveamus bonam fore ut Antonius, ubique communibus impensisque precibus in auxilium advocatus, christianam fidem caritatemque in animis alat et sectatores suos e terrenis huius vitae fluxisque rebus ad caelestia excitet ac sempiterna? Cur pro certo non habeamus non modo in privatos homines, sed in civilem etiam consortionem beneficia non pauca inde esse profectura? Quemadmodum enim noster procellosam aetatem suam, profligatis passim moribus infectam, christiana collustravit sapientia ac veluti suae virtutis suavitate perfudit, ita omnino sperandum ut in plurimorum mentes animosque per sacra huiusmodi revocatus, saeculum quoque nostrum — Dei aeternaeque beatitatis saepenumero immemor, voluptatum aestu usquequaque iactatum, humanaeque amplitudinis incomposite cupidum — ad ea, maiora quidem ac nobiliora, ad quae nati comparatique sumus, excitet exemploque suo alliciat.

Commune Patriarchae Ulissiponensis et Episcopi Patavini consilium, sanctas spes auget.

beneficiorum quae numerantur.

Attamen, ut eiusmodi spei votisque Nostris effectus feliciter respondeat, omnino opus est, non modo externa haberi sollemnia honoresque Thaumaturgo Patavino tribui, sed omnes

Virtutes sancti intuendae et imitandae.

etiam, qua maxima possunt contentione, eniti ut praeclara ipsius virtutum ornamenta intueantur et ad imitandum sibi proponant. Quam ad rem aptissime S. Augustinus admonet: « Charitas ubi fuerit necesse est ut operetur; fides ipsa per dilectionem operatur ». (1)

Cultus popularis est de temporalibus beneficiis potissimum sollicitus

In comperto quidem est, venerabilis frater, fere omnes e christiana plebe incensiore quodam populari cultu Antonium prosequi ad eumque plurimas admovere preces; at nonne eo praesertim consilio id faciunt, eaque potissimum de causa, ut ab ipso temporalia beneficia, miranda saepe ac prorsus prodigiosa, impetrent, quandoquidem, eximia eius sanctitudinis gesta plerumque ignorantes, nihil aliud in Antonio nisi Thaumaturgum cognoscunt atque suspiciunt?

Propositum Pontificis adumbrandi sancti virtutes et animi lineamenta.

Apostolico igitur officio, quo divinitus fungimur, consentaneum putamus praecipua huius sanctitatis herois adumbrare virtutes animique lineamenta, Nostram facientes illam, quam in liturgia ecclesiastica legimus, sententiam admonitionemque: « Imitari non pigeat quod celebrare delectat » (2). Ac tuum erit, venerabilis frater, eorumque omnium, e sacrorum praesertim administris, qui peculiari quodam studio Antonium prosequuntur, quae Nos per has Litteras breviter attingimus, vobiscum in animo commentari diligenter et ceteris, pro vestro cuiusque munere, inlustrare atque in exemplum proponere.

Praestantia viri.

« In viris praeclarissimis — ita decessor Noster f. r. Leo « XIII — quorum virtute recteque factis egregium decus Lusi- « taniae partum, merito cum laude maxima censendus est Anto- « nius, Patavinus ex loco obitus cognomento dictus. Cuius « cum patratorum prodigiorum fama latissime ad omnes populos « pervagarit, Lusitani nominis gloria ubique percrebuit, primas « honoris eius ferente Ulissipone, quae hominem sanctissimum « suis civibus adnumerat » (3).

Abdicantis saecularia.

Illic siquidem noster inlustri genere natus ut erat ingenio praestantissimus et copia rerum non minus quam nobilitatis gratiae pollens, talem suae vitae cursum prospicere et quasi praecipere poterat, ut nulla sibi nec voluptatum gaudia nec humanae gloriae nomen atque emolumenta defutura esse viderentur. Nihilo setius haec omnia, paterna nempe bona, futurae amplitudinis auspicia cupiditatumque invitamenta, in primo

(1) *In Ps. XXXI*, 6.
(2) Lect. IV ad Commune plurim. Martyrum.
(3) Epist. ad Card. Patr. Ulissip., II Maii MDCCCXCV.

aetatis suae flore, laeto grandique animo reliquit atque veluti ab se generose excussit, ingrata quasi pondera, quibus suus ad caelestia adscensus praepediretur. Itaque humile Congregationis Canonicorum S. Augustini sagum primo demisse petiit, ac deinde, maioris perfectionis appetens, nascens Seraphici Ordinis institutum impenso animi ardore ingressus est. Quo quidem in vitae genere ita continenter profecit, ut ad altissimum virtutum omnium fastigium, citatiore cotidie gradu, contendere videretur. In his vero sanctimoniae ornamentis, quibus omni ope ac studio animum exornabat suum, ille imprimis elucet absolutissimae castimoniae nitor, ob quem, quasi angelus in humana concretione degens, ab omnibus magna cum admiratione suspiciebatur. Non quin Antonius noster cupiditatum illecebras senserit, non quin pravas illas expertus sit sensuum animique impulsiones, quae, ut omnes norunt, ex collapsa per originalem labem natura, quasi hereditas tristissima, oriuntur et universum afficiunt humanum genus; immo etiam litterarum monumenta referunt, ipsum, in iuvenili adhuc aetate, eam in membris suis insitam conquestum esse aliam legem, repugnantem legi mentis suae, quam Apostolus gentium vehementer lamentabatur (1). Attamen tam acriter eidem repugnavit, tamque diligenter, ut libidinis motibus incompositisque naturae viribus coercitis sedatisque, niveum pudicitiae florem illibatum servaverit. Et quisnam poterit verbis effingere superna illa gaudia, quae, ob partam eiusmodi victoriam, iuvenis castissimi totum perfundere animum? Nec caelestia tantum oblectamenta, veluti premium optatissimum ob despectas ad domitas suorum sensuum fallacias, assecutus est Antonius, sed eidem etiam licuit illius, qui « pascitur inter lilia » (2), et conspectu perfrui et blanditiis suavissimis delectari. Siquidem, ut memoriae proditum est, cum noster in conclavis sui recessu umbratilem vitam ageret, vel praecibus Deo instans, vel sacrarum vacans litterarum studio, quodam die, de improviso, e supernis sedibus descendit, luce circumfusus fulgidissima, Iesus Infans, leniterque arridens, non modo se eidem conspiciendum dedit, sed puerili manu illius collum circumplexus, et oscula cum blandimentis dare et accipere visu est. Quapropter, in mirandi huius eventi memoriam, hac etiam aetate nostra, Patavini imagines ita finguntur, ut Franciscalem eaedem iuvenem sanctissimum, altera tenentem manu candidissimum lilium, innocentiae

ingredientis Congr. Canonicorum S. Aug. ac dein Seraphicum Ordinem.

Virtutes et promerita efferuntur: Nitor castimoniae non sine praelio conquisitus.

Superna gaudia.

(1) *Rom.*, VII, 23.
(2) *Cant.*, II, 16.

suae indicem, altera vero divinum Puerulum ad sinum ardenti complexu prementem, apte quidem ac significanter, populari pietati proponant.

Humilitas animique demissio,

Iamvero consentaneum ducimus, eo scilicet consilio ut omnes, rem meditando, in usum cuiusque suum deducere non neglegant, exquirere quibusnam artibus quibusque rationibus et pudicitiam suam integram Antonius servare et sanctitatis apicem attingere potuerit. Qua in re, primum christianam noster persecutus est humilitatem animique demissionem, quae, cum omnium virtutum fundamentum sit, modo desit, iam nullus potest perfectionis viam fidenter ingredi, nedum ad eius adeptionem pervenire queat. Quamvis enim ipse omnibus admirationi esset, et a Seraphico Patre ac Magistro « episcopus » honoris ergo nuncuparetur, se tamen servum inutilem existimans, non altiora munera dignitatesque aucupari, sed viliora potius beatamque solitudinem consectari sollemne habebat. At vero minime putandum eiusmodi humilitatis studium ex enervata eius indole animique debilitate oriri; quod quidem hodie nonnulli, humanae fortitudinis praestantiam plus nimio efferentes, de catholicae Ecclesiae heroibus inconsulte temereque disserentes, effutiunt ac perperam commentantur. Non una enim occasione Antonius, prout res postulabat, animose fortiterque fecit; ut exempli gratia, cum Ezelinum a Romano — imperiosum illum violentumque principem in Patavinam finitimasque civitates tyrannico dominatu saevientem — coram adiit ac, iustitiae caritatisque nomine, pacem digladiantibus populis conciliare, pluribusque civibus, custodiae vinculisque mandatis, libertatem impetrare contendit. Ex quo profecto clare elucet, christianae humilitatis usum non animi vigorem dignitatemque minuere atque extenuare, immo potius augere quam maxime.

coniuncta cum animi vigore.

Studium paupertatis,

Aliae praeterea sunt artes rationesque, quibus Antonius pudicitiam suam custodire tutam et perfectissimam assequi morum sanctimoniam enitebatur. Divitias scilicet ipse contemnere ab iisdemque suum abalienare animum, Assisiatis vestigiis insistens, qui mystica iniit cum evangelica paupertate sponsalia; omnibus fere vitae commodis se abdicare, ac non modo se terrenis hisce rebus pro viribus exsolvere, sed etiam semet ipsum abnegare ut expeditius Deo vacare famularique posset; acerrimae sensuum castigationi illecebrarum fugam adiicere diligentissimam; atque praesertim, cum virtuti diffideret suae, precibus interdiu noctuque ita instare fervidissimis, ut reapse dici queat totum eius vitae cursum veluti perpetuam fuisse ad Deum admotam supplicationem. Ipse siquidem probe noverat

divina nos ope continenter indigere, quandoquidem « non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est » (1). Quemadmodum enim tellus, si solis luce ac calore careat, squalens atque iners exsistit, ita hominum animus, nisi caelestis Numinis gratia, precibus impetrata, collustretur atque enutriatur, non pravis cupiditatum motibus obsistere, non fidem caritatemque alere, non denique potest sublimes illos adscensus facere, quibus ad nobilissima quaeque contendat.

abnegationis, orationis.

Quodsi, ad divini hortamenti normam « Oportet semper orare et non deficere » (2), suam precando caritatem in Deum exserere atque efferre non intermittebat noster, attamen, cum adventantem sibi mortem prospexisset, nihil iam aliud exoptabat, nihil consectabatur, nisi ut, procul ab hominibus fluxisque rebus omnibus, arctiore cum Deo consuetudine constanter uteretur atque recrearetur. Referunt enim eum, cum prope coenobium *Campi Sancti Petri,* in silenti ac silvestri loco, amplissimam suspexisset arborem atque solidissimam, sibi in optatis fore dixisse, si inibi pensilis exstrueretur cellula, in qua uni Deo mente animoque vacare et reliquum sibi liceret temporis spatium beatissime traducere. Cuius voti compos factus, cum ad nidulum sibi paratum laetanter adscendisset, angelicam ibi potiusquam humanam vitam aliquantisper peregit; ac precando, contemplando, divinoque aestuando amore, sempiternam praesensit praecepitque beatitatem.

Adventante morte uni Deo vacans in pensili cellula.

At si, ut adhuc scribendo persecuti sumus, tam eximiis virtutum laudibus enituit Antonius, nullâ tamen sanctitatis notâ magis praestitit, quam apostolici, quo flagravit, studii atque ardoris; illius, inquimus, apostolici studii, quod, ut in interiore animi perfectione veluti fundamento consistit, ita ex eadem vim suam continenter haurit atque exprimit.

Zelus apostolicus.

Siquidem, inde a primis religiosae suae vitae annis, cum praeclara comperisset Franciscalium protomartyrum gesta — qui, in Mauritania, barbaris illis gentibus catholicae religionis cultum afferentes, sanguinem pro Christi nomine profudissent — apostolatus ac martyrii cupiditate aestuans, id enixe poposcit ut sibimet ipsi liceret et sacras eiusmodi expeditiones participare et sua opera suoque, si opus esset, cruore Iesu Christi regnum producere atque amplificare. Veruntamen, rem adeptus, cum ad Africae oras appulisset, febri illico correptus, ob de-

Quomodo ex Africa appulerit in Italiam,

(1) *II Cor.,* III, 5.
(2) Luc., XVIII, 1.

vexam valetudinem in patriam remeare coactus est. At navis, quae in Lusitaniam contendisset, adverso vento compulsa, Italiae litora attigit; Italiae, dicimus, quae a novo huismodi caritatis apostolo divinique verbi praecone, non sine caelesti nutu, pervaganda ac collustranda erat. Hic enim potissimum apostolica eius vis ac navitas inclaruit, hic impensissimi ab eo exantlati labores; at in Galliae etiam provinciis bene multis, quandoquidem omnes Antonius — Lusitanos nempe suos, Afros, Italos, Gallos, quotquot denique catholica veritate indigere intellexisset — nullo habito gentis nationisque discrimine, actuoso studio suo complectebatur. In haereticos autem, Albigenses scilicet, Catharos et Patarenos, eo tempore paene ubique furentes ac germanae fidei lumen in christifidelium animis restinguere conantes, tam strenue feliciterque decertavit, ut « haereticorum malleus » iure merito nuncuparetur. At vero, si sublimi quadam eloquentiae vehementia atque acerbitate in haereses omne genus in pravosque mores ferebatur, in obcaecatos tamen omnes, qui evangelii lucem appeterent, in devios, qui ad veritatis semitam contenderent, in « prodigos » denique « filios », qui caelestis Patris veniam complexumque percuperent, paternum omnino gerebat animum.

sed plures alias gentes evangelizans.

Malleus haereticorum, simul Pater in devios reduces.

In concionando autem, non populi favorem, non divitum primorumque gratiam, non inanem hominum plausum gloriamque aucupabatur; neque doctrinam praeferebat venditorumque more iactabat suam, sed divinam illam, quam e diuturna sacrarum Litterarum lectione suxerat sapientiam, studiose diligenterque inlustrabat.

Purissima intentio contionantis.

Non mirum igitur si a decessore Nostro f. r. Gregorio IX « Arca Testamenti », honoris causa, appellabatur; non mirum si tantam civium multitudinem, vel errantem, ad frugem bonam reduxit, vel fide caritateque torpentem, ad virtutum adeptionem sua voce suoque exemplo excitavit. Quamvis enim, ut diximus, non plausum quaereret hominumque gloriam, auditorum tamen animos ita sibi devinciebat, ut diu multumque iidem, temporis laborisque immemores, in eum concionantem intenderent, eiusque oratione perculsi atque commoti, et suorum scelerum horrore perstringerentur, et ad caelestia adipiscenda bona vehementer exardescerent. Cumque fama mirabilis huius evangelicae veritatis praeconis longe lateque percrebresceret, non modo e propinquis regionibus, sed e longinquis etiam urbibus, oppidis viculisque ingens ad eum multitudo catervatim confluebat, eidemque ita circumfundebatur, ut vix postremos hominum ordines incensissima oratoris vox pertingere

Laus et fama apostoli.

Mirabilis efficacia contionum,

posset. Videre erat milites, parumper saltem, arma deserere, agricolas arva, mercatores tabernas, artifices denique officinam cuiusque suam, ut eum alloquentem audirent; atque profecto, in sua quisque reversus, ad perfectioris vitae institutum sese non tam vocatum, quam allectum experiebatur. Neque defuere apostolico huic concionatori mira illa signa atque portenta, quibus Deus, in gravioribus praesertim tempestatibus, Ecclesiam suam sustinere, suorumque praeconum doctrinam atque opera divinitus obsignare atque confirmare videtur. Per ea enim saepenumero ei licuit non modo haereticos, catholicis praeceptis succensentes, pervincere eorumque prosternere molimenta, sed civium etiam odia simultatesque pacare atque componere. Quam ad rem idem decessor Noster Gregorius IX, in Litteris Decretalibus, quibus Antonium Patavinum ad Sanctorum caelitum honores evexit, haec habet: « Ut... suae (Deus) virtutis potentiam mirabiliter manifestet, et nostrae salutis causam misericorditer operetur, fideles suos, quos semper coronat in caelo, frequenter et honorat in saeculo, ad eorum memorias signa faciens et prodigia, per quae pravitas confundatur haeretica, et fides catholica confirmetur, fideles mentis torpore discusso, ad boni operis excitentur instantiam; haeretici, depulsa in qua iacent caecitatis caligine, ab invio reducantur ad viam, et Iudaei atque Pagani, vero lumine cognito, currant ad Christum, lucem, viam, veritatem et vitam » (1).

signis et portentis adiuta et confirmata.

Ad hoc igitur sanctitatis lumen, quo catholica gloriatur Ecclesia, venerabundi respiciant omnes, ad eiusque gesta atque virtutes suam enitantur componere vitam. Discant ab eo iuvenes, ii praesertim qui in Actionis Catholicae ordines adsciti sunt, ab huius saeculi illecebris abhorrere et ad nobilissima quaeque castum piumque animum erigere; discant qui sacris Missionibus dant operam, adversis rebus non frangi, prosperis non efferri, costanterque apostolico flagrare studio; sacri denique discant oratores et ex divinis Litteris suam haurire sapientiam et, sese Iesu Christi praeceptis exemplisque alacriter conformando, ad gravissimum concionandi munus animum comparare suum. Ac potissimum cupimus ut, qui religiosae vitae institutum capessivere, atque imprimis qui ex inclyto sunt Assisiatis Ordine, iidem omnes huius praeclari Franciscalis familiae decoris laudes egregiaque promerita, nobili quadam contentione, aemulentur.

Hortatio ad omnes, ad iuvenes actionis catholicae;

ad missionarios;

ad sacros oratores

ad religiosos, maxime ad Franciscales.

(1) Litt. Decr. « Cum dicat Dominus », III Iunii MCCXXXII.

Apprecatio et vota.

Iam nihil reliqui est, venerabilis frater, nisi ut quae, alia ex aliis, per saecularia huiusmodi sacra, conlatis inter vos viribus consiliisque, peracturi estis, iis et bene precemur et felicem ominemur eventum. In quibus, peculiari placet gratulatione hortationeque prosequi Nostra, cum pias frequentissimasque fidelium peregrinationes per hunc et proximum annum ad gloriosum Antonii sepulcrum habendas; tum duos illos coetus septembri mense agendos, alterum Missionalium causae, rebus alterum rationibusque socialibus provehendis; tum denique Eucharisticum Conventum, quo Antoniana sollemnia, auspicato sane, ad suum vergent dignissimum exitum.

Pontifex bene ominatur peregrinationes; coetum missionalem et socialem; eucharisticum conventum.

Pontificis oratio.

Faxit igitur Deus, Antonio ipso deprecatore atque auspice, ut quae per has litteras, tibi quidem inscriptas, in christifidelium mentem redigere voluimus, ea intento ab omnibus reputentur animo et in usum actuosissime deducantur.

Benedictio.

Caelestium interea munerum conciliatrix esto paternaeque benevolentiae Nostrae testis apostolica benedictio, quam cum tibi, venerabilis frater, tuis omnibus, iisque qui Patavium horum sollemnium causa conventuri sunt tum, nominatim dilectissimae Seraphici Patriarchae suboli universae — studiosis praesertim mirabilis Basilicae et sacrarum Thaumaturgi exuviarum custodibus — peramenter in Domino impertimus.

Dies (1 mart. 1931).

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die I mensis Martii anno MDCCCCXXXI, Pontificatus Nostri decimo.

PIUS PP. XI

---

19. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Motu proprio « Apostolicae », 18 ian. 1931

DE PLUMBEO SIGILLO CANCELLARIAE APOSTOLICAE INNOVANDO
(A. A. S., 2 feb. 1931, XXIII, 33)

PIUS PP. XI

Sigilli « Bullae » usus et descriptio.

Apostolicae Litterae pro beneficiorum et officiorum consistorialium provisione et pro aliis Ecclesiae maioribus negotiis conficiendis, ad normam Codicis iuris canonici (can. 260) e Cancellaria Apostolica expediuntur. Sollemniora huiusmodi acta,

in pergamenam chartam trancripta, pluribus abhinc saeculis Romani Pontifices plumbeo sigillo seu bulla, unde acta illa *Bullae* etiam nuncupata sunt, firma ac rata facere consueverunt. Huius sigilli pars, quae imagines Apostolorum Principum exhibebat, si parva quaedam excipiantur quae praecipue ad eius structuram pertinebant, eadem fere semper permansit; altera vero novo quoque Pontificatu mutabatur, cum singulorum Pontificum nomina ferret. Nos autem, quin veteri huic consuetudini derogemus, pro praecipua Nostra de ufficio ac decore Cancellariae Apostolicae cura, consentaneum censemus ut plumbeum sigillum, quod usque adhuc adhibitum est, non modo quoad structuram, verum etiam quoad amplitudinem ac pondus, quo expeditius mittantur Bullae, mutetur. Quapropter una cum dilecto filio Nostro Cardinale Andrea Frühwirth, S. R. E. Cancellario, re diligenter perpensa, libenti animo novum sigillum plumbeum, ad vetera elegantiora exemplaria confectum, nonnullisque quidem rebus opportune mutatis, a peritissimo artifice effingi iussimus. Nunc vero, cum exemplar, quod Nobis non pauca post experimenta oblatum est, probaverimus, utpote quod aptius videretur ad faciliorem efficiendam Bullarum expeditionem, idcirco his Litteris, motu proprio datis, volumus ac decernimus ut a die XII mensis Februarii, quo die, nono ante anno, in Vaticana Basilica Summi Pontificatus insignia solemni ritu accepimus, sigillum hoc novum, a Plumbatore religiose custodiendum, uti sigillum Nostrum Pontificium in omnibus Cancellariae Apostolicae actis unice in posterum adhibeatur; idque dilecto filio Nostro Cardinali Cancellario curandum et exsequendum committimus. Quod vero a Nobis hisce Litteris statutum est, id firmum ac ratum esse iubemus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Pontificis consilium.

Novum sigillum probatur.

Dies a quo eius usus imperatur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XVIII mensis Ianuarii anno MDCCCCXXXI, Pontificatus Nostri nono.

Dies (18 ian. 1931).

PIUS PP. XI

ANNOTATIONES.

I. Eo consilio ut Bullae expeditius mitterentur, SS. Dominus curavit ut novum sigillum plumbeum, ad vetera elegantiora exemplaria exactum, non exigua arte conficeretur.

Mutata sunt amplitudo et pondus. Ex imagine quae p. 51 in A. A. S. est posita novam Bullam diametro quattuor centimetr. definiri docemur.

Subiungit S. Pontifex non nulla alia esse mutata. Qua parte nomen Pontificis est incisum, observamus, pro breviante formula PP. XI, iam nomen integrum esse positum, cui parva crux est superposita ita ut legatur

†
PIUS
PAPA
XI.

Utriusque apostoli nomen sub capitibus SS. Petri et Pauli, in altera parte est inscriptum.

Cum, ut mos est, caput S. Pauli ad dexteram sit capitis S. Petri, non nulli Protestantes, satis inepte inde contra Primatum S. Petri obicere tentarunt: quasi latus dexterum semper et ubique fuerit magis honoratum; quasi capita aspicienti, caput S. Petri non teneat dexteram; et quasi res non etiam hac altera ratione explicetur quod prius ambae facies altera alteram spectabat, ita ut tunc e solo aspiciente dignior locus esset aestimandus: qui locus dein servatus est postquam mutatae sunt apostolorum facies.

---

20. — S. Cong. Caeremonialis

Decretum 31 dec. 1930, ex aud. SS.i.

DE TITULO « EXCELLENTIAE REVERENDISSIMAE »

(A. A. S. 15 ian. 1931, XXIII, 221)

In audientia 11 dec. 1930.

Ss.mus D. N. Pius Papa XI, eo consilio ut dignitas eorum, qui cum in Ecclesiae gubernatione, tum in ipsa Pontificis Maximi Domo principes hebent partes, maiore cotidie in honore sit, Purpuratorum Patrum percontatus sententiam, qui sacris caerimoniis regundis praepositi sunt, die 11 mensis De-

cembris huius anni, arcessito viro hac in pagina subsignato, qui Sacrae Congregationi Caerimoniarum est a secretis, decrevit: *Excellentiae Reverendissimae* titulum, praeter quam Patriarchis et Latinae et Orientalis Ecclesiae, praeter quam Praelatis qui a flocculis vulgo appellantur, praeter quam Nuntiis et Internuntiis Apostolicis, tribuendum quoque esse Archiepiscopis atque Episcopis sive residentialibus sive titularibus tantum, itemque Magistro Pontificii cubiculi, Praelatis qui assident vel sunt a secretis in Sacris Romanis Congregationibus, Secretario Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae, Praelato Decano Sacrae Romanae Rotae ac denique Substituto Secretariae Status. Contrariis quibuslibet non ostantibus.

S. Pontifex decrevit quibusnam praelatis competeret titulus Excellentiae Reverendissimae.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis Caerimonialis, die 31 Decembris 1930.

† I. Card. GRANITO PIGNATELLI DI BELMONTE, Ep. Ostiensis et Albanensis, *Praefectus.*

L. ✠ S. B. NARDONE, *Secretarius.*

Dies (31 dec. 1930).

ANNOTATIONES

I. Praelati qui « a flocculis » appellantur quia flocculis caput equorum quibus vehebantur ornabant, sunt, ex MORONI, *Dizionario di erudizione*, t. 55, p. 153, Vice-Camerarius S. R. E., auditor generalis Rev. Camerae Apostolicae, S. C. Ap. Thesaurarius generalis et Maior domus Suae Sanctitatis. Cfr quoque *Annuario Pont.* 1931, p. 594.

II. Habemus igitur quo vero titulo sint nominandi. Quid linguis vulgaribus futurum sit usus nos docebit. De his nihil imperatur.

21. — S. Cong. Caeremonialis

Decretum 2 dec. 1930 cum mandato SS.

DE SACRIS RITIBUS AB E.MIS DD. PP. CARDINALIBUS ROMAE PERAGENDIS

(A. A. S , 2 feb. 1931, XXIII, 56)

Die 17 Novembris, plenaria habita in Aedibus Apostolicis Vaticanis sessione Congregationis Caerimonialis, E.mi Patres

Memoratis decretis 1902, die 17 nov. 1930.

quaestiones nonnullas ac proposita dubia sibi dirimenda susceperunt, quomodo scilicet essent interpretanda itemque exsequenda decreta duo ab eadem Sacra Congregatione die 30 Maii 1902 lata de sacris ritibus ab E.mis purpuratis Patribus Romae peragendis sive sollemniore pompa, sive privatim: quorum alterum, ad omnes E.mos Patres Cardinales inscriptum, verbis incipit *Dignitas eminentia;* alterum *Solemne semper Ecclesiae fuit* datum Rectoribus ecclesiarum Urbis.

S. C. in plenario coetu ea confirmat et observanda statuit.

Quae autem hisce continentur decretis, eadem Patres E.mi Sacrae Congregationis Caerimonialis in sessione, quam supra diximus, cum die 17 superioris mensis prorsus confirmassent, tum sancte in posterum observanda statuerunt.

Quod in aud. 2 dec. 1930, S. Pontifex ratum habuit, mandans communicationem.

In audientia autem die 2 Decembris 1930 a Ss.mo Domino Nostro Pio XI Pontifice Maximo concessa eiusdem Congregationis Secretario, cum hic ad Beatissimum Patrem de omnibus iure actis diligenter retulisset, Sanctitas Sua rata habuit quaecumque ab E.mis Patribus statuta fuerant, mandavitque ut decretum *Solemne semper Ecclesiae fuit* cum E.mo Cardinali Suo in Urbe Vicario communicatum, ab eodem vicissim ad eorum omnium, quorum interesse posset, notitiam et normam transmitteretur.

Dies (2 dec. 1930).

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis Caerimonialis, die 2 Decembris 1930.

† I. Card. GRANITO PIGNATELLI DI BELMONTE,
L. ✠ S. Ep. Ostiensis et Albanensis, *Praefectus.*
B. NARDONE, *Secretarius.*

Utriusque autem decreti tenor est ut sequitur:

AD E.MOS PATRES CARDINALES

DECRETUM

Decreti ratio.

Dignitatis eminentia, qua S. R. E. Patres Cardinales, Pontificis Maximi Consiliarii Eiusdemque Senatus augustus, in Ecclesia praefulgent, plane postulat ut alta de ipsis opinio penes christianum populum vigeat. Quare mirum non est si Eorum decori tuendo multa fuerint lege cauta et constituta, collatis per varia tempora amplissimo illi Ordini iuribus, privilegiis, honoribus, quum in ceteris, tum praesertim in iis quae ad sacros ritus splendidius per ipsos celebrandos pertinerent. Quia vero nostra maxime tempora postulare videntur ut sedulo caveatur ne tanta maiestas quidquam detrimenti capiat et quo-

tidiano ministerii usu vilescat, S. Congregatio Caeremonialis opportunum duxit certas in rem normas proponere, easque significatas altero Decreto ecclesiarum Urbis rectoribus, purpuratis etiam Patribus exhibere:

Antequam invitatus ad sollemnes functiones annuat, Cardinalis suum apostolicarum caerimoniarum magistrum audire debet, attentis his praeterea condicionibus: causa invitationis; ambitu templi; ministris.

I. Pater Cardinalis e presbyterorum aut episcoporum ordine invitatus, extra proprium titulum aut ad ecclesiam aliquam Urbis ad sacrum solemne, vel ad pontificalia exercenda in missa aut in vesperis, *ne annuat, nisi audito, quo ipse utitur, apostolicarum caeremoniarum magistro* atque his conditionibus:

1) Ut aequa sit et probanda causa cur E.mi PP. Cardinales invitentur, idest, ob singularem et non cammunem alicuius festi celebritatem.

2) Ambitus templi, ad pontificalia peragenda, par sit, praesertim in presbyterio, caeremoniis rite et commode explendis; ipsumque templum e dignioribus sit atque insignioribus.

3) Sacri ministri aliique inferiores operam praestituri, numero adsint qui liturgiae legibus praescribitur; singuli vero suum officium probe calleant. Ac maiores quidem ministri, in pontificalibus purpurati Patris, in aliqua sint Ecclesiae dignitate constituti; minores vero saltem clerici. Praeterea celebranti Patri Cardinali iusta decensque adstet frequentia, sive saecularis sive regularis cleri.

Musices genere.

4) Musices genus, in sacra actione utendum, sit ab Ecclesia probatum. Praesertim vero dum E.mus Vir sacrum solemne peragit, praeter gregorianum, non alius recipitur cantus quam qui solis vocibus, ut moris est in Pontificis Maximi et PP. Cardinalium choris. Cantores vero, quum numero, tum arte nihil desiderandum relinquant.

Exempla singularis celebritatis.

II. Sacra Congregatio Caeremonialis declarat, singularem et non communem festi alicuius celebritatem, de qua superius facta mentio est, tunc haberi quum rariora quaedam solemnia magno apparatu densâque populi frequentia celebrantur, quemadmodum in prima triduana supplicatione post beatificationem, aut dierum octo post canonizationem; itemque in saeculari aliqua commemoratione, et similibus. Quod si solemnitas indicta fuerit in triduum, extremo tantum die haberi poterunt pontificalia E.mi Viri; si in dies octo, poterunt haberi ter.

Quoties in triduana, in octiduana sollemnitate Pontificalia Cardinalicia esse possunt.

Quid in proprio titulo vel diaconia.

Si quis autem purpuratus Pater, occasione peculiaris festi, velit pontificalia exercere in ecclesia sui Tituli, aut si cupiat sacris ibidem solemniter assistere, quod quidem diaconis etiam Cardinalibus in propria ecclesia competit, ecclesiarum rectores omnia et singula disponenda curent iuxta praescripta superius.

Quid si invitatus ad missam privatam.

III. Ad missam privatam in publicis Urbis ecclesiis invitatus Pater aliquis Cardinalis, sive ex ordine episcoporum aut presbyterorum, sive, etiam posito privilegio, ex ordine diaconorum, ne annuat nisi ante mature fuerit perpensum, quae sit et quanta festi solemnitas, quae templi dignitas, ambitus, qualitas; sintne omnia rite parata atque disposita, ita ut purpuratus Pater, eo quo decet honore et cultu excipi, tractari deducique possit, retentis ad unguem ss. rituum praescriptis et caeremoniarum regulis.

Quid de sollemni benedictione cum SS^o^,

IV. Si quis Pater Cardinalis fuerit invitatus ad benedicendum populo solemniter cum Augustissimo Sacramento, ante ne annuat quam sibi constet omnia parata esse atque disposita iuxta superius descriptas normas; haberi sacros ministros in aliqua Ecclesiae dignitate constitutos; inferiores autem clericos et numero et qualitate commendabiles. Ad novendiales vero, vel triduanas supplicationes, etiamsi solemniores (exceptis casibus n. II relatis), ne velint quotidie accedere PP. Cardinales, ac ne ultimo quidem die, nisi forte id sacrae commemorationis magnitudo splendidiorque apparatus postulet.

de absolutione post missam de requie.

V. Absolutionis ritum post missam de requie ab episcopo aut presbytero celebratam, ne peragant PP. Cardinales ordinis episcoporum aut presbyterorum, *praesente cadavere*, nisi mandante aut volent Summo Pontifice. *Absente cadavere*, eo fungi ritu poterunt in funebribus aut Pontificis Maximi, aut purpuratorum Patrum, aut catholicorum Principum; vel etiam sicubi solemnior fiat commemoratio omnium fidelium defunctorum; item pro insigni aliqua communitate, vel publicum ob aliquem et lacrimabilem casum; modo omnia accurate serventur, quae supra dicta sunt, de templi conditione, de ministrorum dignitate, peritia et numero, deque genere cantus.

E.mi Patres certiorandi, omnia rite se habere.

VI. Ad cavendum ne aliis in ritibus caeremoniisve sacris, praeter memorata, studio etiam novitatis, aliquid inducatur purpuratorum Patrum dignitati minus conveniens, quod aliquando accidisse constat, expedit ut PP. Cardinales invitationi non obsequantur, *nisi facti certiores per aliquem caeremoniarum apostolicarum magistrum*, omnia rite geri, nec Cardinalis decori quidquam obesse.

Cardinalium comitatus.

VII. Purpurati Patres solemnia celebraturi in publicis Urbis ecclesiis, praeter caudatarium et famulum aulica veste de more indutum, familiares nobiles duos secum ducant. In ritibus haud ita solemnibus ducant saltem ecclesiasticum familiarem nobilem unum, praeter caudatarium et famulum aulica veste de more indutum.

Quae omnia a S. Congregatione Caeremoniali statuta et approbata in comitiis habitis in Aedibus Vaticanis, die XXIII mensis Maii an. MCMII, et per me infrascriptum Cardinalem Sacrae Congregationi Caeremoniali Praefectum relata ad Ss.mum D. N. Leonem XIII Pont. Max., Sanctitas Sua rata habuit et confirmavit die XXX eiusdem mensis et anni.

Dies deliberationis 23 maii 1902; et Confirmationis Pontificiae, 30 maii 1902.

L. ✠ S.

A. Card. Oreglia a S. Stephano,
S. Congr. Caerem. Praefectus
L. Grabinski, *Secretarius.*

RECTORIBUS ECCLESIARUM URBIS

DECRETUM

Solemne semper Ecclesiae fuit, in sacris peragendis, splendidiore ritu quandoque uti, qua exteriore pompa sensus hominum perculsi, rei celebrandae magnitudinem intelligerent melius. Tunc vere divinae Christi Sponsae verba regii vatis aptantur: « Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietete ». Augustiorem autem quum faciant ritum, non modo templi apparatus et ornamenta reliqua, sed etiam sacra peragentium excellens auctoritas ac dignitas, idcirco ad solemniora haec primores antistites invitari solent, crebrius quidem Episcopi, rarius S. R. E. Cardinales. Utriusque ordinis decori, maxime vero purpuratorum Patrum, satis lege consultum est, et sua cuique iura, honores, privilegia definita sunt, quum in ceteris, tum etiam in iis quae ad sacros ritus quosdam splendidius celebrandos pertinent. Quia tamen nostra maxime tempora postulare videntur ut caveatur sedulo ne sacrorum antistitum maiestas quotidiano usu penes populum vilescat, S. Congregatio Caeremonialis censuit ecclesiarum Urbis rectoribus servandas normas constituere, quae sequuntur:

Usus splendidioris ritus.

Quae tamen cavenda sint.

I. Quoniam interest magni ut Patrum Cardinalium sarta tectaque servetur dignitas, quotquot in Urbe sunt ecclesiarum rectores admonentur, ne tam crebro neque tam facile purpuratos Patres invitent, etiamsi de sacris solemnioribus agatur.

Rarius Cardinales invitentur.

II. In missis et in vesperis pontificalibus, praeterquam quod standum erit menti et praescriptis libri Caeremonialis, serventur omnino conditiones quae sequuntur:

Condiciones servandae in missis et vesperis Pontificalibus.

1) Ut aequa sit et probanda causa cur E.mi PP. Cardinales invitentur, idest, ob singularem et non communem alicuius festi celebritatem.

2) Ambitus templi, ad pontificalia peragenda, par sit, praesertim in presbyterio, caeremoniis rite et commode explendis; ipsumque templum e dignioribus sit atque insignioribus.

3) Sacri ministri aliique inferiores operam praestituri, numero adsint qui liturgiae legibus praescribitur; singuli vero suum officium probe calleant. Ac maiores quidem ministri, in pontificalibus purpurati Patris, in aliqua sint Ecclesiae dignitate constituti; minores vero saltem clerici. Praeterea celebranti Patri Cardinali iusta decensque adstet frequentia, sive saecularis sive regularis cleri.

4) Musices genus, in sacra actione utendum, sit ab Ecclesia probatum. Praesertim vero dum E.mus Vir sacrum solemne peragit, praeter gregorianum, non alius recipitur cantus, quam qui solis vocibus, ut moris est in Pontificis Maximi et PP. Cardinalium choris. Cantores vero, quum numero, tam arte nihil desiderandum relinquant.

Exempla singularis festivitatis.

III. Sacra Congregatio Caeremonialis declarat, singularem et non communem festi alicuius celebritatem, de qua superius facta mentio est, tunc haberi quum rariora quaedam solemnia magno apparatu densaque populi frequentia celebrantur, quemadmodum in prima triduana supplicatione post beatificationem, aut dierum octo post canonizationem; itemque in saeculari aliqua commemoratione, et similibus. Quod si solemnitas indicta fuerit in triduum, extremo tantum die haberi poterunt pontificalia E.mi Viri; si in dies octo, poterunt haberi ter.

Si quis autem purpuratus Pater, occasione peculiaris festi, velit pontificalia exercere in ecclesia sui Tituli, aut si cupiat sacris ibidem solemniter assistere, quod quidem diaconis etiam Cardinalibus in propria ecclesia competit, ecclesiarum rectores omnia et singula disponenda curent iuxta praescripta superius.

Quid de missa privata;

IV. Ad missam privatam in publicis Urbis ecclesiis ne invitetur PP. Cardinalium quisquam, sive ex ordine episcoporum aut presbyterorum, sive, etiam *posito privilegio*, ex ordine diaconorum, nisi ante mature fuerit perpensum, quae sit et quanta festi solemnitas, quae templi dignitas, ambitus, qualitas; sintne omnia rite parata atque disposita, ita ut purpuratus Pater, eo quo decet honore et cultu excipi, tractari deducique possit, retentis ad unguem ss. rituum praescriptis et caeremoniarum regulis.

de sollemni benedictione cum SS°;

V. Eadem plane serventur si quis Pater Cardinalis invitetur ad benedicendum populo solemniter cum Augustissimo Sacramento. In eiusmodi ritu, ad quem etiam rarius erunt in-

vitandi purpurati Patres, illud curae esto, ut ministri sacri sint in aliqua Ecclesiae dignitate constituti; inferiores autem clerici et numero et qualitate commendabiles. Ad novendiales vero, vel triduanas supplicationes, etiamsi solemniores (exceptis casibus n. III relatis), non erunt invitandi quotidie PP. Cardinales; ac ne ultimo quidem die, nisi forte id sacrae commemorationis magnitudo splendidiorque apparatus postulet.

Prius audiendi apost. caerim. magistri aut praefectus.

Ceterum ad quaevis solemnia ecclesiarum Urbis rectores ne invitent purpuratos Patres, nisi auditis prius apostolicarum caeremoniarum aut praefecto. aut magistris.

De absolutionis ritu post missam de requie,

VI. Absolutionis ritus, post missam de requie ab episcopo aut presbytero celebratam, non est a Patre Cardinali ordinis episcoporum aut presbyterorum peragendus, nisi quum iusta funebria persolvantur aut Summo Pontifici, aut purpurato Patri, aut catholico Principi; vel etiam sicubi solemnior fiat commemoratio omnium fidelium defunctorum; item pro insigni aliqua communitate, vel publicum ob aliquem et lacrimabilem casum, modo omnia accurate serventur, quae supra dicta sunt, de templi conditione, de ministrorum dignitate, peritia et numero deque genere cantus.

Decreti observatio inculcatur.

VII. Haud par est invitari Episcopos ad pontificalia sive missae sive vesperarum, ubi nulla aequa suppetat ratio verae solemnitatis, aut ubi non ante fuerit cautum diligenter, ne forte peragendis iis ritibus vel angustia loci obstet, vel inservientium conditio vel impar numerus. Quapropter S. Congregatio monet omnes et singulos ecclesiarum Urbis rectores, ut, ad episcopalis dignitatis tutelam, quae circa templi decus et amplitudinem, quae circa solemniorem festi rationem, sacrorum ministrorum aliorumque inservientium qualitatem et numerum superius praescripta sunt, ea convenienter aptent iis casibus, in quibus invitare episcopum cupiant, sive ad sacra illa solemnia, sive etiam ad missae privatae celebratione aut ad benedicendum populo cum Augustissimo Sacramento, aut ad huiusmodi alia.

Dies comitiorum (23 maii 1902) et confirmationis Pontificiae (30 maii 902).

Quae omnia a S. Congregatione Caeremoniali statuta et approbata in comitiis habitis in Aedibus Vaticanis, die XXIII mensis maii an. MCMII, et per me infrascriptum Cardinalem Sacrae Congregationi Caeremoniali Praefectum relata ad Ss.mum D. N. Leonem XIII Pont. Max., Sanctitas Sua rata habuit et confirmavit die XXX eiusdem mensis et anni.

A. Card. OREGLIA A S. STEPHANO
S. Congr. Caerem. Praefectus.

L. ✠ S.

L. GRABINSKI, *Secretarius.*

[21]

ANNOTATIO

Quia ad decreta S. Congregationis accessit mandatum S. Pontificis de eorum communicatione et res istae caerimoniales aliquo modo affines dici possunt formae exteriori Bullae, de qua *Motu proprio* SS. D. statuit, ideo, non observato solito ordine SS. Congregationum iam hic exscripsimus varia S. C. Caerimonialis decreta.

De posterioribus istis id solum observandum nobis est Cardinales diaconos tantum *posito privilegio* ad missam privatam in publicis ecclesiis invitari posse. Pontificalia autem sollemniter a solis Cardinalibus Episcopis et Diaconis celebrari posse; diaconis sola permittitur sollemnis assistentia. Cfr. Decretum *Sollemne semper* ad III et IV.

---

22. — S. Sacra Congr. S. Officii

Decreto 28 nov. et 16 dec. 1930

PROSCRIPTIONES LIBRORUM

(A. A. S., 15 ian. 1931, XXIII, 13. 14)

I Decretum 28 nov. 1930

Dies S. Cong. *Feria IV, die 26 Novembris 1930*

In generali consessu Supremae S. Congregationis Sancti Officii, E.mi ac Rev.mi DD. Cardinales rebus fidei et morum praepositi, praehabito DD. Consultorum voto, tamquam praedamnatum ad normam can. 1399 Codicis iuris canonici C. habendum et in Indicem librorum prohibitorum inserendum esse decreverunt librum cui titulus:

Liber damnatus. Guillermo Dellhora, *La Iglesia Católica ante la critica en el pensamiento y en el arte.* Mexico, Ediciones Dellhora, 1929.

Et sequenti Feria V, die 27 Novembris eiusdem mensis et anni, SS.mus D. N. D. Pius divina Prov. Pp. XI, in solita audientia R. P. D. Adsessori Sancti Officii concessa, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit et publicandam iussit. *SS.i approbatio.*

Datum Romae, ex aedibus Sancti Officii, die 28 Novembris 1930. *Dies (28 nov. 1930).*

A. SUBRIZI, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.*

L. ✠ S.

II. Decretum 16 dec. 1930

Feria IV, die 16 Iulii 1930 *Dies.*

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, E.mi ac R.mi Domini Cardinales fidei et moribus tutandis praepositi, praehabito DD. Consultorum voto, damnaverunt, proscripserunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendos mandarunt:

Articulum sub verbo *Messianisme* a sacerdote Ludovico Dennefeld editum in *Dictionnaire de Théologie Catholique,* Paris, Librairie Letouzey et Ané (columna a 1404 ad 1568), et eiusdem auctoris librum cui titulus *Le Messianisme,* Paris, Librairie Letouzey et Ané, 1929. *Opera damnata.*

Et sequenti feria V, die 17 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. D. Pius divina Providentia Pp. XI, in solita audientia R. P. D. Adsessori S. Officii impertita, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit et publicandam iussit. *Approbatio SS.i*

Datum Romae, ex aedibus S. Officii, die 16 Decembris 1930. *Dies (16 dec. 1930).*

A. SUBRIZI, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.*

L. ✠ S.

Nota.

La Suprema Sacra Congregazione del S. Offizio, viste le buone disposizioni ed i manifestati propositi dell'Autore Rev. professor Lodovico Dennefeld di correggere e riformare il suo scritto ed il suo insegnamento, non ha creduto di procedere ad altre misure (1).

---

(1) *I. e. latine:* Suprema S. Cong. S. Officii, attentis bonis dispositionibus et manifestatis propositis Auctoris, Rev. Professoris Ludovici Dennefeld, corrigendi et emendandi eius scriptum et suas praelectiones, aliis consiliis capiendis locum esse non existimavit.

ANNOTATIO

Si quis quaerat quaenam alia consilia insinuentur, videmur indicare posse v. g. amotionem cathedrae.

23. — S. CONGR. CONCILII

Responsio 20 nov. 1930

DISTRIBUTIO, IN ITALIA, REDITUUM INTERCALARIUM

(A. A. S., 15 ian. 1931, XXIII, 16)

Quaestionis occasio.

(Romana et aliarum) Cum nonnulli Episcopi Italiae ab hac Sacra Congregatione Concilii quaesierint, quaenam norma servanda sit in Italia, post Concordatum Lateranense (art. 26 § 1), in reditibus anni promiscui inter beneficiarium successorem et antecessorem eiusve heredes distribuendis, de quibus in canone 1480 Codicis iuris canonici, res proposita est resolvenda in plenario E.morum Patrum eiusdem Sacrae Congregationis conventu die 15 Novembris 1930 sub dubio:

Coetus plenarius 15 nov. 1930.

Quaestio.

« An reditus intercalares sive civiles sive naturales distribuendi sint in Italia iuxta annum solarem seu civilem »?

Responsis.

Porro iidem E.mi Patres ad dubium propositum respondendum censuerunt: *Affirmative.*

Approbatio SS. 12 nov. 1930.

Hanc autem resolutionem Ss.mus Dominus Pius Pp. XI in Audientia die 17 insequentis, infrascripto Secretario concessa, approbare et confirmare dignatus est.

Dies decreti (20 nov. 1930).

Datum Romae, ex Secretaria huius Sacrae Congregationis, die 20 Novembris 1930.

I. Card. SERAFINI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

I. BRUNO, *Secretarius.*

ANNOTATIONES.

1. Art. 26 Concordati inter S. Sedem et Gubernium Italicum initi haec statuit: « L'amministrazione e il godimento delle rendite (dei benefici maggiori e

minori), durante la vacanza, è disciplinata dalle norme del diritto canonico ».

Lex canonica autem id praecipit: « Annui reditus beneficii inter successorem et antecessorem eiusve heredes, in casu obitus, pro rata temporis quo beneficio uterque deservierit, distribuantur, omnibus proventibus et oneribus currentis anni computatis, nisi legitima consuetudo aut peculiaria statuta rite approbata alium iustae compositionis modum induxerint » (can. 1480).

2. Fructus alii *naturales*, alii *civiles* sunt, prout a natura ipsa producuntur, ut frumentum, oleum, vinum etc., vel percipiuntur vi contractus aliusve obligationis, ut pretium locationis, stipendium a Gubernio solutum seu *congrua* eiusve supplementum etc.

Palam est, inter fructus naturales et civiles dari discrimen circa tempus et modum solutionis ac perceptionis, quatenus illi nonnisi statis anni temporibus colliguntur et solum latiore quodam sensu et improprio percipi censentur singulis diebus, dum isti contra revera singulis diebus correspondere iisdemque acquiri existimantur.

Hinc ratio dubii S. Congregationi Concilii propositi.

3. S. Congregatio declaravit, huiusmodi reditus intercalares, sive civiles sive naturales, in Italia dividendos esse iuxta annum civilem seu solarem. Cur iste distributionis modus praefinitus?

S. Sedes, cum ageretur de exequendis pactis conventis, morem ex lege italica receptum retinere voluit, utpote qui cum principiis iustitiae et aequitatis, ut ex dicendis patebit, maxime congruit.

Normae (vulgo *Regolamento*) a Gubernio Italico latae die 23 maii 1918 haec habent: « Le rendite beneficiarie s'intendono acquistate *giorno per giorno*, senza distinzione tra frutti naturali e civili.

« Per l'annata quindi di promiscuo godimento tra il cessato titolare o i suoi eredi e l'Economato ed il nuovo provvisto, la ripartizione avrà luogo nel modo seguente: *si farà una massa sola di tutte le rendite maturate dal 1° gennaio al 31 dicembre, e così pure delle spese; l'avanzo netto si dividerà a giorni fra i diversi interessati, in proporzione del tempo del godimento spettante a ciascuno* » (art. 103).

Hac ratione, ut quisque facile intelligit, apta distributio fit inter varias personas interesse habentes, omnibus reditibus beneficii supputatis detractisque expensis.

Huiusmodi fructuum sive naturalium sive civilium distributio per dies, et quidem secundum annum solarem, magis respondet locorum usibus eaque congruentius et facilius consulit aequae fructuum divisioni.

4. Quidam fructus beneficiales singulis annis percipi non solent, sed v. g. singulis trienniis vel bienniis, ut reditus silvarum. Quomodo *pro rata* distribuendi erunt? Applicandum censemus praescriptum citati art. 103 (vulgo *Regolamento*, 23 maii 1918), quo statuitur: « Ove siavi rendita olearia od altra di natura biennale, dovrà unirsi l'annata fertile alla infeconda, e collo stesso metodo si procederà per le selve cedue e per i boschi, i cui tagli non avvengano in ogni anno di eguale misura ».

5. Haec resolutio a S. Congregatione Concilii data respicit dumtaxat *Italiam,* seu omnes dioeceses seu regiones pro quibus viget Concordatum inter Sedem Apostolicam et Gubernium Italicum initum. Ad ceteras nationes quod attinet, norma a S. Congregatione praefinita uti *directiva* optimo consilio recipi haberique potest.

Quis forte quaeret, utrum praefata resolutio referatur quoque ad universas paroecias dioecesium Augustan., Pinerolien. et Segusien. *(Aosta, Pinerolo, Susa).*

Ratio quaerendi est, quia in pluribus paroeciis praefatarum dioecesium normae a Gubernio Italico statutae, de quibus supra, non vigebant usque ad Concordatum, sed ibi vim obtinebant usus ex iure gallico recepti, cum ageretur de territoriis ditioni gallicae olim subiectis. Quare art. 2 normarum diei 23 maii 1918 (vulgo *Regolamento*) statuit: « Nulla è innovato circa le speciali discipline in vigore in alcuni territorii delle diocesi di Aosta, Pinerolo e Susa ».

Re mature perpensa, censemus normam a S. Congregatione Concilii praedicta resolutione praefinitam respicere etiam illa peculiaria territoria sive paroecias, *si* et *quatenus* eadem norma, pro variis adiunctis, applicari possit.

6. Ulterius quaeri potest, an *legitima consuetudo* aut *peculiaria statuta*, de quibus in can. 1480, adhuc servari possint, quatenus praefatae resolutioni Concilii diei 20 nov. 1930 adversentur. Responsio *negativa* certa manifestaque est, legis fine eiusque circumstantiis ac Sedis Apostolicae mente probe perspectis.

FELIX M. CAPPELLO S. I.

---

24. — S. Rituum Congregationis, seu Em. Praefecti

Responsum 20 ian. 1660.

DE USU PONTIFICALIUM, NOMINATIM DE COLORE PILEOLI

(Analecta iuris Pont , II, 2206).

Dubii occasio et tenor.

« Cum a quibusdam timoratae conscientiae Cisterciensibus abbatibus dubitatum fuerit, an, sub decreto per hanc S. Congregationem emanato die 27 septembris anni proxime praeteriti 1659, fuerint comprehensi abbates Cisterciensis Ordinis, utpote specialibus Summorum Pontificum privilegiis insigniti, S. Rituum Congregatio, ut huic occurreret piae dubietati, ins-

tante abbate D. Hilarione Rancato, Ordinis praedicti procuratore generali, ac summarium privilegiorum et gratiarum proprio Ordini per diversos SS. Pontifices in diversis temporum differentiis concessorum exhibente, DECLARAVIT, decretum praenominatum alias a se editum non afficere quoad eorum ecclesias et loca ipsis subiecta, aut comprehendere Cistercienses abbates, tamquam privilegiis specialibus ab Apostolica Sede condecoratos, quibus S. Congregatio derogare numquam suis decretis intendit.

Responsio.

Die 20 ian. 1660.

Dies (20 ian. 1660).

Card. SACCHETTI, Praef.

ANNOTATIO.

Cum in tribus prioribus editionibus Epitome iurius can. t. II, n. 83 scripsissemus, abbatibus benedictis, inter missarum sollemnia licere usum pileoli nigri vel albi, pro vestium colore, Abbas generalis Ordinis Praemonstratensium S. C. *Rituum* interrogavit cuiusnam coloris esse deberet pileolus abbatum regularium, utrum coloris nigri vel coloris habitus regularis proprii Ordinis. Cui quaestioni, S. Rituum cong. die 31 iul. 1929 respondit nigri debere esse coloris secundum decretum generale 1311 ad VIII, diei 27 sept. 1659 (1). In decreto isto generaliter ordinatur usus Pontificalium praelatis inferioribus concessus. Quod ceterum etiam colligitur ex can. 625 quo abbatibus regularibus de regimine, post acceptam benedictionem conferuntur privilegia can. 325 Abbatis *nullius*, « excepto pileolo violaceo ».

Verum praefata declaratio S. Rituum Cong., quae nobis benigne ab Rev.mo Abbate indicata est, demonstrat haec tamen intellegenda esse, secluso privilegio peculiari, cui decreto 27 sept. 1659 S. Cong. minime derogare intendit.

(1) Cfr. *Per.*, XVIII, 244.

25. — S. Poenitentiaria Apostolica *(Off. de indulg.)*

Decreta 20 nov. et 5 dec. 1930, ex aud. SS.mi

DE INDULGENTIIS

(A. A. S. 15 ian. 1931, XXIII, 23)

I. INVOCATIO AD B. M. V. INDULGENTIIS DITATUR

Aud. SS.i

SS.mus D. N. Pius div. Prov. Pp. XI, in Audientia infrascripto Cardinali Poenitentiario Maiori impertita, christifidelibus saltem corde contrito recitantibus invocationem ad beatam Mariam Virginem: *Regina Apostolorum, ora pro nobis,* indulgentiam trecentorum dierum benigne concedere dignatus est. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Invocatio.

Indulgentia.

Datum Romae, e Sacra Poenitentiaria, die 20 Novembris 1930.

Dies (20 nov. 1930).

L. Card. LAURI, *Poenitentiarius Maior.*

L. ✠ S.

I. TEODORI, *Secretarius.*

II. INDULGENTIA PLENARIA PRO DIVINI OFFICII RECITATIONE AD MONIALES ALIASQNE PIAS MULIERES IN COMMUNITATE VIVENTES EXTENDITUR.

Memorata indulgentia concessa clericis in sacris, coram SS^{o} div. Off. recitantibus,

Indulgentiam plenariam clericis in sacris constitutis, qui integrum divinum Officium, etsi in partes distributum, coram Ss.mo Sacramento sive publicae adorationi exposito sive in tabernaculo adservato, recitaverint, Decreto d. d. 23 Octobris a. c. benigne concessam, Ss.mus D. N. Pius div. Prov. Pp. XI, in Audientia ab infrascripto Card. Poenitentiario Maiore die 21 proxime praeteriti mensis Novembris habita, ad moniales aliasque omnes pias mulieres in communitate viventes, quae ex proprii Instituti constitutionibus ad quotidianam divini Officii recitationem tenentur, in eadem forma iisdemque sub conditionibus, lubentissime ad preces eiusdem Cardinalis Poeni-

haec libentissime ad Moniales et pias mulieres in communitate viventes extenditur.

tentiarii Maioris extendere dignatus est. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione et contrariis quibuscumque non obstantibus.

Dies (5 dec. 1930). Datum Romae, ex aedibus S. Poenitentiariae, die 5 Decembris 1930.

L. Card. LAURI, *Poenitentiarius Maior.*

L. ✠ S.

I. TEODORI, *Secretarius.*

ANNOTATIO

Observes gratiam iis solis mulieribus in communitate viventibus communicari qui, saltem ex Instituti constitutionibus, divinum Officium cotidie recitare debent. Nomine autem divini Officii intelligendum est Officium quale a ministris in sacris recitatur, ita ut recitatio parvi Officii B. M. V. non magis quam obligatio non cotidiana Horarum canonicarum condicioni satisfaciat.

---

26. — S. Poenitent. Apostolica (*Off. de indulg.*)

Decretum 31 ian. 1931 ex mandato Pontificis

MARIALIS ROSARII RECITATIO APUD BYZANTINOS SLAVICOS

(A. A. S., 5 mart. 1931, XXIII, 88)

DECRETUM

Declarationem pro ritu Rutheno ad Byzantinum Slavicum extendens, S. Paenit. Ex mandato S. Pontif. statuit ut fideles omnes indulgentias Rosario Mariali annexas lucrari possint, si illud

Quod iam per decretum diei 29 Aprilis proxime praeteriti anni concessum fuit fidelibus ritus rutheni, ut nempe lucrari ipsi possent indulgentias recitationi Rosarii Marialis adnexas, quamvis salutatio angelica in eorum ritu differat ab illa ritus latini ac diversa ratione enunciari soleant respectiva mysteria, Sacra Poenitentiaria Apostolica, de mandato atque auctoritate SS.mi D. N. Pii Pp. XI, ad fideles etiam ritus byzantini slavici benigne extendit, ita ut eorum omnes et singuli, qui modo eorum proprio Beatae Mariae Virginis Rosarium recitent, omnes

indulgentias eidem adnexas lucrari valeant. Contrariis quibuscumque non obstantibus. *modo proprio recitent.*

Datum Romae, e Sacra Poenitentiaria Apostolica, die 31 Ianuarii 1931.

S. Luzio, *S. P. Regens.*

L. ✠ S.

S. De Angelis, *Substitutus.*

ANNOTATIO

I. Decretum seu potius responsum 29 ap. 1930, habetur in *Per.* XIX, 296.

II. Concessio ista, quae per se Rosarium Mariale, in quo pia mysteriorum commentatio, recitatis Pater et Ave coniungitur, afficit, valetne quoque de variis aliis coronis B. M. V.? Quia indulgentiae benignam interpretationem admittunt, in affirmantem responsionem inclinamus, opportuna tamen nobis videtur authentica declaratio.

---

27. — Pont. Commissio Interpretando Codici

Responsa 6 dec. 1930 et 29 ian. 1931

(A. A. S., 15 ian. 1931, XXIII 25; et 5 mart. 1931, XXIII, 110)

I. Responsa 6 dec. 1930.

RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA

E.mi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

I. — DE CONCESSIONE INDULGENTIARUM

D. An verba: *in suae iurisdictionis locis,* de quibus in canone 349 § 2 n. 2, ita intelligenda sint ut Episcopi indulgentias concedere prohibeantur religiosis exemptis vel in eorum ecclesiis. *De verbis « in suae iurisd. locis ».*

R. *Negative.*

II. — DE LEGITIMATIONE PROLIS

De legitimatione per subsequens matrimonium.

D. An vi canonis 1116 per subsequens parentum matrimonium legitima efficiatur proles, ab eisdem genita detentis impedimento aetatis vel disparitatis cultus, quod cessaverit tempore initi matrimonii.

R. *Negative.*

Dies (6 dec. 1930).

Datum ex Civitate Vaticana, die 6 mensis Decembris anno 1930.

P. Card. GASPARRI, *Praeses.*

L. ✠ S. I. BRUNO, *Secretarius.*

ANNOTATIONES

Ad responsa 6 dec. 1930

I. *Responsio ad prius dubium,* nostra humili sententia, ambigi non poterat. Etenim.

1. Potestas concedendi indulgentias est maxime favorabilis et late interpretanda:

2. Nisi Antistites indulgentias in ecclesiis Regularium exemptorum concedere possent, Regulares eorumque ecclesiae occasione beneficii privarentur, ita ut peccaretur contra reg. 61 Iuris in 6⁰: « Quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum ».

3. Nec regulares neque eorum ecclesiae sunt extra dioecesim, sed versantur in territorio quod Episcopo loci est obnoxium.

4. Neque exemptio personarum vel locorum est *completa.* Debent, v. g. Regulares tamquam suum Antistitem Episcopum loci in canone Missae nominare; recitare orationes ab ipso imperatas; ad Episcopum loci litteras dimissorias ad ordines dare; admittere Episcopum ad sollemniter celebrandum in eorum ecclesiis, etc.

5. In ecclesia Regularium parochus loci matrimoniis valide assistit (S. C. *de Sacramentis,* 12-13 mart.

1910); Ordinarius loci dat iurisdictionem pro confessionibus saecularium vel etiam regularium.

6. Novo autem iure iurisdictio ad indulgentias concedendas expresse cum iurisdictione paenitentiali conectitur.

Quare, si praeterea quaeratur quomodo in can. 349 verba « in locis suae iurisdictionis » intellegenda sint, respondemus verba ista intelligenda esse de locis ubi Ordinarius loci aliquam suae iurisdictionis partem, praecipue suae iurisdictionis sacramentalis retineat. Id est in omni loco qui est in dioecesi; atque etiam in alio loco ubi delegata ab Episcopo iurisdictio sacramentalis exerceri potest: v. g. in navi maritimum iter faciente, indulgentias concedere poterit Episcopus portus unde navis solvit vel etiam portus intermedii.

II. *Responsio ad alterum dubium* litterali canonis 1116 commendatur. Etenim ut filii per subsequens parentum matrimonium legitimentur, canon iste universali ratione ut condicionem valoris exigit ut parentes tempore sive conceptionis, sive praegnationis sive nativitatis habiles exstiterint ad matrimonium inter se contrahendum.

Nullus autem scriptor, post Codicem alterutrum casum excipit; neque ante Codicem auctores, v. g. Reiffenstuel, Schmalzgrueber, in L. IV, tit. 17, casum excipiunt matrimonii contracti cum impedimento disparitatis cultus, quod postea per baptismum alterius partis cessaverit. Quare, nisi impedimentum saltem ante nativitatem prolis sublatum fuerit, nec proles nata ex parentibus quorum alter aetatem matrimonio requisitam non habebat neque nata ex parentibus quorum alter catholicus alter infidelis erat, aliter fit legitima quam per rescriptum S. Sedis. Etenim, cum nulla in casu dispensatio ab impedimento detur, locus non est can. 1051, qui prolem legitimat quando ex

potestate generali dispensatur ab impedimento matrimonii.

Hactenus quae, ut privati, respondere debebamus. Sperabamus tamen benigniorem interpretationem, ex parte *Pont. Commissionis*, propter rationes quas in *Periodica* XIX, p. 26-28, indicavimus.

Sub iure superiore, cum principium vigeret, aetatem malitia suppleri, nihil legitimationi istius prolis obstabat. Ac per extensionem sanctionis quae prius solam adulterinam prolem beneficio legitimationis privabat, ad formulam generaliorem perventum est. Habetur igitur vere aggravatio legis, quam benignior interpretatio evitare potuisset.

Addas legitimationem per subsequens matrimonium tum causa liberorum qui sic alienae culpae poenam evadunt, tum matrimonii ad quod, studio procurandi liberis statum legitimum parentes alliciuntur, commendari.

Verum Em. Patres, prae sua sapientia, omnibus perpensis existimarunt satius esse ut propter huiusmodi rationes, perspicuae Codicis dispositioni non derogaretur.

A. VERMEERSCH S. I.

II. Responsa 29 ian. 1931.

I. — DE ECCLESIAE CONSECRATIONE.

Consecratio ecclesiae in alieno territorio.

D. An vi canonis 323 Abbas *nullius*, charactere episcopali carens, ecclesiam in alieno territorio valide consecrare possit ex eiusdem Ordinarii licentia.

R. *Negative.*

II. — DE SUBSTITUTIONE CHORALI.

Quinam in choro supplere possint.

D. An sub nomine *Canonici* vel *Beneficiarii*, de quibus in canone 419 § 1, veniant eorumdem coadiutores.

R. *Negative.*

III. — DE CONSULTORIBUS DIOECESANIS.

Quinam sacerdotes possit esse consultores dioecesani.

D. An sub nomine *Sacerdotes*, de quibus in canone 423, veniant etiam Religiosi vel Religiosi saecularizati.

R. *Negative.*

Dies (29 ian. 1931).

Datum Romae, ex Civitate Vaticana, die 29 mensis Ianuarii 1931.

P. Card. GASPARRI, *Praeses.*

L. ✠ S. I. BRUNO, *Secretarius.*

ANNOTATIONES

Ad responsa 29 ian. 1931

Ad I. Hoc responsum a Pontificia Commissione Codicis datum authentice confirmat quae ipsi exposuimus de consecratione ecclesiae facta ab Abbate *nullius*, charactere episcopali carente, in alieno territorio de eiusdem loci Ordinarii licentia. Quare huc spectant quae iam dicta fuerunt (**Periodica,** dec. 1930, pag. 139 ss.).

Ad II. Ratio responsi **negativi** perspicua certaque est secundum iuris canonici praescripta. Sane coadiutor is dicitur, qui ex apostolica venia supplet, quoad chorale servitium, canonicum beneficiatum legitime impeditum infirmitate, senio aliave iusta causa (can. 1433).

Quare coadiutor, vivente coadiuto, non verus canonicus aut beneficiatus est, sed fictus (1). Hinc est, quod coadiutor vocem in Capitulo non habet; ad officia canonicorum, v. g. ad munus secretarii etc., admitti nequit sine apostolico indulto. Id pluries declaratum fuit a S. Congregatione Concilii, v. g. in *Narnien.* 20 mart. 1649, in Forolivien. 16 sept. 1826, etc.

De substitutione chorali can. 419, § 1 haec statuit: « In ecclesiis in quibus non omnes simul choro intersunt, qui ad eum adstringuntur, nequeunt per alium huic obligationi satisfacere, nisi in casibus particula-

(1) Cfr. DE HERDT, *Praxis capitularis,* cap. 11, § 5; PIGNATELLI, t. IV, *Consult.* 185, n. 7.

ribus, iusta ac rationabili de causa, et modo substitutus eodem tempore servitio chori non sit adstrictus, et *sit in eadem ecclesia canonicus,* si agatur de supplenda vice canonici, *beneficiatus,* si de beneficiariis... ».

Igitur *canonicus* tantum vel *beneficiatus* potest alium canonicum vel beneficiatum substituere quoad chorale servitium. Porro coadiutor non est *verus* canonicus aut beneficiatus. Ergo substituere nequit, seu « *non valet substitutio facta a coadiutore pro altero canonico titulari, diverso a coadiuto,* vel de titulari pro altero coadiutore » (1).

Itaque iure declaratum fuit nomine *canonici* vel *beneficiarii,* de quibus in can. 419, § 1, non venire eorumdem coadiutores.

Ad III. Can. 423 haec statuit: « In quibus dioecesibus nondum constitui potuit restituive cathedrale canonicorum Capitulum, instituantur ab Episcopo, salvis peculiaribus Apostolicae Sedis praescriptis *consultores dioecesani,* hoc est *sacerdotes* pietate, moribus, doctrina ac prudentia commendati ».

Isti *consultores diocesani* possuntne esse *religiosi* adhuc votis obstricti, vel saltem *religiosi saecularizati?* Negativa responsio manifesta apparet. Nam:

1. Consultores dioecesani vices Capituli cathedralis gerunt in iis quae ad regimen dioecesis spectant, ad normam can. 427 qui statuit: « Coetus consultorum dioecesanorum *vices Capituli cathedralis, qua Episcopi senatus, supplet;* quare quae canones *ad gubernationem dioecesis,* sive sede plena sive ea impedita aut vacante, Capitulo cathedrali tribuunt, ea de coetu quoque consultorum dioecesanorum intelligenda sunt ».

Porro, secundum sacrorum canonum praescripta, religiosi membra Capituli cathedralis fieri nequeunt. Ergo ne ad munus quidem consultorum dioecesanorum,

(1) Cappello, *Summa iuris canonici,* I, n. 456.

quippe qui locum Capituli cathedralis tenent, assumi valent.

2. Religiosi, generatim loquendo, ea tantum munia suscipere possunt extra propriam religionem, quae ipsis expresse permittuntur a sacris canonibus, praesertim si agitur de muneribus quae iurisdictionem aut praeeminentiam quandam secumferant. V. g. religiosus potest esse Vicarius generalis, sed eo dumtaxat in casu, quo dioecesis propriae religioni commissa sit *(can. 367, § 2*; item religiosus eligi potest in examinatorem vel parochum consultorem, ad normam can. 385, § 1, dummodo ipse parochus sit (1).

3. Ex praescripto can. 425, § 1 consultores dioecesani commorari tenentur « in civitate episcopali vel in locis vicinioribus ». Religiosi subsunt omnimodae Superiorum voluntati, ita ut ab iisdem nullatenus pendeat commorari in civitate episcopali locisve vicinioribus aut alibi. Obligatio gravissima obedientiae, qua tenentur, ipsaque disciplinae religiosae ratio illud manifesto excludit.

4. Religiosi saecularizati arcentur a beneficiis in ecclesia cathedrali, sine apostolico indulto *(can. 642, § 1, 1⁰)*. Iam vero consultores dioecesani vices canonicorum seu Capituli cathedralis tenent, ut supra dictum est; unde, ex analogia iuris, iidem exclusi dicendi sunt etiam a munere praefato consultorum dioecesanorum.

Praeterea religiosi saecularizati prohibentur quodcumque munus aut officium in Curia episcopali exercere *(can. 642, § 1, 3⁰)*. Atqui consultores dioecesani vices Capituli cathedralis gerunt, *qua senatus Episcopi,* in casibus a iure praefinitis in iis quae referuntur ad gubernationem dioecesis. Ergo si excluduntur ab officio aut munere in Curia episcopali gerendo, eo ipso

(1) S. C. *Consist.* 3 oct. 1910; *Acta Apost. Sedis,* II, 854.

exclusi quoque dicendi sunt a munere consultorum dioecesanorum.

Quibus probe consideratis, quisque facile perspicit merito responsum fuisse a Pontificia Codicis Commissione, nomine *sacerdotum*, de quibus in can. 423, nec *religiosos* venire neque *ex-religiosos* seu *religiosos saecularizatos*.

FELIX M. CAPPELLO S. I.

ACTA SUMMATIM RELATA

28. — SS. D. N. Pius Pp. XI

B. Robertus Bellarminus sanctorum fastis accensetur.

A. Bulla *Lux illa*, 29 iun. 1930, B. ROBERTUS BELLARMINUS, una cum Beatis Martyribus Canadensibus S. I. ac Beato Theophilo a Curte, F. M. Sanctorum catalogo ascribitur, atque ab Ecclesia Universali eius memoria statuitur die decima nona Maii pia devotione recoli debere (A. A. S., 31 dec. 1930 XXII, 593).

B. Virgo Immaculata sub titulo « Apparecida » pronuntiatur principalis Brasiliae patrona.

B. Brevi *Ab Archiepiscopo*, 16 iul. 1930, Beata Virgo sine labe concepta, vulgo *Nossa Senhora de Conceiças Apparecida*, principalis patrona Brasiliae constituitur. Exstat in Brasilia amplum artisque operibus affabre factis ornatum templum in quo antiqua prodigiisque clara B. M. sub titulo *de Apparecida* effigies servatur. Recurrit hoc anno 1930 vigesimus quintus annus a sollemni illius imaginis coronatione ex decreto capituli Basilicae Vaticanae. Concessio nunc facta est Motu Proprio ex certa scientia et matura deliberatione ac de apostolicae potestatis plenitudine (A. A. S., XXIII, 7).

S. Ioannes de Deo et S. Camillus de Lellis patroni infirmariorum saecularium eorumque piarum associationum.

C. Brevi *Expedit plane*, 28 aug. 1930, S. Ioannes de Deo et S. Camillus de Lellis caelestes Patroni declarantur in perpetuum omnium associationum catholicarum ab infirmariis nuncupatarum et omnium infirmariorum utriusque sexus ubique terrarum nunc et in posterum exsistentium. Memoratur Breve *Dives in misericordia*, 23 iun. 1886 quo LEO XIII eosdem patronos pronuntiaverat hospitalium et infirmorum. Breve datum est Motu Proprio, ex certa scientia etc. (A. A. S., XXIII, 8).

Celebratio XV Saeculi a Concilio Ephesino.

D. Litteris Apostolicis 25 dec. 1930, tum ad Em. Card. Urbis Vicarium tum ad Card. Secr. S. C. pro Ecclesia Orientali, S. Pontifex sollemnem Conv. Ephesini Commemorationem, recurrente XV saec. ab eius celebratione commendat (A. A. S., XXIII, 10-12).

E. Epistola 15 dec. 1930, S. Pontifex gratulatur E.mo Card. Pompiilj, episcopo Veliterno, Urbis Vicario et Sacrosanctae Basilicae Lateranensis archipresbytero, quinquagesimo appetente natali sacerdotii eius, eius dotes, splendida munia et promerita

commemorans, eique facultatem tribuens benedicendi, in iubilari sollemnitate quam in Lateranensi Basilica Cardinalis peracturus erat, populo nomine et auctoritate Pontificis, cum plena, suetis condicionibus, admissorum venia (A. A. S., XXIII, 50).

Nova dioecesium et provinciarum eccles. in Borussia circumscriptio.

F. Bulla *Pastoralis officii*, 13 aug. 1930, nova circumscriptio fit de provinciis ecclesiasticis, et dioecesibus in Statu Borussico (A. A. S., XIII, 34).

G. *Litterae de Dioecesibus, Vicariatibus, Praefecturis Apostolicis et Missionibus.*

Praefectura apostolica de Umptata.

1. Brevi *Quo maiori rerum* 30 mart. 1930, distrahitur territorius e vicariatu apostolico de Mariannhill et ob nimiam eiusdem vastitatem erigitur praefectura apostolica de Umptata. (A. A. S., XXIII, 41).

Vicariatus de Caquetà.

2. Brevi *Decessores nostros* 31 mai 1930. erigitur in vicariatum apostolicum praefectura apostolica de Caquetà. (A. A. S., XIII, 42).

Vicariatus districtus occident. et praefectura districtus centralis Promontorii Bonae Spei.

3. Brevi *Ex hac Divi* 28 iun. 1930, fines reguntur, ob sacerdotum penuriam, inter vicariatum apostolicum Districtus occidentalis Promontorii Bonae Spei et praefecturam apostolicam Districtus centralis. (A. A, S., XXIII, 43).

Praefectura de Matadi.

4. Brevi *Nos, quibus* 23 iul. 1930, in vicariatum apostolicum erigitur praefectura apostolica de Matadi. (A. A. S., XXIII, 46).

Vicariatus de Hengchow in Sinis.

5. Brevi *Ex hac Divi* 23 iul. 1930, distrahitur territorius ex vicariatu apostolico de Changsha et erigitur vicariatus apostolicus de Hengchow in Sinis. (A. A. S., XXIII, 47).

H. *Litterae de ecclesiis.* In Basilicam minorem erigitur:

Templum Tersactense in onore B. M. V. Matris Gratiarum.

1. Brevi *Dioecesis Seguiensis* 7 iul. 1930, templum Tersactense B. M. V. Matris Gratiarum, cuius historia cum Sanctuarii B. M. V. Lauretani historia stricte coniuncta est, dioecesis Seguiensis (A. A. S., XXIII, 44).

29. — S. Cong. pro Ecclesia Orientali

Sac. Ioannes Boross.

A. Monemur sacerdotem IOANNES (Ghezas) BOROSS, graeci-rutheni ritus, irregulariter a mense aprili 1929 extra suam dioecesim versari, neque habuisse vel habere licentiam proficiscendi in Americam (A. A. S., XXIII, 16).

Ex religiosus Dom. Cheruseri.

Notum nobis fit DOMINICUM CHERUSERI, e regione Indorum a Cong. Syromalabarensi FF. Carmelitarum Tertii Ordinis dimissum nullam habere facultatem sive Missarum stipendia colligendi, sive pecuniam quaeritandi. Duplici directione pro suo domicilio utitur (A. A. S., XXIII, 52).

30. — Sacra Congregatio de Propaganda Fide.

I.

Nominationes

A. *Brevi Apostolico nominatus est:*

20 nov. 1930, R. P. Franciscus Xaverius Bini, Ep. tit. Vallitanus, Vicarius Apostolicus de Kartum in Africa Centrali. — *Kartum (Africa centralis).*

B. *Decretis S. Cong. de Prop. Fide:*

28 oct. 1930, R. P. Paulus Bouque, Praefectus Apostolicus de Foumban. — *Foumban.*

28 oct. 1930, R. P. Emmanuel Hainisch, Praefectus Apostolicus de Umtata. — *Umtata.*

12 nov. 1930, R. P. Leo Louillet, Praefectus Apostolicus de Katanga septentrionali. — *Katanga sept.*

II.

Approbationes Statuti et Constitutionum.

1. Decreto 25 mart. 1930 Statutum pro missionibus societatis Verbi Divini, definitive approbatur. — *Societas Verbi Divini.*

2. Decreto 7 mai 1930 Constitutiones Societatis de Maryknoll pro missionibus ad exteras gentes, definitive approbantur. — *Societas de Maryknoll.*

3. Decreto 15 mai 1930 Constitutiones Sororum Missionalium a B. M. V. Consolata, archidioecesis Taurinensis, definitive approbantur. — *Sorores Missionalium a B. M. V. Consolata.*

31. — S. Congr. Rituum.

Causae canonizationis et beatificationis:

1. *Hispalen.* Decretum 10 dec. 1930, reassumptionis causae canonizationis B. Ioannis Grande, Conf. religiosi professi Ord. Hospit. S. Ioannis de Deo. (A. A. S., XXIII, 18). — B. Ioannes Grande.

2. *Florentina.* Decretum 10 dec. 1930, reassumptionis causae canonizationis B. Teresiae Margaritae Redi, a S. Corde Jesu, monialis professae Ordinis Carmelitarum excalceatorum. (A. A. S., XXIII, 19). — B. Theresia Margarita Redi.

B. Conradus a Parzham.

3. *Passavien.* Decretum 10 dec. 1930, reassumptionis causae canonizationis B. Conradi a Parzham, conf. laici professi Ord. Min. Capucinorum. (A. A. S., XXIII, 20).

Ioannes Baptista a S. Michaele Archang.

4. *Viterbien.* Decretum 10 dec. 1930, super introductionis causae, beatificationis et canonizationis Servi Dei Joannis Baptistae a S. Michaele Archangelo, sacerdotis professi e congr. clericorum excalceatorum SS. Crucis et Passionis D. N. I. C. (A. A. S., XXIII, 53).

32. — S. Romana Rota

Tabulae Synopticae Causarum S. R. Rotae
Anno 1930

I. *Causae iudicatae*

	Impedimentum	Allegatum	Admissum	Negatum
Separationis:		1	0	1
Nullitatis	Clandestinitas	3	0	3
	Conditiones appositae	5	1	4
	Consensus deficiens	3	1	2
	Consensus ignorantia matrimonii vitiatus	1	1	0
	Dementia	1	0	1
	Impotentia	4	1	3
	Indissolubilitas	1	0	1
	Intentio contra bonum prolis	7	1	6
	Intentio contra bonum Sacramentis	1	0	1
	Intentio contra bonum fidei	1	0	1
	Ligamen	1	0	1
	Publica honestas	1	0	1
	Vis et metus	25	9	16
Dispensatio super rato		3	1	2
		58	15	43

ALIAE CAUSAE

1. *Iurium.* De interpretatione decreti: utrum novam Collegiatam constituerit, an antiquam nondum exstinctam restituerit, et de variis consectariis.

2. *Proprietatis.* De re iudicata et valore alienationis et de restitutionis debita.
3. *Proprietatis.* Ad quem spectet et in quem finem proprietas controversae domus et mobilium.
4. *Iurium.* De restitutione propter praesumptam venditionem fundi donati.
5. *Poenarum:* incidentis et restitutionis in integrum. Restitutio in integrum negatur.
6. *Iurium.* De restitutione perceptorum emolumentorum, etc.
7. *Proprietatis.* De vi appellationis vel de restitutione in integrum, de proprietate aedium, etc.

II.

Causae quae eodem anno 1930 transactae fuerunt vel peremptae, vel quae absque definitiva sententia, ex peculiaribus circumstantiis, finem habuerunt:

	Impedimentum	Allegatum
Separationis:		1
Nullitatis	Consensus deficiens	4
	Dementia	1
	Conditiones appositae	3
	Clandestinitas	4
	Ligamen	1
	Intentio contra bonum prolis	3
	Intentio contra bonum Sacramenti	1
	Consensus simulatus	2
	Impotentia viri	1
	Vis et metus	1
		22

ALIAE CAUSAE

Competentiae, Spolii, Refectionis damnorum, Calumniae, Iurium, Diffamationis finem habuere sine definitiva sententia.

33. — Secretaria Status

Delegati Ap. Constantinopolitani ambitus muneris.

Ad passim quaedam suborta dubia, Secretaria Status notificat « Delegati Apostolici Constantinopolitani munus rite expleri et exerceri in ecclesiis cuiuscumque ritus in tota dicione Tua-

cica ». Addit hoc in Litteris Apostolicis quibus munus commissum est esse explicite edictum (A. A. S., XXIII, 62).

34. — Provisio Ecclesiarum

Decretis S. Congregationis Consistorialis nominati sunt:

19 nov. 1930, R. P. Franciscus Xaverius Bini, cathedrali ecclesiae Vallitanae.

Nuoro (Italia). 20 nov. 1930, R. P. Ioseph Cogoni, cathedrali ecclesiae Nuorensi.

Sinnada. 22 nov. 1930, R. P. D. Ioseph Belisarius Santistevan ex ep. Sancte Cruce de Sierra, archiepiscopali ecclesiae Synuadensi.

Silencia 25 nov. 1930, R. P. D. Julianus Conan, ex archiep. Portu Principi archiepiscopali Ecclesiae Selenciensi in Isauria.

Silio. 25 nov. 1930, R. P. D. Antonius Julianus Nowowiejski ex ep. Plocensi archiepiscopali Ecclesiae Silyensi.

Citarizo. 4 dec. 1930, R. P. D. Augustinus Roy, ex ep. Coimbaturensi, episcopalis Ecclesiae Citharirenae.

Riobamba. 5 dec. 1930, R. P. D. Albertus Ordonez ex ep. Harrensi, cathedrali Ecclesiae Bolivarensi.

Torino (Italia). 11 dec. 1930, R. P. D. Maurilius Fossati ex Arch. Turritano, Metropolitanae Ecclesiae Taurinensi.

Sinao. 19 dec. 1930, R. D. Ioannis Ghislain Van Couwenbergh episcopali Ecclesiae Synaïtanae.

Reims. 23 dec. 1930, R. P. D. Caelestinus Suhard ex ep. Baiocensi et Lexoviensi, Metropolitanae Ecclesiae Rhemensi.

Nancy. 23 dec. 1930, R. P. D. Ioseph Hurault ex ep. Vicariensi Cathedrali Ecclesiae Nanceyensi.

Arras. 23 dec. 1930, R. D. Henricus Dutoit Cathedrali Ecclesiae Atrebatensi.

Dara. 1 Ian. 1931. R. P. D. Aloisius Fantozzi ex ep. Verulano archiepiscopali Ecclesiae Darensi.

Bosana. 2 ian. 1931, R. P. D. Ioannis Tihen ex ep. Denveriensi, episcopali Ecclesiae Bosanensi.

Cartenne. 3 ian 1931, R. P. Bertholdus Bühl O. F. M. episcopali Ecclesiae Cartenensi.

Misnia. 13 ian. 1931, R. P. D. Conradus Gröber, cathedralis Ecclesiae Misnensi.

Croia. 16 ian. 1931, R. D. Chrysanthus Luque, episcopali Ecclesiae Croënsi.

Taso. 23 ian. 1931, R. D. Franciscus Wal, episcopali Ecclesiae Thesiensi.

Ruspe. 30 ian. 1931, R. P. Aldeus Desmarais, episcopali Ecclesiae Ruspensi.

35. — Necrologium.

4 iul. 1930, D. Franciscus Uranga y Saenz, episcopus Cuernavacensis. — Cuernavaca (*Messico*).

aug. 1930, Ill. D. Sebastianus Messmer, archiepiscopus Milwaukiensis. — Milwaukee (*Stat. foed. Amer.*).

28 nov. 1930, Ill. D. Augustinus Dowling, archiepiscopus S. Pauli de Minnesota. — S Paul (Minnesota) (*Stat. faed Amer.*).

21 ian. 1931, D. Iosephus Gross, episcopus Litomericensis. — Leitmeritz (*Cecoslovachia*).

24 ian. 1931, D. Athanasius Khoriaty, episcopus Sidoniensis Melchitarum. — Saida (*Syria*).

26 ian. 1931, Ill. D. Eduardus Mac Carthy, archiepiscopus Halifaxiensis. — Halifax (*Canadà*).

8 febr. 1931, D. Giorgius Ambrosius Burton, episcopus Cliftoniensis. — Clifton (*Anglia*).

22 febr. 1931, D. Michael Franciscus Fallon, episcopus Londonensis. — London (*Canadà*).

24 febr. 1931, D. Ioannes Iosephus Solis y Fernandez, episcopus Mindoniensis. — Mondonedo (*Hispania*).

BIBLIOGRAPHIA

I. *Ex libris.*

P. J. B. Raus, (C. SS. R.). *Institutiones Canonicae.* Vol. (16 × 24), XLIII - 808 pagg. Lugduni, Vitte. 1931.

Introductio ad ius ecclesiasticum - I° De normis generalibus et fontibus iuris canonici - De natura sociali Ecclesiae eiusque relatione ad alias societates - De fontibus exsistendi iuris canonici - Fontes cognoscendi iuris canonici - II° De personis Ecclesiae et de statu earum iuridico - De clericis in genere - De clericis in specie - De religiosis - De laicis - III° De rebus - IV° De processibus - V° De delictis et poenis - Appendices.

Matthaeus Conte a Coronata (O. M. C.). *Institutiones Iuris Canonici ad usum utriusque Cleri et Scholarum.* Volumen II (12,5 × 15), 520 pag. Taurini, Marietti, 1931, Venit 25 Lit.

Secundum ipsius Codicis partes, titulos et capita doctus auctor librum tertium Codicis, *De rebus*, exponit, praeter partem De sacramentis, quae ad theologiam moralem et pastoralem remittitur. In praenotionibus de simonia, casus in quibus simonia non committitur a casibus ubi reatus contrahitur duplici elencho distinguuntur. Fuse agit de locis sacris et de iis quae in iis fieri possunt vel vetantur. Quid agendum sit ubi dubius sit privationis casus dicere non omittit. Plura etiam notanda forent de bonis ecclesiae temporalibus, v. g. de interpretatione facultatum reducendi onera fundationum piarum.

*** *Le problème social aux colonies.* Semaines sociales de France, XXII session. Marseille, 1930. Compte rendu *in extenso* des Cours et Conférences. vol. (14,4 × 23). Paris, Gabalda; Lyon, Vitte et chronique sociale de France. Prix, 30 fr.

Cours de MM. Eugène Puthoit, René Pinon, R. P. Delos O. P.; abbé Bruno de Solages; R. P. Albert Valensin; MM. Georges Goyau, Barthélémy Raynaud; R. P. Yves de la Brière; M. Henri Brenier; R. P. Marchal; M. René Maunier; R. P. Arnou S. I.; M. Joseph Danel; Mgr Mulla; RR. PP. Aupiais; Cadière; Charles S. I.: MM. Louis Massignon, Georges Hardy.

Conférences de Mgr. Saliège, archev. de Toulouse; de Mgr. Pic; de M. l'abbé Thellier de Poncheville, de S. G. Mgr Dubourg; de MM. Jules Zirnkeld et Maurice Guérin.

Annexes. Notamment Table méthodique des matières contenues dans les comptes rendus depuis les origines.

Helmut Fahsel. *Ehe - Liebe und Sexualproblem.* Vol. (15 × 23), IX-141 pag. Freiburg im Breisgau, Herder et Co. 1931.

I° Liebe - II° Ehe - III° Sexualproblem.

Aug. Loslever. *L'amour libre.* Vol. (13 × 19), 305 pag. Liège 1930. La Pensée catholique.

I° Les termes du problème - II° Les arguments de l'amour libre - III° Deux principes indiscutables - IV° L'amour libre viole ces principes. Le mariage seul les respecte. - V° Corollaire. Droit de la société - VI° Réponses à quelques objections - VII° Le mariage et l'amour selon Léon Blum - VIII° L'amour dans la société chrétienne. Appendice. Notes et éclaircissements.

Or. Karl Rieder. *Brautunterricht.* Vol. (13.5 × 20,5), 48 pag. Freiburg im Breisgau 1929. Herder et Co.

I° Von dem Ehestande und Seiner Würde — II° Von der Vorbereitung auf den Ehestand — III° Um Traualtar — IV° Hüter des Heiligtums — V° Die christliche Familie. —

Karl Adam. *Die sakramentale Weihe der Ehe.* Vol. (11 × 18.5) 23 pag. Freiburg im Breisgau 1930. Herder et Co.

Dr. Javier Fernandez Alvarez. *Algunos testimonios historicos sobre la Misa « Pro Populo ».* Vol. (16 × 24) 25 pag. Camogiiey, 1931.

Edmond Henusse. *Le code du Roulage.* Vol. (12 × 19, 5), 269 pag. Louvain, Éditions de la Soc. d'Études morales, sociales, et juridiques. 1930.

1.ère Partie. Le lois fondamentales de la police du roulage - Du droit d'édicter des règlements de roulage. - Des peines - Du délit de fuite - De la constatation des infractions - De la responsabilité civile de l'amende. - De la prescription - Abrogation des lois antérieures.

2.e Partie. Le règlement général sur la police du roulage et de la circulation. - Dispositions préliminaires - Circulation et stationnement - Marques d'identité et signalisation - Des véhicules - Des chargements - Prescriptions diverses - Mesures d'exécution. -

3.e Partie. Législation.

Georges Heyman. *La Généralisation des Allocations familiales en Belgique.* Commentaire de la loi du 4 août 1930, vol.

(12 × 19), 288 p. Louvain. Société d'études morales, sociales et juridiques, 1931. Prix, 20 fr.

Introduction. Le mouvement en faveur des allocations familiales. - Économie générale de la loi du 4 août 1930. *Prem. Partie.* Principes juridiques et techniques. - *Deux. Partie.* Commentaire général. - *Troisième Partie.* Commentaire des articles. - *Quatrième Partie.* L'organisation des Caisses de compensation pour allocations familiales.

Oswald v. Nell-Breuning (S. I.). *Aktienreform und Moral.* Vol. (15 × 23), 32 pag., Berlin, 1930. Carl Heymanns Verlag.

L. Verheylezoon (S. I.). *Handboek van het Apostolaat des Gebeds.* Vol. (11 × 17), 189 pag., Alken 1930. Bode van het H. Hart.

Eerste Deel. Wezen en inrichting van het A. d. G. - Eerste Hoofdstuk. Natuur - Tweede. Doel - Derde. Oefeningen - Vierde. De Geest - Vijfde. De Grondslag. Zesde. Geestelijke - Zevende. Organisatie - Achtste. Praktische.

Tweede Deel. Werkzaamheid van het A. d. G. Eerste Hoofdstuk. Godvruchtige Oefeningen die het A. d. G. aan zjin leden bijzonder aanbeveelt. - Tweede. Bijzondere terreinen voor de werkzaamheid van het A. d. G. - Derde. Verhouding van het A. d. G. tot andere godvruchtige werken - Aanhangsels.

***. *L'Italia che scrive.* Rassegna per coloro che leggono. A. F. Formiggini, Editore. Roma - Mensile - Abb. annuo Italia e Col., L. 17.50 - Estero, L. 22.50.

N. B. — Bibliographia ex Periodicis in proximum fasciculum differtur.

PARS ALTERA

MONUMENTA

36. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Litt. enc. « Quadragesimo anno » 15 maii 1931

DE ORDINE SOCIALI INSTAURANDO ET AD EVANGELICAE LEGIS NORMAM PERFICIENDO IN ANNUM XL POST EDITAS LEONIS XIII LITTERAS ENCYCLICAS « RERUM NOVARUM ».

(A. A. S., 1 iun. 1931, XXIII, 177.)

Ad Venerabiles Fratres Patriarchas, Primates, Archiepiscopos aliosque locorum Ordinarios pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes itemque ad Christifideles catholici orbis universos.

PIVS PP. XI

VENERABILES FRATRES, DILECTI FILII
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

« RERUM NOVARUM » (1)

Memoratis aliis Leonis XIII encyclicis litteris, proprium meritum enc. Rerum novarum *statuendi peropportune normas certas de quaestione sociali.*

Quadragesimo anno expleto, ex quo fel. rec. Leonis XIII egregiae Litterae *Rerum novarum* prodiere, universus orbis catholicus grata recordatione perfunditur, easque digna celebratione commemorandas suscipit.

Et sane, quamquam insigni illi pastoralis sollicitudinis documento viam quodammodo straverant eiusdem Decessoris Nostri Litterae sive de societatis humanae principio, quod est familia et venerandum matrimonii Sacramentum (Litt. Encycl. *Arcanum*, d. 10 Febr. 1880), sive de origine civilis potestatis (Litt. Encycl. *Diuturnum*, d. 29 Iun. 1881) eiusque ordinata cum Ecclesia colligatione (Litt. Encycl. *Immortale* Dei, d. 1 nov. 1885), sive de praecipuis civium christianorum officiis (Litt. Encycl.

(1) Quae ex « *Osservatore Romano* » 24 maii in mediis foliis scripsimus, in *Acta Ap. Sed.* ut notae marginales textui appositae sunt.

Sapientiae christianae, d. 10 Ian. 1890), sive adversus « socialistarum » placita (Litt. Encycl. *Quod apostolici muneris*, d. 28 Dec. 1878) et pravam de humana libertate doctrinam (Litt. Encycl. *Libertas*, d. 20 Iun. 1888) aliaeque id genus, quae Leonis XIII mentem abunde expresserant, Encyclicae tamen Litterae *Rerum novarum* hoc peculiare habuerunt prae ceteris, quod universo humano generi ad arduam de humana consortione causam quam « socialem quaestionem » appellant, rite solvendam tutissimas statuerunt normas cum maxime id opportunum atque adeo necessarium erat.

OCCASIO

Occasio scribendi litt. Rerum Novarum; *divisa societas in duas classes sorte oppositas; insufficiens caritatis appellatio, impatientia opificum partim socialistarum, partim reformationem postulantium,*

Nam saeculo undevicesimo ad exitum properante, novum rei oeconomicae obortum genus novaque industriae incrementa in plerisque nationibus eo devenerant, ut hominum communitas magis magisque in duas classes dispertita appareret: quarum altera quidem numero exigua, vix non omnibus fruebatur commodis a modernis inventis tam copiose allatis; altera vero, ingentem complectens opificum multitudinem, calamitosa egestate pressa, frustra ex angustiis, in quibus versabatur, excedere contendebat.

Rerum condicionem facile profecto ferebant ii, qui, divitiis abundantes, eam necessariis oeconomiae legibus inductam putabant, ideoque totam de miseris sublevandis curam uni caritati demandatam volebant, perinde quasi caritas iustitiae violationem a legumlatoribus non modo toleratam, sed interdum sancitam, tegere debuisset. Contra duriore fortuna conflictati aegerrime id tolerabant durissimoque iugo diutius colla supponere detrectabant opifices, quorum alii, malorum consiliorum aestu abrepti, omnium rerum perturbationem appetebant, alii, quos christiana institutio a pravis huiusmodi conatibus absterreret, in ea tamen sententia perstabant, plurima hac in re prorsus et quam cito esse reformanda.

Commotio catholicorum quaerentium remedium sincere, sed inter varios opiniones incertorum.

Nec aliter sentiebant complures illi catholici viri, sive sacerdotes sive laici, quos miranda sane caritas ad immeritam proletariorum inopiam sublevandam iam diu concitaverat, quique sibi persuadere nullatenus poterant tam ingens tamque iniquum in temporalium bonorum distributione discrimen cum Sapientissimi Creatoris consiliis revera congruere.

Profecto ad lugendam hanc rerum publicarum dcordinationem praesens hi remedium, firmumque contra peiora pericula munimen sincere quaerebant; sed, quae est humanarum mentium vel optimarum imbecillitas, hinc ut perniciosi novatores repulsi,

illinc ab ipsis boni operis sociis aliorum consiliorum fautoribus impediti, inter varias opiniones incerti, quo se verterent ancipites haerebant.

Recursus non semel factus ad Petri cathedram.

In tanta igitur animorum conflictione, cum ultro citroque, nec semper pacifice exerceretur lis, ut saepe alias, omnium oculi ad Petri Cathedram adiiciebantur, ad sacrum hoc totius veritatis depositum, unde verba salutis in universum orbem effunduntur; atque ad pedes Christi in terris Vicarii insueta quadam frequentia confluentes, et rerum socialium periti, et operum conductores, et opifices ipsi, uno ore efflagitabant ut tandem sibi tutum indicaretur iter.

Encicl. Rerum Novarum *praeparatio,*

Diu haec omnia secum coram Deo perpendit prudentissimus Pontifex, peritissimos quosque in consilium accivit, rerum momenta hinc inde attente pensitavit; ac tandem, « Apostolici muneris conscientia » monente (Litt. Encyc. *Rerum novarum*, di 15 Maii 1891, n. 1), ne officium taciturnitate neglexisse videretur (cfr Litt. Encycl. *Rerum novarum*, n. 13), universam Christi Ecclesiam atque adeo humanum genus universum pro divino magisterio sibi credito alloqui statuit.

Promulgatio,

Intonuit ergo die XV Maii anni MDCCCXCI vox illa diu expetita, eaque neque rei difficultate deterrita neque senio debilitata, sed experrecta virtute humanam familiam novas in re sociali docuit aggredi vias.

SUMMA CAPITA

Summarium: descripto malo, repudiato liberalismo et socialismo,

Nostis, Venerabiles Fratres dilectique Filii, et optime calletis mirabilem doctrinam quae Litteras Encyclicas *Rerum novarum* ad temporum memoriam insignes fecit. In his optimus Pastor, tam magnam hominum partem dolens « in misera calamitosaque fortuna indigne versari, opificum causam, quos inhumanitati dominorum effrenataeque competitorum cupiditati solitarios atque indefensos tempus tradiderat » (Litt. Encyclicae *Rerum novarum*, num. 2), magno animo per se ipse tuendam suscepit, nihil auxilii petens neque a liberalismo neque a socialismo, quorum alter ad causam socialem legitime dirimendam prorsus impotentem sese probaverat, alter remedium proponens, quod malum ipsum longe superaret, humanam societatem in peiora pericula coniecisset.

Vindicata sua potestate se rei immiscendi, mutua iura et officia, munus Ecclesiae, princi-

Pontifex vero, iure suo plane usus atque probe tenens religionis custodiam dispensationemque earum rerum quae cum illa arcto vinculo sociantur, sibi potissimum commissas fuisse, cum causa ageretur, « cuius exitus probabilis quidem

pum, eorum quorum interest indicavit.

nullus, nisi advocata religione Ecclesiaque », reperiretur (cfr Litt. Encycl. *Rerum novarum*, n. 13), immutabilibus principiis ex rectae rationis ac divinae revelationis thesauro depromptis tantum innixus, « iura et officia, quibus locupletes et proletarios, eos qui rem et eos qui operam conferant, inter se oportet contineri » (Litt. Encycl. *Rerum novarum*, n. 1), atque etiam quid Ecclesia, quid rei publicae principes, quid ii ipsi quorum interest praestare debeant, confidenter et « sicut potestatem habens » (Matth., VII, 29) indicavit atque proclamavit.

Bene exceptae etiam a viris alienis a vera fide, atque ab omnibus qui deinceps de re sociali solliciti fuere,

Nec frustra intonuit Apostolica vox; quin immo, stupentes eam audivere, maximoque prosecuti sunt favore non modo oboedientes Ecclesiae filii, sed etiam complures a veritate aut ab unitate fidei longe aberrantes, et vix non omnes quotquot de re sociali et oeconomica sive privato studio sive legibus ferendis solliciti deinceps fuere.

Litterae maxime laetificarunt christianos opifices eorumque amicos, ita ut quotannis recolantur;

Sed maxime laetabundi Litteras illas exceperunt christiani opifices, qui se a suprema in terris Auctoritate vindicatos et defensos senserunt, iique omnes generosi viri qui, de opificum levanda condicione iam diu solliciti, nihil fere adhuc invenerant nisi multorum incuriam atque adeo odiosas plurium suspiciones sin minus apertas hostilitates. Iure igitur hi omnes Apostolicas Litteras tantis deinceps honoribus semper honestarunt, ut passim soleant varia pro variis locis grati animi significatione illarum memoriam quotannis recolere.

Non nullis tamen suspecta visa est earum doctrina, vel neglegenda, vel etiam putata speculativa potius quam practica.

In tanto animorum concentu non defuerunt tamen qui nonnihil commoverentur; quo factum est, ut tam nobilis et alta Leonis XIII doctrina mundanis auribus prorsus nova, a quibusdam vel inter catholicos in suspicionem vocaretur, quosdam vero etiam offenderet. Per eam enim liberalismi idola audacter impetita evertebantur, inveterata praeiudicia nihili fiebant, tempora praeter spem praevertebantur, ita ut et tardi corde novam hanc philosophiam socialem ediscere aspernarentur, et animo pavidi fastigium illud ascendere pertimescerent. Fuerunt etiam qui hanc lucem quidem admirarentur, sed fictam quandam perfectionis speciem optandam magis quam exspectandam reputarent.

SCOPUS PRAESENTIUM LITTERARUM

Capta opportunitate sollemnis commemorationis litt. « Rerum nova-

Opportunum ergo ducimus, Venerabiles Fratres et dilecti Filii, dum sollemnis commemoratio quadragesimi anniversarii Litterarum *Rerum novarum* tanto animi fervore ab omnibus ubique, maxime vero ab opificibus catholicis undique in hanc

Almam Urbem confluentibus, celebratur, hac uti occasione ut quae magna ex iis in Ecclesiam catholicam atque adeo in humanam societatem universam redundarunt bona recolamus; tanti Magistri doctrinam de re sociali et oeconomica, a dubitationibus quibusdam vindicatam, enucleatius quoad quaedam capita evolvamus; denique oeconomia hodierna in iudicium vocata et socialismi cognita causa, radicem praesentis socialis turbationis detegamus simulque unam salutiferae instaurationis viam ostendamus, christianam nempe morum reformationem. Haec omnia, quae tractanda suscipimus, tria constituent capita, in quibus exponendis praesentes hae Litterae totae versabuntur.

rum » quaenam tria proponat in nova scribenda encyclica epistola.

I.

I. — Quae ex R. N. profluxerint beneficia

Atque, ut ab eo initium capiamus, quod primo loco dicendum proposuimus, temperare Nobis non possumus quin, monitum secuti S. Ambrosii dicentis: « Nullum referenda gratia maius esse officium » (S. Ambros., *De excessu fratris sui Satyri*, lib. I, 44) amplissimas Deo O. M. referamus grates ob ingentia quae ex Leonianis Litteris Ecclesiae et societati humanae beneficia obvenerunt. Quae quidem beneficia si vel cursim commemorare velimus, vix non solida horum quadraginta annorum historia, ad rem socialem quod attinet, esset in memoriam revocanda. Ea tamen ad tria potissimum capita commode redigi possunt, secundum tria auxiliorum genera, quae Decessor Noster ad magnum suum instaurationis opus perficiendum exoptabat.

I. **Beneficia « Rerum Nov. »** *Gratiis Deo actis, beneficia ista ad tria capita redigit.*

1. — Quid egerit Ecclesia

1. Quid egerit Ecclesia.

Et primum quidem, quid ab Ecclesia exspectandum esset ipse Leo luculenter edixerat: « Videlicet Ecclesia est, quae promit ex Evangelio doctrinas quarum virtute aut plane componi certamen potest, aut certe fieri, detracta asperitate, mollius; eademque est, quae non instruere mentem tantummodo, sed regere vitam et mores singulorum praeceptis suis contendit; quae statum ipsum proletariorum ad meliora promovet pluribus utilissime institutis » (Litt. Encycl. *Rerum novarum*, n. 13).

Quod Leo XIII exspectabat,

IN RE DOCTRINALI

a) *Ipse eiusque successores ac plures antistites* doctrinam « *Rerum Novarum* » *urgere atque adiunctis accommodare studuerunt;*

Iamvero pretiosos hos latices Ecclesia inertes in sinu suo haerere nullatenus est passa, sed ad commune exoptatae pacis bonum copiose inde hausit. Quam enim doctrinam de re sociali et oeconomica Litterae *Rerum novarum* tradiderant, eam ipse Leo XIII eiusque Successores iterum iterumque qua voce qua scriptis proclamare et urgere ac rerum temporumque rationibus convenienter aptare pro re nata non destiterunt, paternam semper prae se ferentes caritatem et pastoralem constantiam, in pauperum maxime ac debilium defensione (Satis sit aliqua tantum eorum indicare: Leo XIII, Litt. Apostol. *Praeclara*, d. 20 Iun. 1894; Litt. Encycl. *Graves de communi*, d. 18 Ian. 1901. — Pius X, Motu proprio *de Actione populari Christiana*, d. 8 Dec. 1903. — Benedictus XV, Litt. Encycl. *Ad Beatissimi*. d. 1 Nov. 1914. — Pius XI, Litt. Encycl. *Ubi arcano*. d. 23 Dec. 1922; Litt. Encycl. *Rite expiatis*, d. 30 Apr. 1926); nec aliter se gesserunt tot Sacrorum Antistites, qui eandem doctrinam assidue ac scite interpretati, commentationibus illustrarunt atque ad diversarum regionum condiciones secundum Sanctae Sedis mentem et institutiones accommodandam curarunt (1).

Accesserunt studia complurium doctorum virorum;

Nil igitur mirum quod, Ecclesia duce et magistra, complures docti viri, sive ecclesiastici sive laici, socialem et oeconomicam disciplinam secundum nostrae aetatis rationes evolvendam sint naviter aggressi, eo studio praecipue ducti, ut immutata prorsus atque immutabilis Ecclesiae doctrina novis necessitatibus efficacius occurreret.

ita ut exorta sit vera disciplina socialis catholica, quam cotidie fovent docti viri in scriptis, in scholis, in socialibus conventibus.

Atque ita, Leonianis illis Litteris viam demonstrantibus et lumen afferentibus, vera quaedam disciplina socialis catholica exorta est, quam cotidie impigra opera fovent ac ditant lecti illi viri, quos Ecclesiae adiutores appellavimus. Qui quidem non in eruditis umbraculis delitescere sinunt, sed in solem atque pulverem eam producunt, quemadmodum scholae apprime utiles atque celebratae, in Catholicis Universitatibus, Academiis, Seminariis institutae; sociales conventus, seu « hebdomadae », saepius habiti laetisque cumulati fructibus, studiorum excitata coenacula; opportuna denique et sana scripta

(1) Cfr *La Hiérarchie Catholique et le Problème Social depuis l'Encyclique « Rerum novarum »* 1891-1931, pp. XV-335: edidit « Union internationale d'Études Sociales fondée à Malines, en 1920, sous la présidence du Card. Mercier ». — Paris, éditions « Spes », 1931.

quaquaversus et quacumque ratione vulgata, luculenter ostendunt.

Neque his tantum limitibus utilitas circumscribitur, quae ex Leoniano documento promanavit; siquidem doctrina Litteris *Rerum novarum* tradita sensim sine sensu in eos quoque irrepsit qui, catholicae unitatis exsortes, Ecclesiae potestatem non agnoscunt; quo factum, ut catholica de re sociali principia paulatim in totius humanae societatis patrimonium transierint, aeternasque veritates quas cl. mem. Decessor Noster tam alte proclamarat, non modo in acatholicis quoque ephemeridibus et libris, verum etiam in legumlatorum curiis aut tribunalium rostris crebro adductas atque vindicatas gratulemur.

Etiam ad eos qui Ecclesiae potestatem non agnoscunt atque ad curias legumlatorum et magistratuum tradita doctrina pervenit, ita ut catholica de re sociali principia in humanae societatis patrimonium transierint.

Quid vero, quod post immane bellum potiorum nationum rectores pacem, renovatis ex integro socialibus condicionibus, redintegrantes, inter statutas normas quae opificum laborem ad ius et aequum moderarentur, plurima sanxerunt quae cum Leonianis principiis et monitis tam mirifice congruunt, ut ex iis data opera deducta videantur? Litterae nimirum *Rerum novarum* documentum exstiterunt memorandum, in easque iure converti possunt verba Isaiae: « Levabit signum in nationes! » (Is., XI, 12).

Immo statutae post bellum normae Versalienses de opificum labore, plurima Leonis principia sanxerunt.

IN DOCTRINA APPLICANDA

Interea, dum scientificis investigationibus praeeuntibus, late in hominum mentes Leoniana praecepta diffunduntur, ad eorundem usum ventum est. Atque in primis actuosa cum benevolentia sedulae curae collatae sunt ad eorum hominum classem erigendam, quae ob recentiora artium incrementa in immensum quidem aucta, aequum in humana consortione locum seu gradum nondum obtinuerat, proptereaque neglecta paene et despecta iacebat: opifices dicimus, quibus excolendis impigram statim ex utroque clero sacerdotes, quamvis aliis pastoralibus curis distenti, Episcopis praeeuntibus, manum admoverunt magno cum illarum animarum fructu. Qui quidem constans labor in opificum animos christiano spiritu imbuendos susceptus, plurimum quoque iuvit ad eos de sua vera dignitate conscios efficiendos habilesque reddendos, qui iuribus et officiis suae classis clare propositis, legitime et prospere progrederentur atque adeo reliquorum duces fierent.

b) *Quod ad* usum *praeceptorum, sollicitudo de excolendis et erigendis opificibus;*

Exinde uberiora vitae adiumenta tutius sunt comparata; nam non modo beneficentiae et caritatis opera, secundum Pontificis hortationes, multiplicari sunt coepta; sed praeterea ubi-

Multiplicata beneficentiae opera et consociationes mutui auxilii.

que novae quoque et copiosiores in dies institutae consociationes, quibus Ecclesiae consilio ac plerumque Sacerdotum ductu, opifices, artifices, agricolae, mercenarii denique cuiusque generis mutuum auxilium mutuamque opem et praestant simul et accipiunt.

2. Quid egerit potestas civilis.

2. — Quid egerit potestas civilis

Memorata doctrina en. Rerum Novarum *de Status provincia,*

Ad civilem vero potestatem quod attinet, Leo XIII, fines a liberalismo impositos audacter transiliens, intrepide docet eam non meram esse habendam iurium rectique ordinis custodem, sed potius omni ope ei enitendum esse, ut « tota ratione legum atque institutorum... ex ipsa conformatione atque institutione rei publicae ultro prosperitas tam communitatis quam privatorum efflorescat » (Litt. Encycl. *Rerum novarum*, n. 26). Singulis sane cum civibus tum familiis iustam agendi libertatem permittendam; id tamen servato bono communi et remota cuiusquam iniuria. Rei publicae autem moderatorum esse communitatem eiusque partes tueri; sed in ipsis protegendis privatorum iuribus, praecipue infirmorum atque inopum rationem esse habendam. « Siquidem natio divitum, suis saepta praesidiis, minus eget tutela publica; miserum vulgus, nullis opibus suis tutum, in patrocinio reipublicae maxime innititur. Quocirca mercenarios, cum in multitudine egena numerentur, debet cura providentiaque singulari complecti res publica » (Litt. Encycl. *Rerum novarum*, n. 29).

Uberior facta actio politica socialis,

Non equidem negamus quosdam populorum moderatores iam ante Leonianas Litteras urgentioribus quibusdam opificum necessitatibus consuluisse atrocioresque iniurias contra eos illatas repressisse. Postquam vero a Petri Cathedra Vox Apostolica in orbem universum personuit, gentium moderatores, tandem muneris plenius conscii, ad uberiorem politicam socialem promovendam animum cogitationemque adiecerunt.

impellentibus Leonis litteris et utiliter cooperantibus catholicis,

Reapse Encyclicae Litterae *Rerum novarum,* labantibus liberalismi placitis, quae iam diu efficacem gubernantium operam impediebant, populos ipsos ad politicam quandam socialem verius impensiusque fovendam impulerunt, et optimos quosque catholicos viros ad utilem reipublicae rectoribus operam hac in re praestandam tantopere concitarunt, ut crebro novae huius politicae etiam in publicorum legatorum coetibus perillustres fautores exstiterint; quin et ipsae recens conditae sociales leges haud raro a sacris Ecclesiae ministris Leoniana doctrina penitus imbutis popularium oratorum suffragiis propositae sunt earumque exsecutio vehementer exacta ac promota.

Ex hoc autem continenti atque indefesso labore nova iuris disciplinae sectio superiori aetati prorsus ignota orta est, quae sacra opificum iura ab hominis christianique dignitate profluentia fortiter tuetur: animam, sanitatem, vires, familiam, domos, officinas, mercedem, laboris pericula, omnia demum quae ad mercenariorum condicionem pertinent, hae leges protegenda suscipiunt, maxime quod ad mulieres puerosque attinet. Quod si huiusmodi statuta cum Leonianis monitis non ubique nec in omnibus examussim conveniunt, negari tamen nequit in iis multa deprehendi quae Litteras *Rerum novarum* redolent, quibus plurimum est referendum si opificum condicio in melius fuit mutata.

Nova iuris disciplinae sectio exorta.

3. — Quid egerint ii quorum intererat

3. Quid egerint ii quorum interererat.

Postremo providentissimus Pontifex ostendit dominos ipsosque opifices multa hac in causa posse, « iis videlicet institutis, quorum ope et opportune subveniatur indigentibus, et ordo alter propius accedat ad alterum » (Litt. Encycl. *Rerum novarum*, n. 36). Principem vero locum inter haec instituta tribuendum affirmat sodaliciis, quae sive solos opifices sive opifices simul et heros complecterentur; in quibus illustrandis et commendandis multus est, eorum natura, causa, opportunitate, iuribus, officiis, legibus mira prorsus sapientia declaratis.

Repetita doctrina enc. Rev. Nov.

Quae quidem documenta opportune prorsus edita sunt: ea quippe tempestate in nonnullis nationibus qui rei publicae gubernacula tractabant, liberalismo plane addicti, sodaliciis huiusmodi operariorum parum favebant, immo aperte adversabantur; similesque aliarum hominum classium consociationes ultro agnoscentes patrocinioque sospitantes, nefaria iniuria nativum in societatem coeundi ius iis denegabant, quibus maxime opus erat, ut a potentiorum vexationibus sese defenderent; neque inter ipsos catholicos deerant, qui operariorum conatus ad huiusmodi sodalicia ineunda obliquis oculis aspicerent, ac si quendam socialisticum aut seditiosum spiritum saperent.

Eiusque opportunitate, propter hostilem sodaliciis animum

SODALICIA OPIFICUM

Maxima igitur commendatione normae a Leone XIII pro sua auctoritate traditae dignae habentur, quae has oppositiones infringere et suspiciones disiicere potuerint; sed praestantiores quoque sunt factae, quod christianos opifices ad mutuas secundum varia artium genera consociationes instituendas hortatae

Meritum practicae hortationis ad christiana opificum sodalicia creanda

sunt modumque id praestandi eos docuerunt, eorumque bene multos in officii via valde confirmarunt, quos socialistarum consociationes, seipsas ut unicum humilium ac oppressorum praesidium et vindices venditantes, vehementer allicie bant.

Laudantur commendationes enc. Rerum Nov. *de his consociationibus*

Peropportune autem declarabant Encyclicae Litterae *Rerum novarum* in condendis hisce consociationibus « ita constitui itaque gubernari opificum collegia oportere, ut instrumenta suppeditent aptissima maximeque expedita ad id, quod est propositum, quodque in eo consistit ut singuli e societate incrementum bonorum corporis, animi, rei familiaris, quoad potest, assequantur » ; perspicuum vero esse, « ad perfectionem pietatis et morum tamquam ad causam praecipuam spectari oportere : eaque potissimum causa disciplinam socialem penitus dirigendam » (Litt. Encycl. *Rerum novarum*, n. 42). Etenim « socialium legum posito in religione fundamento, pronum est iter ad stabiliendas sociorum rationes mutuas, ut convictus quietus ac res florentes consequantur » (Litt. Encycl. *Rerum novarum*, n. 43).

Laudabili sedulitate creata sodalicia opificum

His autem sodaliciis instituendis laudabili sane sedulitate sese devoverunt ubique cum clerus tum laici complures, integrum Leonis XIII propositum exsequi revera cupientes. Atque ita huiusmodi consociationes finxerunt opifices vere christianos, qui, diligens suae artis exercitium cum salutaribus religionis praeceptis amice sociantes, propria temporalia negotia ac iura efficaciter ac firmiter defenderent, servato debito iustitiae obsequio et sincero cum aliis societatis classibus collaborandi studio, ad christianam totius vitae socialis renovationem.

Quaenam in eorum ratione varietas cernatur

Quae Leonis XIII consilia ac monita alii aliter secundum varias locorum rationes ad effectum adduxerunt. Etenim in quibusdam regionibus una eademque consociatio omnes a Pontifice praestitutos fines persequendos suscepit ; in aliis vero, rerum adiunctis id suadentibus vel postulantibus, ad quandam operae divisionem deventum est, distinctaeque sunt conditae consociationes, quarum aliae ad sodalium iura atque legitima commoda in operae mercatu defendenda incumberent, aliae mutuum in rebus oeconomicis adiutorium praestandum curarent, alia denique religiosis ac moralibus officiis aliisque id genus muneribus adimplendis omnem operam conferrent suam.

Quid actum sit, quaenam cautiones adhibendae sint ubi catholici syndicatus constitui non poterant.

Altera haec via ibi potissimum inita est, ubi sive patriae leges, sive certa quaedam oeconomica instituta, sive lugenda illa in hodierna societate tam late patens animorum et cordium dissensio atque urgens contra conferta novarum rerum molitorum agmina studiis viribusque coniunctis resistendi ne-

cessitas, impedimento erat, quominus catholici catholicos syndicatus condere possent. In ea enim rerum condicione vix non cogi videntur syndicatibus neutris se adscribere, qui tamen semper iustitiam et aequitatem profiteantur et sociis catholicis plenam suae conscientiae providendi atque Ecclesiae mandatis obtemperandi libertatem faciant. Episcoporum sane est, ubi has consociationes ex rerum adiunctis necessarias neque religioni periculosas noverint, approbare ut eis adhaereant catholici opifices, habitis tamen prae oculis principiis et cautionibus quas sanctae memoriae Decessor Noster Pius X commendabat (Pius X, Litt. Encycl. *Singulari quadam*, d. 24 Sept. 1912); quarum quidem cautionum prima et praecipua haec est ut simul cum illis syndicatibus semper adsint sodalicia, quae religionis ac morum disciplina socios imbuere et ornare studiose satagant, ut hi deinde syndicales consortiones eo bono spiritu permeare valeant, quo in tota sua agendi ratione dirigi debent: quo fiet ut sodalicia haec etiam ultra suorum asseclarum ambitum fructus conferant optimos.

Hinc quantum iam valeant christiana opificum sodalicia.

Itaque, Leonianis Litteris id acceptum referendum est, quod hae opificum consociationes ubique ita effloruerint, ut iam nunc, quamquam socialistarum et communistarum sodaliciis adhuc — proh dolor — superantur numero, permagnam cogant opificum multitudinem, et valide possint tam intra cuiusque nationis fines quam in conventibus amplioribus iura et legitima catholicorum opificum postulata vindicare atque adeo salutifera christiana de societate principia urgere.

SODALICIA IN ALIIS CLASSIBUS

Etiam inter agricolas et mediae condicionis homines florent utilissimae consociationes.

Accedit praeterea quod, quae de nativo sese consociandi iure Leo XIII tam scite disseruit ac valide propugnavit, ea ad alia quoque, eaque non tantum operariorum, sodalicia facile applicari coepta sunt; quare, iisdem Leonianis Litteris haud exigua ex parte tribuendum videtur, quod etiam inter agricolas aliosque mediae condicionis homines tantopere florere et augeri in dies cernuntur utilissimae huiusmodi consociationes, aliaque id genus instituta, quibus cum oeconomico emolumento animorum cultus feliciter copulatur.

SODALICIA HERORUM

Dolet Pontifex non plura esse erorum sodalicia. Sperat meliora futura.

Quod si idem affirmari nequit de sodaliciis, quae inter operum conductores et industriae rectores ab eodem Decessore Nostro vehementer instituenda exoptabantur, quaeque pro-

fecto sat pauca esse dolemus, id non penitus hominum voluntati tribuendum est, sed difficultatibus longe gravioribus quae huiusmodi sodaliciis obsistunt, quasque Nos optime scimus et debita ratione pensamus. Firma autem affulget spes brevi fore ut haec quoque impedimenta dirimantur, atque intimo animi Nostri gaudio iam nunc salutamus quaedam nec inania hac in re tentamina, quorum uberes fructus uberiores in futurum colligendos promittunt (cfr Epist. S. Congr. Concilii ad Episcopum Insulensem, 5 Iunii 1929).

Conclusio: R. N. Magna socialis ordinis Charta

Leonianae litterae sunt Magna Charta, *in qua tota activitas socialis inniti debet.*

Haec autem omnia, Venerabiles Fratres dilectique Filii, Leonianarum Litterarum beneficia, quae delibando potius quam describendo commemoravimus, tot tantaque sunt, ut plane ostendant immortali illo documento non commenticiam utut pulcherrimam humanae societatis speciem exhiberi; at potius Decessorem Nostrum ex Evangelio, ideoque ex fonte semper vivo et vitali, hausisse doctrinas, quae exitiale illud et intestinum humanam familiam dilacerans certamen, sin minus statim componere, valde tamen mitigare queat. Huius vero boni seminis, ante quadraginta annos tam copiose sati, partem in terram bonam cecidisse laetae testantur fruges, quae Christi Ecclesia atque humanum genus universum, Deo favente, inde collegit ad salutem. Nec temere dici potest Leonianas Litteras longinqui temporis usu, *Magnam Chartam* sese probasse, in qua tota christiana in re sociali activitas tamquam fundamento nitatur oporteat. Qui autem easdem Pontificias Litteras earumque commemorationem parvipendere videntur, ii vel quod ignorant blasphemant, vel de iis, quae utcumque norunt, nihil intellegunt, vel, si intellegunt, iniuriae et ingratitudinis sollemniter redarguuntur.

Dubia, controversiae, mutatae res opportunas faciunt has novas Litteras.

Verum, cum, hoc eodem annorum fluxu, et dubia quaedam de nonnullis Leonianarum Litterarum partibus recte interpretandis aut de consectariis inde deducendis prodierint, quae inter ipsos catholicos non semper quietis controversiis ansam dederunt; et ex altera parte novae nostrae aetatis necessitates mutataeque rerum condiciones accuratiorem Leonianae doctrinae applicationem vel etiam additamenta quaedam necessaria reddiderint, opportunam perlibenter arripimus occasionem, his dubiis hisque hodiernae aetatis postulationibus pro munere Nostro Apostolico, quo omnibus debitores sumus (cfr *Rom.*, I, 14), quantum in Nobis est, faciendi satis.

II.

II. — Ecclesiae auctoritas in re sociali et oeconomica

II. Ecclesiae auctoritas in his rebus

Ius Ecclesiae interponendi suam auctoritatem in iis rei socialis partibus quae ad regulam morum referuntur.

Sed ante quam ad haec explananda accedamus, illud praestituendum est, quod iampridem Leo XIII luculenter confirmavit, ius officiumque Nobis inesse de rebus istis, socialibus et oeconomicis suprema auctoritate iudicandi (cfr Litt. Encycl. *Rerum novarum,* n. 13). Profecto Ecclesiae non haec fuit demandata provincia, homines ad fluxam solum et caducam felicitatem dirigendi, sed ad aeternam; immo « terrenis hisce negotiis sine ratione se immiscere nefas putat Ecclesia » (Litt. Encycl. *Ubi arcano,* d. 23 Dec. 1922). Ast renuntiare nullatenus potest muneri sibi a Deo concredito, ut auctoritatem interponat suam non iis quidem, quae artis sunt, ad quae neque mediis aptis est instructa nec officio praedita; sed in iis omnibus quae ad regulam morum referuntur. Quantum enim ad haec attinet, depositum veritatis Nobis a Deo commissum gravissimumque munus legis moralis universae divulgandae, interpretandae atque etiam opportune importune urgendae, supremo Nostro iudicio cum socialium ordinem rerum, tum res ipsas oeconomicas subiicit et subdit.

Necessitudo qua, ex suo fine res oeconomica et res moralis inter se colligantur.

Nam, etsi oeconomica res et moralis disciplina in suo quaeque ambitu suis utuntur principiis, error tamen est oeconomicum ordinem et moralem ita dissitos ac inter se alienos dicere, ut ex hoc ille nulla ratione pendeat. Sane oeconomicae quae dicuntur leges, ex ipsis rerum naturis et humani corporis animique indole profectae, statuunt quidem quosnam fines hominis efficientia non possit, quosnam possit quibusque adhibitis mediis in campo oeconomico persequi: ipsa vero ratio ex rerum et hominis individua socialique natura finem rei oeconomicae universae a Deo Creatore praescriptum aperte manifestat.

Lex qua ceteri fines fini ultimo substernuntur.

Una autem est lex moralis, qua iubemur, quemadmodum in omni nostra agendi ratione finem nostrum supremum et ultimum, ita in singulis quoque generibus eos fines recta quaerere, quos a natura seu potius ab auctore naturae Deo huic rerum agendarum ordini propositos esse intelligimus, ordinataque colligatione hos illi substernere. Cui legi si fideliter obtemperabimus, fiet ut peculiares fines, cum individuales tum sociales, in re oeconomica quaesiti in universum finium ordinem apte inserantur nosque per eos, quasi per gradus, ascen-

dentes finem omnium rerum ultimum assequamur, Deum scilicet, Sibi et nobis summum et inexhaustum bonum.

1. De iure proprietatis

1. — De dominio seu iure proprietatis

Catholica doctrina a calumniis vindicanda est et a falsis interpretationibus tuenda.

Iam ut ad singula descendamus, initium facimus a dominio seu iure proprietatis. Nostis, Venerabiles Fratres dilectique Filii, felicis recordationis Praedecessorem Nostrum contra socialistarum suae aetatis placita fortiter ius proprietatis defendisse, cum ostenderet privati dominii eversionem non in commodum sed in extremam opificum classis perniciem esse cessuram. Cum vero sint qui Summum Pontificem atque ipsam Ecclesiam, quasi locupletium partes contra proletarios egisset et adhunc agat, calumnientur, quo nihil sane est iniuriosius, dissideantque catholici inter se de vera germanaque Leonis sententia, visum est eam, id est catholicam de hac re doctrinam, et a calumniis vindicare et a falsis interpretationibus tueri.

INDOLES ET INDIVIDUALIS ET SOCIALIS

Duplex dominii ratio individualis et socialis non negata est ius tamen dominii privati est a Deo Creatore datum.

Primo igitur pro comperto et explorato habeatur neque Leonem neque eos qui, Ecclesia duce et magistra, docuere theologos, negasse unquam vel in dubium vocasse duplicem dominii rationem, quam individualem vocant et socialem, prout singulos respicit vel ad bonum spectat commune; sed semper uno ore affirmasse a natura seu a Creatore ipso ius dominii privati hominibus esse tributum, cum ut sibi familiaeque singuli providere possint, tum ut, huius instituti ope, bona, quae Creator universae hominum familiae destinavit, huic fini vere inserviant, quae omnia obtineri nullo modo possunt nisi certo et determinato ordine servato.

Vitandus scopulus « individualismi » et « collectivismi » ne incidatur in modernismi moralis, iuridici et socialis syrtes.

Itaque duplex in quem impingi potest scopulus naviter cavendus est. Nam, sicut ex negata vel extenuata iuris proprietis indole sociali et publica, in « individualismum » quem dicunt ruitur aut ad eum acceditur; ita privata ac individuali eiusdem iuris indole repulsa vel attenuata, in « collectivismum » properetur vel saltem eiusdem placita attingantur nenesse est. Nisi haec prae oculis habeantur, prono itinere in modernismi moralis, iuridici ac socialis syrtes abrumpendum est, quas Litteris initio Pontificatus Nostri datis (Litt. Encycl. *Ubi arcano*, d. 23 Dec. 1922) denuntiavimus; idque potissimum noverint ii, qui novis rebus studentes, probrosis calumniis Ec-

clesiam criminari non verentur, quasi permiserit in theologorum doctrinam dominii conceptum ethnicum irrepere, cui alius sit prorsus sufficiendus, quem mira inscitia « christianum » appellant.

Ab Ecclesia removetur crimen quod permiserit ethnicum dominii conceptum.

OBLIGATIONES DOMINIO INHAERENTES

Ut autem controversiis quae de dominio officiisque eidem inhaerentibus agitari coeperunt, certos limites ponamus, fundamenti instar praemittendum est, quod Leo XIII constituit, ius nempe proprietatis ab eius usu distingui (cfr Litt. Encycl. *Rerum novarum*, n. 19). Etenim possessionum divisionem sancte servare neque proprii dominii limites excedendo alienum ius invadere iustitia illa iubet, quae commutativa audit; dominos autem re sua non uti nisi honeste, non huius est iustitiae, sed aliarum virtutum, quarum officia « lege agendo petere ius non est » (cfr Litt. Encycl. *Rerum novarum*, n. 19). Quare immerito pronuntiant quidam dominium honestumque eius usum iisdem contineri limitibus; multoque magis a veritate abhorret, ipso abusu vel nonusu ius proprietatis perimi aut amitti.

Ius dominii ab eius usu distinguitur. Ius iustitia commutativa protegitur; honestus usus sub aliarum virtutum praesidio ponitur; nec abusu ius tollitur.

Quapropter, ut salutare et omni laude dignum opus agunt quicumque, salva animorum concordia et doctrinae integritate, quam semper tradidit Ecclesia, intimam horum officiorum naturam atque limites definire conantur, quibus vel ipsum ius proprietatis vel usus seu exercitium dominiorum sint a socialis convictus necessitatibus circumscripta; sic contra falluntur et errant qui indolem dominii individualem adeo extenuare contendunt, ut eam de facto destruant.

Bonum studium officiorum sed individualis ratio dominii non nimis extenuanda est.

QUID RES PUBLICA POSSIT

Re vera hominibus hac in re non solum sui proprii commodi, sed etiam communis boni esse rationem habendam, ex ipsa dominii quam diximus indole individuali simul et sociali deducitur. Officia vero haec singillatim definire, ubi id necessitas postulaverit neque ipsa lex naturalis praestiterit, eorum est qui rei publicae praesunt. Quapropter quid, considerata boni communis vera necessitate, eis qui possident liceat, quid illicitum sit in suorum bonorum usu, publica auctoritas, lege naturali et divina semper praelucente, sciscere potest accuratius. Immo vero Leo XIII sapienter docuerat « industriae hominum institutisque populorum esse a Deo permissam privatarum possessionem descriptionem » (Litt. Encycl. *Rerum nova-*

Quatenus, salvo iure possidendi privatim et hereditate transmittendi bona, potestas publica definire queat iura dominorum eaque cum communi bono componere: quae est etiam heris amica opera.

rum, n. 7). Etenim, ut cetera socialis vitae elementa, ita dominium non esse plane immobile historia teste comprobari Nos ipsi aliquando hisce verbis declaravimus: « Quam diversas formas induit proprietas a primaeva illa, rudium et agrestium gentium, quam etiam nostro tempore alicubi est cernere, ad possessionis formam aevi patriarchalis, atque ita deinceps ad varias tyrannicas (quod vocabulum vi sua classica adhibemus), deinde per feudales, per monarchicas usque ad varias aetatis recentioris species » (Allocutio ad Conventum Act. Cath. per Italiam, d. 16 Maii 1926). Reipublicae tamen suo munere pro arbitrio fungi non licere in aperto est. Semper enim ipsum naturale ius et possidendi privatim et hereditate transmittendi bona intactum inviolatumque maneat oportet, quippe quod respublica auferre nequeat; « est enim homo quam res publica senior » (Litt. Encycl. *Rerum novarum*, n. 6), atque etiam « convictus domesticus et cogitatione et re prior quam civilis coniunctio » (Litt. Encycl. *Rerum novarum*, n. 10). Unde iam sapientissimus Pontifex edixerat nefas esse reipublicae privatos census immanitate tributorum et vectigalium exhaurire. « Ius enim possidendi privatim bona cum non sit lege hominum sed natura datum, non ipsum abolere, sed tantummodo ipsius usum temperare et cum communi bono componere auctoritas publica potest » (Litt. Encycl. *Rerum novarum*, n. 35). Cum vero res publica dominia cum boni communis necessitatibus componit, non heris privatis inimicam sed amicam operam praestat; etenim hac ratione valide obstat, quominus privata bonorum possessio quam ad vitae humanae subsidium providentissimus naturae Auctor decrevit, intolerabilia gignat incommoda, atque ita in exitium ruat: neque possessiones privatas elidit, sed tuetur; privataque dominia non debilitat, sed roborat.

OBLIGATIONES CIRCA REDITUS LIBEROS

Gravia officia de reditibus liberis.

Neque omnimodo hominis arbitrio reditus eius liberi relinquuntur; ii scilicet quibus ad vitam convenienter atque decore sustentandam non eget: quin immo gravissimo divites teneri praecepto eleemosynae, beneficentiae, magnificentiae exercendae, Sacra Scriptura Sanctique Ecclesiae Patres apertissimis verbis assidue denuntiant.

Genuina magnificentia.

Largiores autem impendere proventus, ut quaestuosae operae commoditas abunde fiat modo ea opera ad bona vere utilia comparanda insumatur, illustre ac temporum necessitatibus apprime aptum opus virtutis magnificentiae esse censen-

dum, ex Angelici Doctoris principiis argumentando colligimus (cfr S. Thom., *Summ., Theol.*, II-II. q. 134).

TITULI DOMINII ACQUIRENDI

Occupatio et specificatio sunt tituli acquirendi dominium

Acquiri autem dominium primitus et occupatione rei nullius et industria seu specificatione quam vocant, cum omnium temporum traditio, tum Leonis Decessoris Nostri doctrina luculenter testantur. Neque enim ulla fit cuiquam iniuria, quidquid in contrarium nonnulli effutiunt, cum res in medio posita, seu quae nullius sit, occupatur; industria vero quae ab homine proprio nomine exerceatur, cuiusque ope nova species aut augmentum rei accesserit, ea una est quae hos fructus laboranti addicit.

2. — Res (" capitale „) et opera

2. De « capitali » et opera.

Alia est ratio operae locatae. Ingenti populariorum labore gignuntur divitiae, sed praesuppositis supellectili naturali et divitiis.

Longe alia est ratio operae, quae aliis locata in re aliena exercetur. Cui quidem id maxime congruit, quod « verissimum » esse Leo XIII inquit, « non aliunde nisi ex opificum labore gigni divitias civitatum » (Litt. Encycl. *Rerum novarum*, n. 27). Nonne enim oculis cernimus ingentia illa bona, quibus hominum opes constant, procreari et prodire ex operariorum manibus, quae vel solae operantur, vel instrumentis sive machinis instructae efficientiam suam mirum in modum producunt? Immo vero nemo est qui ignoret nullum umquam populum ex inopia et egestate meliorem celsioremque fortunam attigisse, nisi ingenti collato labore omnium popularium — et eorum qui opera dirigunt et eorum qui iussa exsequuntur. Sed non minus patet summos illos conatus irritos futuros fuisse vanosque, immo vero ne tentari quidem potuisse, nisi Creator omnium Deus pro sua bonitate divitias et suppellectilem naturalem, opes ac vires naturae, prius fuisset largitus. Quid enim aliud est operari quam animorum corporumque vires in his ipsis aut per haec ipsa adhibere vel exercere? Postulat autem lex naturae seu Dei voluntas per eam promulgata, ut rectus ordo servetur in naturali suppellectili humanis usibus applicanda; hic autem ordo in eo stat, ut suum quaeque res habeat dominum.

NEUTRA SINE ALTERA QUIDQUAM EFFICERE VALET

Neutra sine altera quidquam efficit, nec iuste totum effectum arrogare sibi potest.

Hinc fit, ut nisi quis in re sua laborem exerceat, cum opera alterius tum res alterius consociari debeant: neutra enim

sine altera quidquam efficit. Quod sane respexit Leo XIII scribens: « Non res sine opera nec sine re potest opera consistere » (Litt. Encycl. *Rerum novarum*, n. 15). Quocirca falsum prorsus est sive uni rei sive uni operae quidquid ex earundem collata efficientia obtentum est, adscribere; iniustumque omnino, alterutrum, alterius efficacitate negata, quidquid effectum est sibi arrogare.

INIUSTAE VINDICATIONES « CAPITALIS »

Diu nimiam partem sibi capitale praeripere potuit.

Diu profecto res seu « capitale » praeripere sibi nimium potuit. Quaecumque procreata erant, quicumque redibant fructus, capitale sibi vindicabat, vix operario relictis, quae viribus reficiendis atque recreandis sufficerent. Nam lege quadam oeconomica plane invincibili coacervationem omnem capitalis fortunatis cedere, eademque lege operarios perpetuae inopiae seu tenuissimae vitae addictos et obstrictos praedicabant. Verum quidem est cum eiusmodi placito liberalium, qui a Manchester vulgo dicuntur, actionem rerum non semper et ubique consensisse: negari tamen nequit ad id constanti conatu instituta oeconomico-socialia inclinasse. Has falsas sententias, haec fallacia postulata vehementer impugnata fuisse, nec ab eis solum, qui per ea nativo iure melioris adipiscendae fortunae privabantur, profecto nemo mirabitur.

INIUSTAE VINDICATIONES OPERAE

Nimia vindicatio operae errore fucati socialismi

Ideo operariis lacessitis accessere, qui « intellectuales » appellati sunt, commentitiae legi morale principium aeque commentitium opponentes: quaecumque scilicet aut progignuntur aut redeunt, iis tantum demptis quae capitali reficiendo et recreando sint satis, ea omnia iure ipso opificibus cedere. Qui error, quo fucatior quam socialistarum quorundam affirmantium quaecumque bonis conficiendis inserviunt, ea in rem publicam transferenda seu, ut aiunt, « socializanda » esse, eo periculosior est et ad incautos fallendos aptior: blandum venenum, quod multi avide hausere, quos apertus socialismus decipere non potuerat.

PRINCIPIUM DIRECTIVUM IUSTAE ATTRIBUTIONIS

Divitiarum distributio ea procuranda est ut

Dubio procul, ne falsis hisce placitis aditum ad iustitiam et ad pacem sibi intercluderent, utrique praemoneri de-

buerunt Decessoris Nostri sapientissimis verbis : « Utcumque inter privatos distributa, inservire omnium utilitati terra non cessat » (Litt. Encycl. *Rerum novarum*, n. 7). Idem et Nos ipsi docuimus paulo ante, cum ediximus, ut eam utilitatem res creatae certo firmoque ordine parere possint hominibus, bonorum partitionem, quae per dominia privata fiat, ab ipsa natura esse stabilitam. Id quod, ne a recto veritatis tramite aberretur, continenter prae oculis habeatur oportet.

neutra classis ab emolumentorum participatione excludatur et immune servetur commune societatis universae bonum.

Iam vero non omnis rerum opumve distributio inter homines apta est, per quam finis a Deo intentus aut omnino aut ea qua par est perfectione obtineatur. Quamobrem divitiae, quae per incrementa oeconomico-socialia iugiter amplificantur, singulis personis et hominum classibus ita attribuantur oportet, ut salva sit illa, quam Leo XIII laudat communis omnium utilitas seu, aliis verbis, ut immune servetur societatis universae commune bonum. Hac iustitiae socialis lege, altera classis alteram ab emolumentorum participatione excludere vetatur. Non minus igitur illam violat locupletium classis, cum veluti curarum expers in suis fortunis aequum rerum ordinem illum putat, quo sibi totum, operario nihil obveniat, quam proletaria classis, cum propter laesam iustitiam vehementer incensa et in unum suum ius, cuius est conscia, male vindicandum nimis prona, omnia utpote suis manibus effecta sibi flagitat, ideoque dominium ac reditus seu proventus, qui labore non sint quaesiti, cuiuscumque generis ii sunt, aut cuiuscumque muneris in humano convictu vicem praestant, non aliam ob causam, nisi quia talia sunt, impugnat et abolere contendit.

Nec praetereundum est hac in re inepte aeque ac immerito a quibusdam Apostolum appellari dicentem : « Si quis non vult operari, nec manducet » *(II Thess.* III, 10) ; sententiam enim Apostolus fert in eos, qui ab opere abstinent, etsi laborare possunt et debent, monetque, tempore ac viribus sive corporis sive animi sedulo utendum neque alios gravandos, cum ipsi nobis providere possimus. Laborem autem unicum esse titulum recipiendi victum aut proventus haudquaquam Apostolus docet. (Cfr *II Thess.* III, 8-10).

Reicitur falsa interpretatio verborum « Si quis non vult operari nec manducet ».

Sua igitur cuique pars bonorum attribuenda est : efficiendumque, ut ad boni communis seu socialis iustitiae normas revocetur et conformetur partitio bonorum creatorum, quam hodie ob ingens discrimen inter paucos praedivites et innumeros rerum inopes gravissimo laborare incommodo cordatus quisque novit.

Sit sua cuique pars ; magis communi bono utilis partitio conformetur.

3. De redemptione proletariorum.

3. — Redemptio proletariorum

Etsi minus late grassetur pauperismus et aequior facta sit operariorum condicio, nihilo minus finis redemptionis proletariorum persequendus adhuc est.

Est autem hic ille, quem Decessor Noster necessario quaerendum finem edixit: redemptionem proletariorum. Idque ideo asserendum pressius et repetendum instantius, quod non raro tam salutaria Pontificis iussa oblivioni data fuerunt, sive quod de industria silentio premebantur, sive quia factu nefas putabantur, cum tamen fieri et possint et debeant. Neque, quia minus late grassetur « pauperismus » ille, quem Leo XIII tam horrendum conspiciebat, pro nostra hac aetate vim et sapientiam amisere suam. In melius sane restituta est atque aequior facta operariorum condicio, praesertim in cultioribus et amplioribus civitatibus, in quibus opifices iam non possunt omnes ad unum pro miseria afflictis et inopia vitae laborantibus haberi. Sed postquam artes mechanicae humanaeque industriae quam celerrime innumeras regiones, cum novas quas vocamus terras, tum ab antiquo exculta Orientis remoti regna pervasere et occupavere, in immensum excrevit proletariorum inopum numerus, quorum gemitus clamant ad Deum de terra: hisque accedit ingens ruralium mercenariorum exercitus ad infimam vitae condicionem depressus omnique spe destitus « quippiam quod solo contineatur » (Litt. Enc. *Rer. nov.*, n. 35); umquam obtinendi, proindeque, nisi consentanea atque efficacia remedia adhibeantur, proletariae condicioni perpetuo obnoxius.

Divitias non esse aeque distributas apparet ex multitudine proletariorum et ingentissimis opibus quorundam praedivitum.

At licet verissimun sit proletariam condicionem a pauperismo esse probe discernendam, ipsa tamen immanis multitudo proletariorum ex altera parte, ex altera vero quorundam praedivitum ingentissimae opes argumento sunt omni exceptione maiori, divitias hac nostra, quam vocant « industrialismi », aetate tam copiose partas, haud recte esse distributas diversisque hominum classibus haud aeque applicatas.

PROLETARIA CONDICIO SUPERANDA EO QUOD AD REM FAMILIAREM PROLETARII PERVENIANT

Saltem melior fiat in posterum partitio.

Quare omni vi ac contentione enitendum est, ut saltem in posterum partae rerum copiae aequa proportione coacerventur apud eos, qui opibus valent, satisque ample profundantur in eos, qui operam conferunt, non ut in labore remissi fiant, — natus est enim homo ad laborem sicut avis ad volatum, — sed ut rem familiarem parsimonia augeant; auctam sapienter administrando facilius ac securius familiae onera sustineant;

atque emersi ex incerta vitae sorte, cuius varietate iactantur proletarii, non solum vicissitudinibus vitae perferendis sint pares, sed etiam post huius vitae exitum iis, quos post se relinquunt, quodammodo provisum fore confidant.

Nisi fiat, ordo publicus non poterit contra novarum rerum concitatores efficaciter salvari.

Haec omnia a Decessore Nostro non solum insinuata, sed clare et aperte proclamata, hisce Nostris Litteris etiam atque etiam inculcamus; quae nisi pro virili ac nulla interposita mora suscipiantur ad effectum deducenda, ordinem publicum, pacem et tranquillitatem societatis humanae contra novarum rerum concitatores efficaciter defendi posse nemo sibi persuadeat.

4. — Iustum salarium

4. De iusto salario.

Ad modicum censum proletarii non poterunt nisi ex mercede provehi.

Deduci autem ad effectum non poterunt, nisi sollertia et parsimonia ad modicum aliquem censum proletarii provehantur, quemadmodum iam, Decessoris Nostri vestigiis insistentes, innuimus. Unde vero nisi ex operae mercede poterit, parce vivendo, quidquam sibi seponere, qui nihil aliud habeat nisi operam, qua sibi victum et vitae necessaria comparet? Hanc igitur de salario, quam Leo XIII « sat magni momenti » (Litt. Encycl. *Rerum novarum*, n. 34) dixit, quaestionem ineamus, illius doctrinam et praecepta, ubi opus fuerit, declarando et evolvendo.

SALARIATUS NON VI SUA INIUSTUS

Contractus salarii non est iniustus.

Ac primum quidem, qui operae conducendae locandaeque contractum, vi sua iniustum ac proinde in eius locum societatis contractum sufficiendum esse pronuntiant, absona profecto dicunt et prave calumniantur Decessorem Nostrum, cuius Litterae Encyclicae « salariatum » non solum recipiunt, sed in eo ad normas iustitiae regendo diutius versantur.

Optanda cuiuspiam societatis ratio

Hodiernis tamen humanae consortionis condicionibus consultius fore reputamus si, quoad eius fieri possit, contractus operae per societatis contractum aliquantum temperetur, quemadmodum diversis modis fieri iam coepit, haud exiguo operariorum et possessorum emolumento. Ita operarii officialesque consortes fiiunt dominii vel curationis, aut de lucris perceptis aliqua ratione participant.

Ex pluribus nominibus, non ex una regula iusta merces est aestimanda

Mercedis vero iustam portionem non ex uno, sed ex pluribus nominibus esse aestimandam iam sapienter Leo XIII edixerat illis verbis: « Ut mercedis statuatur ex aequitate modus, causae sunt considerandae plures » (Litt. Encycl. *Rerum novarum*, n. 17).

Qua sententia plane refellit levitatem eorum, qui facili negotio, unica regula seu mensura adhibita, eaque a vero longe aliena, gravissimam hanc rem expediri arbitrantur.

Falsa unica regula ex partis fructibus.

Namque egregie falluntur, qui illud principium vulgare non dubitant, tanti operam valere et tantidem esse remunerandam, quanti fructus aestimantur ex ea parti, ideoque ius inesse operam locanti totum id reposcendi, quod ex eius labore sit effectum; quod quantum a veritate absit, vel ex his patet, quae de re et opera agentes exposuimus.

OPERAE INDOLES ET INDIVIDUALIS ET SOCIALIS

Etiam operae est socialis ratio

Iam vero, sicut dominii, ita operae, eius praecipue quae alteri locatur, praeter personalem seu individualem, socialem quoque rationem esse considerandam liquido deprehenditur: nisi enim corpus vere sociale et organicum constet, nisi socialis et iuridicus ordo operae exercitium tueatur, nisi variae artes, quarum aliae ab aliis dependent, inter se conspirent ac mutuo compleant, nisi, quod maius est, consocientur, ac quasi in unum conveniant intellectus, res, opera, nequit fructus suos gignere efficientia hominum. Haec ergo nec iuste aestimari neque ad aequalitatem rependi poterit, eius natura sociali et individuali posthabita.

TRIA CAPITA RESPICIENDA:

Ex hac autem duplici nota, quae operae humanae insita natura est, gravissima emanant consectaria, quibus salarium regi et determinari debet.

a) OPERARII EIUSQUE FAMILIAE SUSTENTATIO

a) *Enitendum ut patres familias sat amplam mercedem percipiant quae communibus necessitatibus conveniente sub veniat.*

Ac primum quidem merces operario suppeditanda est, quae ad illius eiusque familiae sustentationem par sit. (Cfr Litt. Encycl. *Casti connubii.* d. 31 Dec. 1930.) Aequum sane est reliquam quoque familiam pro viribus suis ad communem omnium sustentationem conferre, ut videre est in agricolarum praesertim, sed etiam in multis artificum et minorum mercatorum familiis; ast nefas est infantili aetate feminaeque debilitate abuti. Domi potissimum vel in iis, quae domui adiacent, matresfamilias operam navent suam in domesticas curas incumbendo. Pessimus vero est abusus et omni conatu auferendus, quod matresfamilias ob patris salarii tenuitatem extra

domesticos parietes quaestuosam artem exercere coguntur, curis, officiisque peculiaribus ac praesertim infantium institutione neglectis. Omni igitur ope enitendum est, ut mercedem patresfamilias percipiant sat amplam, quae communibus domesticis necessitatibus convenienter subveniat. Quod si in praesentibus rerum adiunctis non semper id praestari poterit, postulat iustitia socialis, ut eae mutationes quamprimum inducantur, quibus cuivis adulto operario eiusmodi salaria firmentur. — Non abs re erit hic merita laude prosequi eos omnes, qui sapientissimo utilissimoque consilio varias experti sunt atque tentaverunt vias, quibus merces laboris ita oneribus familiae accommodetur, ut his auctis, amplior illa numeretur; immo, si id obtingat, extraordinariis necessitatibus fiat satis.

b) OFFICINAE CONDICIO

b) *Quaenam attendenda procurandave sit officinae condicio.*

Officinae etiam eiusque susceptoris ratio habenda est in mercedis magnitudine statuenda; iniuste enim immodica salaria exquirerentur, quae absque sui exitio atque ex eo consecutura operariorum calamitate, officina tolerare non potest. Quamquam si ob segnitiem vel ignaviam aut technici et oeconomici progressus incuriam minus lucrum facit, non haec iusta reputanda est causa mercedis operariis minuendae. Quod si ipsi officinae non tanta vis pecuniae redit, quanta aequae mercedi operariis solvendae sit satis, quia aut oneribus iniustis opprimitur aut opus artificio partum minoris quam iustum est cogitur vendere, qui eam sic vexant, gravis piaculi rei sunt; iusta enim mercede hi privant operarios, qui necessitate adstricti, aequa minorem accipere compelluntur.

Coniunctis igitur viribus et consiliis enitantur omnes, et opifices et moderatores, rerum difficultates et obstacula superare, eisque in tam salutifero opere auctoritatis publicae sapiens opituletur providentia. Si vero res ad summas angustias deducta fuerit, tunc demum deliberandum erit, utrum officina in incepto perstare possit an alia aliqua ratione operariis sit consulendum. Quo in negotio, sane gravissimo, necessitudo quaedam et christiana animorum concordia inter moderatores et operarios vigeat atque efficaciter operetur oportet.

c) COMMUNIS BONI NECESSITAS

c) *Quid communis boni necessitas suadeat.*

Denique publico bono oeconomico mercedis magnitudo attemperanda est. Quantopore ad hoc commune bonum conferat,

operarios officialesque, mercedis aliqua parte, quae necessariis sumptibus supersit, seposita, ad modicum censum paulatim pervenire, superius iam exposuimus; sed aliud praetereundum non est vix minoris momenti, nostrisque temporibus apprime necessarium, ut iis nempe, qui laborare et valent et volunt, laborandi opportunitas praebeatur. Hoc autem a salarii determinatione haud parum pendet; quae, sicut iuvare, ubi rectis finibus contineatur, vicissim, si hos excedat, obsistere potest. Quis enim nesciat salaria nimis extenuata vel praeter modum aucta, in causa fuisse, cur operarii ab opera locanda arcerentur? Quod quidem incommodum, cum praesertim Pontificatus Nostri temporibus productum videamus plurimosque vexaverit, operarios in miseriam et tentationes coniecit, prosperitatem civitatum pessum dedit, ac publicum ordinem, pacem et tranquillitatem totius orbis terrarum in discrimen adduxit. Alienum est igitur a iustitia sociali, ut proprii emolumenti gratia et posthabita boni communis ratione opificum salaria nimis deprimantur aut extollantur: eademque postulat, ut consiliorum et voluntatum consensione, quantum fieri potest, salaria ita regantur, ut quam plurimi operam locare convenientesque fructus ad vitae sustentationem percipere possint.

Recta etiam inter salaria habenda proportio.

Apposite etiam ad rem facit recta inter salaria proportio: quacum arcte cohaeret recta proportio pretiorum, quibus illa veneunt, quae a diversis artibus progignuntur, qualia habentur agricultura, ars industrialis, alia. Haec omnia si congruenter serventur, diversae artes in unum veluti corpus coagmentabuntur et coalescent, membrorumque instar, mutuam sibi opem perfectionemque afferent. Etenim tum demum res oeconomico-socialis et vere constabit et suos fines obtinebit, si omnibus et singulis bona omnia suppeditata fuerint, quae opibus et subsidiis naturae, arte technica, sociali rei oeconomicae constitutione praestari possunt; quae quidem bona tot esse debent, quot necessaria sunt et ad necessitatibus honestisque commodis satisfaciendum et ad homines provehendos ad feliciorem illum vitae cultum, qui, modo prudenter res geratur, virtuti non solum non obest, sed magnopere prodest. (Cfr S. Thomas *De regimine principum*, I, 45. — Litt. Encycl. *Rerum novarum*, n. 27.)

5. De instaurando societatis ordine.

5. — Societatis ordo instaurandus

Necessitas reformandi institutiones

Quae de partitione aequa bonorum et de iustis salariis hucusque enuntiavimus, singulares personas respiciunt nec nisi oblique socialem ordinem attingunt, in quem ad sanae philoso-

phiae principia instaurandum, atque ad Evangelicae legis altissima praecepta perficiendum, Decessor Noster Leo XIII omnem curam cogitationemque contulit suam.

Attamen ut eius feliciter incepta stabiliantur, perficianturque reliqua, atque uberiora adhuc et laetiora in humanam familiam redundent emolumenta, duo necessaria maxime sunt: institutionum reformatio atque emendatio morum.

Deploratur amissa forma regiminis socialis

Ac reformationem quidem institutionum cum commemoramus, res publica praecipue menti obversatur, non quasi ab eius opera universa salus sit expectanda, sed quia ob « individualismi » quem diximus vitium eo res sunt redactae, ut, prostrata ac paene exstincta locuplete illa et quondam per diversi generis consociationes composite evoluta vita sociali, fere soli remanserint singulares homines et res publica, haud parvo ipsius rei publicae detrimento, quae, amissa forma regiminis socialis susceptisque oneribus omnibus, quae deletae illae consociationes antea perferebant, negotiis et officiis propemodum infinitis obruta est atque oppressa.

Iniuria est parvis communitatibus eripere quae ipsae praestare possunt.

Nam etsi verum est, idque historia luculenter ostendit, ob mutatas rerum condiciones multa nunc non nisi a magnis consociationibus posse praestari, quae superiore aetate a parvis etiam praebebantur, fixum tamen immotumque manet in philosophia sociali gravissimum illud principium quod neque moveri neque mutari potest: sicut quae a singularibus hominibus proprio marte et propria industria possunt perfici, nefas est eisdem eripere et communitati demandare, ita quae a minoribus et inferioribus communitatibus effici praestarique possunt, ea ad maiorem et altiorem societatem avocare iniuria est simulque grave damnum ac recti ordinis perturbatio; cum socialis quaevis opera vi naturaque sua subsidium afferre membris corporis socialis debeat, numquam vero eadem destruere et absorbere.

Sit potestas publica libera a minoribus curis ut ea melius praestet quae ipsa sola potest.

Minoris igitur momenti negotia et curas, quibus alioquin maxime distineretur, inferioribus coetibus expedienda permittat suprema rei publicae auctoritas oportet; quo fiet, ut liberius, fortius et efficacius ea omnia exsequatur, quae ad ipsam solam spectat, utpote quae sola ipsa praestare possit: dirigendo, vigilando, urgendo, coercendo, prout casus fert et necessitas postulat. Quare sibi animo persuasum habeant, qui rerum potiuntur: quo perfectius, servato hoc « subsidiarii » officii principio, hierarchicus inter diversas consociationes ordo viguerit, eo praestantiorem fore socialem et auctoritatem et efficientiam, eoque feliciorem laetioremque rei publicae statum.

« ORDINUM » MUTUA CONSPIRATIO

Ut cesset « classium » hostilitas commendatur constitutio ordinum ex iis qui in eandem professionem incumbunt.

Id autem in primis spectare, in id intendere et res publica et optimus quisque civis debent, ut « classium » oppositarum disceptatione superata, concors « ordinum » conspiratio excitetur et provehatur.

In reficiendos igitur « ordines » ars politica socialis incumbat necesse est. Reapse violenta adhuc perseverat et hac de causa instabilis ac nutans humanae societatis condicio, quippe quae « classibus » innitatur diversa appetentibus et ideo oppositis, proptereaque ad inimicitias dimicationesque pronis.

Etenim, quamquam opera, ut luculenter explanat Decessor Noster in suis Litteris (Litt. Encycl. *Rerum novarum*, n. 16), non est vilis merx, sed operarii dignitas humana in ea agnoscatur oportet ac proinde nequit mercis cuiuslibet instar emi vendique, tamen, quae nunc est rerum condicio, operae conductio ac locatio homines in mercatu quem dicunt laboris in duas partes ceu acies dispescit; harum autem partium disceptatio ipsum operae mercatum quasi in campum vertit, ubi adversis frontibus acriter illae acies dimicant. Huic pessimo malo, quo tota humana societas in exitium abripitur, quam citissime esse medendum nemo est qui non intellegat. Ast perfecta sanatio tum tantum efforescet, cum, oppositione illa e medio sublata, socialis corporis membra bene instructa constituentur: « ordines » nimirum, quibus inserantur homines non pro munere, quod quis in mercatu laboris habeat, sed pro diversis partibus socialibus, quas singuli exerceant. Natura enim duce fit, ut, sicut qui loci vicinitate coniuncti sunt municipia constituunt, ita qui in eandem artem vel professionem incumbunt — sive oeconomica est sive alterius generis — collegia seu corpora quaedam efficiant, adeo ut haec consortia iure proprio utentia a multis, sin minus essentialia societati civili, at saltem naturalia dici consueverint.

Cum vero ordo, ut egregie disserit S. Thomas unum sit ex plurium accommodata dispositione oriens, verus ac genuinus socialis ordo postulat, ut varia societatis membra firmo aliquo vinculo in unum copulentur. Adest autem haec coniungendi vis cum in ipsis bonis producendis aut officiis praestandis, in quae eiusdem « ordinis » conductores et locatores sociato studio adlaborant, tum in bono illo communi, in quod omnes simul « ordines », pro sua quisque parte, amice conspirare

(1) (Cfr S. Thom. *Contra Gent.*, III, 71 ; cfr *Summ. Theol.* I, q. 65, a. 2, i. c.).

debent. Quae quidem unio eo erit validior et efficacior, quo fidelius singuli homines ipsique « ordines » professionem suam exercere in eaque excellere sategerint.

Non excluditur tamen herorum et opificum separata de propriis utilitatibus deliberatio.

Ex quo facile deducitur, in illis collegiis ea, quae totius « ordinis » sunt communia, longe primas ferre, inter quae eminet uniuscuiusque artis ad bonum commune civitatis conspiratio quam maxime fovenda. De negotiis autem, in quibus peculiaria commoda vel incommoda herorum opificumve speciali indigeant cura et tutela si quando occurrunt, seorsim utrique deliberare vel, prout res fert, decernere poterunt.

Forma regiminis professionum collegiis seligatur quae praeplaceat.

Vix est necesse commemorare, quod Leo XIII de politici regiminis forma docuit, idem, servata proportione, professionum quoque collegiis seu corporibus aeque applicari: nimirum integrum esse hominibus quam maluerint formam eligere, dummodo et iustitiae et boni communis necessitatibus sit consultum. (Cfr Litt. Encycl. *Immortale Dei*, d. 1 Nov. 1885).

Confirmatur libertas consociationes condendi et ordinandi. Per eas ordinum collegia praeparentur.

Iam vero, quemadmodum municipii incolae ad fines maxime varios consociationes condere solent, quibus nomen dandi aut secus unicuique est ampla potestas, ita qui in eadem arte versantur, consociationes pariter liberas alii cum aliis inibunt ad fines aliqua ratione cum ipsa arte exercenda connexos. Cum liberae hae consociationes a cl. mem. Decessore Nostro distincte ac dilucide explanentur, satis habemus, id unum inculcare: liberam esse homini facultatem, non solum has consociationes condendi, quae iuris et ordinis sunt privati, sed etiam eam in iis « libere optandi disciplinam, easque leges, quae maxime conducere ad id, quod propositum est, iudicentur » (Cfr Litt. Encycl. *Rerum novarum*, n. 42). Eadem affirmanda est libertas consociationes instituendi, quae singularum artium limites excedant. Quae autem iam florent ac salutaribus laetantur fructibus liberae associationes, collegiis iis praestantioribus seu « ordinibus », de quibus supra mentionem facimus, ad mentem doctrinae socialis christianae viam parare sibi praestituant et pro virili parte exsequantur!

DIRECTIVUM OECONOMIAE PRINCIPIUM INSTAURANDUM

Intra iustos fines liberum certamen contenendum est, minus tamen paucorum potentatu quam sociali iustitia et caritate.

Aliud praeterea est curandum, valde cum priore cohaerens. Quemadmodum unitas societatis humanae inniti non potest oppositione « classium », ita rei oeconomicae rectus ordo non potest permitti libero virium certamini. Ex hoc enim capite, tamquam ex inquinato fonte omnes errores disciplinae oeconomiae « individualisticae » dimanarunt; quae, oblivione aut ins-

citia socialem ac moralem indolem rei oeconomicae delens, hanc existimavit ab auctoritate publica ut solutam prorsus ac liberam iudicandam esse et tractandam, propterea quod in mercatu seu libero competitorum certamine principium sui ipsius directivum haberet, quo multo perfectius quam ullo intellectu creato interveniente regeretur. At liberum certamen, quamquam dum certis finibus contineatur, aequum sit et sane utile, rem oeconomicam dirigere plane nequit; id quod eventus satis superque comprobavit, postquam pravi individualistici spiritus placita exsecutioni sunt mandata. Perquam necessarium igitur est rem oeconomicam vero atque efficaci principio directivo, iterum subdi et subiici. Cuius quidem muneris vices oeconomicus potentatus, qui liberum certamen nuper excepit, multo minus gerere potest, cum hic praeceps quaedam vis et potentia vehemens sit, quae ut salutaris hominibus evadat, frenari debet fortiter et regi sapienter; frenari autem et regi non potest a se ipso. Altiora igitur et nobiliora exquirenda sunt, quibus hic potentatus severe integreque gubernetur: socialis nimirum iustitia et caritas socialis. Quapropter ipsa populorum atque adeo socialis vitae totius instituta ea iustitia imbuantur oportet maximeque necessarium est, ut vere efficiens evadat seu ordinem iuridicum et socialem constituat, quo oeconomia tota veluti informetur. Caritas vero socialis quasi anima esse debet huius ordinis; ad quem efficienter tuendum et vindicandum auctoritas publica alacris incumbat oportet; id quod minus difficulter praestare poterit, si ea onera a se excusserit, quae ei non esse propria ante declaravimus.

Consociata studia variarum nationum sunt necessaria.

Immo vero consociatis studiis laboribusque variae nationes id enitantur decet, ut, quoniam in genere oeconomico plurimum inter se pendent ac mutua ope indigent, faustam quandam et felicem in re oeconomica populorum conspirationem sapientibus pactionibus atque institutis promoveant.

Refectis membris socialis corporis et restituto directivo rei oeconomico-socialis principio valebit aliquo modo de hoc corpore, quod de mystico Christi corpore.

Membra igitur socialis corporis, si, ut dictum est, reficiantur, atque rei oeconomico-socialis directivum principium si restituatur, etiam de hoc corpore aliqua ratione dici poterit, quod de Christi corpore mystico ait Apostolus: « Totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate » (*Eph.*, IV, 16).

Exemplum singularis initiae rationis

Recens, ut omnes norunt, singularis inita est syndicatuum atque artium collegiorum ratio, quae, pro harum Litterarum

argumento, breviter videtur hic adumbranda, opportunis quibusdam adiectis animadversionibus.

syndicatuum atque artium collegiorum.

Ipsa civilis potestas syndicatum ita constituit in personam iuridicam, ut simul quoddam monopolii privilegium ei conferat, cum ille solus, sic approbatus, opificum herorumve (pro syndicatus specie) iura vindicare, ille solus de opera locanda et conducenda pacisci atque laboris foedera, quae dicuntur, firmare possit. Syndicatui nomen dare necne integrum cuique est, atque inter hos tantum limites huiusmodi syndicatus liber dici potest; nam et syndicalis collecta et peculiaria quaedam tributa ab omnibus prorsus certae cuiusque artis seu professionis membris, sive opifices hi sunt sive heri, exiguntur, quemadmodum operum pactionibus a iuridico syndicatu initis omnes ligantur. Verum tamen est ex officio esse declaratum hunc iuridicum syndicatum non officere, quominus exsistant aliae eiusdem professionis asseclarum consociationes non tamen iure agnitae.

Collegia seu corpora constituuntur ex delegatis utriusque syndicatus (operariorum nimirum et herorum) eiusdem artis seu professionis et, tamquam vera ac propria Status instrumenta atque instituta, syndicatus ipsos dirigunt eosque in rebus communibus ad unum idemque coordinant.

Cessationes operae vetantur; si partes litem componere nequeant, adest magistratus.

Institutionis istius commoda.

Iamvero, huius, quam summatim descripsimus, institutionis quaenam sint commoda, quicumque vel parum rem perpenderit, facile perspiciet: diversarum classium opera pacifice sociata, socialistarum repressa sodalicia, molimina cohibita, peculiaris magistratus moderatricem auctoritatem exercens. Ne tamen in re tanti momenti quidpiam neglegamus, utque omnia, quae sive cum principiis generalioribus, quae supra in memoriam redegimus, sive cum iis, quae mox sumus adituri, apte colligentur, fateri cogimur compertum Nos habere non deesse qui vereantur ne res publica, cui satis esse deberet ut necessarium et sufficiens auxilium praestaret, liberae activitati se substituat, neve syndicalis ille et corporativus novus ordo complexam administrationem et politicam nimis sapiat, neve (generalioribus illis commodis ultro equidem admissis) particularibus politicis scopis potius inserviat quam ad meliorem socialem ordinem instaurandum promovendumque conducat.

Quaenam tamen timenda non nullis videantur.

Maxime necesse est ut Deus adsit propitius et boni, maxime periti

Ad hunc alterum autem nobilissimum finem assequendum et commune bonum vera ac stabili ratione maxime iuvandum, id in primis et ante omnia prorsus necessarium putamus, ut

rerum technicarum et socialium ad finem istum allaborent exercentes principia quae, mediante

Deus propitius adsit, utque dein omnes qui bonam gerunt voluntatem sociata opera ad illum scopum adlaborent. Persuasum praeterea habemus, id quod ex priore colligimus, illum finem eo certius obtentum iri quo copiosior sit eorum numerus, qui technicam et professionalem et socialem peritiam suam ad id conferre sint parati, atque etiam (quod pluris est) quo copiosius erit tributum ex principiis catholicis eorumque usu ad id collatum, non quidem ab Actione Catholica (quae activam vim proprie syndicalem vel politicam sibi interdicit), sed ab iis filiis Nostris, quos ipsa Actio Catholica illis principiis imbuit quosque instituit ad apostolatum exercendum, Ecclesia duce ac magistra; Ecclesiam dicimus, quae etiam in hoc, quem adumbravimus, campo, sicut ubicumque de rebus moralibus quaestio est ac disceptatio, vigilantiae et magisterii mandatum sibi divinitus impositum oblivioni dare vel incuria praeterire non potest umquam.

Actione catholica, Ecclesia duce, sunt edocti.

Nihil obtinebitur sine morum reformatione.

Quae autem de sociali ordine instaurando et perficiendo docuimus, ea profecto effici nullatenus posse sine morum reformatione vel ipsa rerum gestarum documenta aperte demonstrant. Fuit enim aliquando ordo quidam socialis, qui etsi perfectus quidem et omnibus numeris absolutus non erat, pro temporum tamen condicione et necessitatibus rectae rationi quadantenus congruebat. Quod si periit ille ordo iamdudum, sane non id accidit, quia mutatis rerum condicionibus et necessitatibus ipse accommodari se evolvendo et quodammodo dilatari non potuit, sed ideo potius, quia homines aut nimio sui amore obdurati eius ordinis gremium pandere, ut oportuisset, crescenti numero multitudinis renuerunt, aut quia falsae libertatis specie aliisque erroribus illecti cuiusvis potestatis impatientes, omne detrectare imperium conati sunt.

Transitus ad tertiam partem in qua radix malorum penitius investigabitur et maximum in moribus reformandis remedium indicabitur.

Reliquum igitur est ut, ea quae nunc viget rei oeconomicae ratione, et socialismo, acerrimo eius accusatore, iterum in iudicium vocatis atque aperta de illis iustaque lata sententia, tot malorum, radicem penitius investigemus et primum maximeque necessarium remedium in moribus reformandis indicemus.

III.

III. Res plurimum mutatae.

III. — Res inde a Leoniana aetate plurimum mutatae

Manifesto mu-

Graves sane mutationes cum rei oeconomicae ratio tum socialismus inde a Leonis XIII aetate subiere.

Ac primum quidem oeconomiae speciem vehementer com-

mutatam esse, in oculis est omnium. Nostis, Venerabiles Fratres dilectique Filii, fel. rec. Decessorem Nostrum suis Litteris eam vel maxime oeconomiae rationem spectasse, qua generatim ad commune rei oeconomicae exercitium ab aliis res, ab aliis opera praestaretur, quemadmodum, felici verborum complexu usus, eam definiebat: « Non res sine opera nec sine re potest opera consistere ». (Litt. Encycl. *Rerum novarum,* n. 15).

tata oeconomiae species.

1. — Rei oeconomicae species mutata

1. Rei oeconomicae species mutata.

Hanc autem oeconomiae rationem ad recti ordinis normam componere Leo XIII totis viribus contendit: unde patet per se ipsam non esse damnandam. Et sane suapte natura vitiosa non est; sed tunc rectum ordinem violat, quando res operarios seu proletarium classem eo fine, eaque condicione conducit, ut negotia atque adeo res oeconomica tota ad sui ipsius nutum et commodum vertantur, humana operariorum dignitate, sociali oeconomiae indole ipsaque iustitia sociali ac bono communi contemptis.

Vigens quam Leo XIII novit oeconomia non erat per se damnanda, sed vitiata egoismo.

Verum est ne hodie quidem solam hanc oeconomiae rationem ubique vigere: est enim et alia ratio, cui addicta est adhuc ingens et numero et pondere valens hominum multitudo, ut v. gr. ordo agricolarum, in quo maior generis humani pars honeste ac probe quae ad victum cultumque pertinent, sibi comparat. Suis etiam haec angustiis premitur et difficultatibus, quas et respicit Decessor Noster non paucis Litterarum suarum locis, et Nos hisce Nostris non semel attigimus.

Alia ratio oeconomiae agricolarum suis etiam difficultatibus premitur.

Ast « capitalisticum » oeconomiae regimen, cum industriae usus toto orbe terrarum dilatatus sit, plurimum et ipsum post Leonis XIII Encyclicas Litteras datas quaquaversus est dilapsum, adeo, ut etiam eorum, qui extra eius ambitum versantur, oeconomicam et socialem condicionem invaserit et pervaserit, eamque suis sive commodis sive incommodis et vitiis, vere afficiat et quodammodo informet.

« Capitalisticum » oeconomiae regimen late dominatur,

Itaque non eorum solum, qui regiones incolunt « capitali » et industriae addictas, sed omnium prorsus hominum bono consulimus, cum ad mutationes praesertim, quas capitalistica oeconomiae ratio inde a Leonis tempore passa est, animos convertimus.

etiam extra regiones « capitali et industriae addictas.

POTENTATUS SUCCESSIT LIBERAE COMPETITIONI

Atque in primis omnium oculos percellit, nostris temporibus non modo coacervari opes, sed immanem accumulari potentiam

Potentatus oeconomicus pe-

nes paucos est qui depositas pecunias custodiunt et suo arbitratu regunt, maxime si in credenda pecunia regnant.

et despoticum potentatum oeconomicum penes paucos, qui plerumque non domini, sed depositae rei custodes tantum et administratores sunt eamque nutu suo arbitrioque regunt.

Qui potentatus ab iis vehementissime exercetur, qui, cum pecunias teneant et in eis dominentur, potiuntur etiam fenebris fidei et in credenda pecunia regnant, eamque ob causam veluti sanguinem administrant, quo vivit tota res oeconomica, et manibus suis quasi animam rei oeconomicae ita versant, ut contra eorum nutum respirare nemo possit.

Fructus est omnino liberae competitionis.

Haec potentiae et virium accumulatio, recentissimae oeconomiae quasi nativa nota, fructus est quem natura sua protulit infinita competitorum certando libertas, quae eos tantum superstites relinquit qui plurimum valeant, quod saepe idem est ac dicere, qui omnium violentissime dimicant, qui minime animi conscientam curant.

Parit vicissim tria concertationum genera: de potentatu oeconomico; de potentatu in rem publicam; atque inter respublicas.

Ea vicissim virium et potentiae acervatio tria gignit concertationum genera: contenditur enim primum de ipso oeconomico potentatu, tum acriter decertatur de potentatu in rempublicam capessendo, ut eius viribus atque potestate ad oeconomicas congressiones liceat abuti; inter ipsas denique respublicas dimicatur, cum quod nationes, ad suorum quaeque civium oeconomica commoda promovenda, vim et politicam suam adhibent, tum quod potentatu et viribus suis oeconomicis adhibitis, politicas controversias inter nationes ortas dirimere contendunt.

FUNESTAE SEQUELAE

Funesta consectaria: oeconomia immitis; abiectio reipublicae maiestatis; nationalismus oeconomicus, rei nummariae imperialismus internationalis

Individualistici profecto in re oeconomica spiritus ultima consectaria sunt ea, quae vos ipsi, Venerabiles Fratres dilectique Filii, et perspicitis et doletis: liberum virium certamen ipsum se interemit; libero mercatui oeconomicus potentatus suffectus est; lucri cupiditati proinde effrenata potentatus ambitio successit; tota oeconomia horrendum in modum dura, immitis, atrox est facta. Huc accedunt quae ex publicae potestatis et ipsius oeconomiae muneribus officiisque permixtis et foede confusis orta sunt gravissima damna: quale, unum ex summis, abiectio quaedam reipublicae maiestatis, quae cum ab omni studio partium libera et uni bono communi iustitiaeque intenta, veluti regina et suprema arbitra rerum, alte sedere deberet, serva fit, hominum libidini et cupiditatibus tradita et mancipata. Quod autem ad nationes attinet inter se agentes, ex uno capite duplex effluxit diversum flumen: hinc « nationalismus » emanat aut etiam « imperialismus » oeconomicus, illinc vero non minus

funestus et exsecrandus rei nummariae « internationalismus » seu « imperialismus internationalis » cui, ubi bene, ibi patria est.

REMEDIA

Remedium praebet christianae de re et opera doctrinae usus ; rite pensanda individualis et socialis ratio dominii et operae ; observatio strictae iustitiae, iuvante caritate; saeptum limitibus certamen ; efficax subordinatio potentatus oeconomici ; conformatio publicorum institutorum ad boni communis necessitates.

Quae tantis his malis mederi possint, ea in parte altera harum Litterarum exposuimus ubi doctrinam data opera tradidimus, ita ut hoc loco breviter illa in memoriam redigere satis habeamus. Quandoquidem re et opera maxime innititur praesens oeconomiae ratio, rectae rationis seu christianae philosophiae socialis principia circa rem, operam earumque consociationem et mente agnoscantur et opere ad effectum deducantur necesse est. Duplex imprimis et rei seu dominii et operae seu laboris ratio, id est individualis et socialis, aeque et rite pensanda est, ut et individualismi et collectivismi scopuli vitentur. Mutuae utrorumque relationes ad strictissimae iustitiae leges, quam commutativam vocant, exigi debent, christiana caritate adminiculante. Liberum certamen certis ac debitis limitibus saeptum, magis etiam oeconomicus potentatus publicae auctoritati in iis, quae ad eius manus spectant, efficaciter subdantur oportet. Ipsa vero populorum publica instituta ad boni communis necessitates seu ad iustitiae socialis normam totam humanam consortionem conformare debent; quo fieri nequit quin etiam gravissima illa vitae socialis pars, quae est res oeconomica, ad rectum et sanum ordinem redeat.

2. — Socialismus mutatus

2. Socialismus mutatus

Servato proprio fundamento fidei christianae contrario, in duas partes altera alteri infensissimas discissus est :

Haud minus profunde quam oeconomiae species inde a Leonis aetate mutatus est ipse socialismus, quocum fuit maxime Decessori nostro certandum. Qui enim tunc unus fere dici poterat et doctrinae capita propugnabat definita eaque in unum corpus compacta, hi exinde in duas praecipue partes invicem plerumque adversantes atque adeo infensissimas discissus est, ita tamen ut a fundamento fidei christianae contrario, quod socialismo proprium erat, neutra discesserit.

a) PARS VIOLENTIOR SEU COMMUNISMUS

a) *Communismus qui acerrimam inter classes luctationem et plenam dominii*

Altera enim socialismi pars eandem fere subiit mutationem, quam oeconomiam capitalisticam subiisse supra explicuimus, et in « communismum » ruit, qui bina docet ac persequitur, neque id occulte aut per cuniculos, sed palam, aperte, omnibus

privati exstinctionem persequitur. Atrox ubi dominatur et Ecclesiae, immo ipsi Deo apertissime inimicus

mediis etiam violentissimis quibusque adhibitis: acerrimam inter classes luctationem, plenamque dominii privati exstinctionem. In quibus persequendis, nihil est quod non audeat, nihil quod vereatur; rerum vero potitus, incredibile ac portento simile est quam se atrocem, quam inhumanum ostendat. Testantur id exitiosae illae strages et ruinae, quibus vastissimas Europae orientalis atque Asiae ditiones constravit; Sanctae vero Ecclesiae ipsique Deo quam sit inimicus et apertus hostis, nimis, proh dolor! nimis est factis comprobatum et omnibus apprime notum. Ideo, quamquam probos quidem ac fideles Ecclesiae filios de impia et iniqua communismi natura monere supervacaneum existimamus, tamen sine profundo dolore contemplari non possumus incuriam eorum, qui imminentia haec pericula contemnere videntur, et inerti quadam desidia patiuntur propagari quaquaversus ea, quibus per vim, per caedem, tota societas contrucidetur; eoque gravius condemnanda est socordia eorum, qui auferre aut mutare neglegunt eas rerum condiciones, quibus populorum animi exasperantur atque via munitur ad societatem subvertendam et profligandam.

b) PARS MITIOR QUAE SOCIALISMI NOMEN RETINUIT

b) *Mitior forma quae, retento socialismi nomine, cuius placita interdum appropinquant ad ea quae christiani reformatores postulant.*

Mitior sane est altera pars, quae « socialismi » nomen retinuit, quae non solum a vi adhibenda abstinendum profitetur, sed ipsam classium pugnam et privatae possessionis exstinctionem, si minus abiicit, aliqua ratione mitigat et temperat. Suis principiis et consectariis inde a communismo deductis exterritum, socialismum ad veritates, quas christiana traditio semper sollemnes habuit, vergere et quodammodo accedere diceres: negari enim nequit ad ea quae christiani societatis reformatores iure postulant, horum placita interdum valde oppropinquare.

A PUGNA CLASSIUM DOMINIIQUE EXSTINCTIONE ALIQUANTUM RECEDIT

Classium pugna in honestam disputationem transit: non ipsa possessio sed imperium sociale impetitur quod iure ad potestatem publicam pertinet. Ac certa quaedam bonorum

Classium enim pugna, modo ab inimicitiis mutuoque odio abstineat, paulatim transit in honestam quandam disceptationem, iustitiae studio fundatam, quae, etsi non est illa beata pax socialis quam omnes appetimus, principium esse potest et debet unde ad mutuam « ordinum » cooperationem deveniatur. Bellum etiam dominiis privatis indictum, magis magisque sedatum, restringitur ita, ut tandem aliquando non ipsa possessio

impetatur earum rerum, quae producendis bonis inserviant, sed imperium quoddam sociale, quod contra omne ius dominium arripuit et usurpavit. Re enim vera tale imperium non ipsis dominis, sed publicae potestati est proprium. Quod si fiat, eo perveniri potest, ut sensim sine sensu haec mitioris socialismi placita a votis et postulatis eorum qui, christianis principiis innixi, humanam societatem reformare student, iam non dissideant. Etenim certa quaedam bonorum genera rei publicae reservanda merito contenditur, cum tam magnum secum ferant potentatum, quantus privatis hominibus, salva re publica, permitti non possit.

genera merito publicae potestati reservari possunt

Huiusmodi iusta postulata et desideria iam nil habent, quod a christiana veritate abhorreat, multoque minus socialismo sunt propria. Quapropter, qui haec tantummodo persequuntur, non habent cur socialismo se aggregent.

Qui haec tantum persequuntur non sunt socialistae.

NUM MEDIA VIA INIRI POSSIT?

Neque tamen existimet quisquam eas sectas seu factiones socialisticas, quae non sunt communisticae, ad unam omnes sive re sive nomine eo usque resipuisse. Ut plurimum sive classium pugnam, sive dominii exstinctionem non abiiciunt, sed solummodo aliqua ratione temperant. Iamvero, si ita falsa principia mitigantur et aliqua ratione oblitterantur, oritur, seu potius immerito a quibusdam movetur quaestio, num forte etiam christianae veritatis principia aliqua ratione aut mitigari aut temperari possint ita, ut socialismo eatur obviam et media quasi via cum eo conveniatur. Sunt, qui inani spe illiciuntur fore, ut hac ratione socialistae ad nos pertrahantur. Vana tamen spes! Qui enim apostoli esse volunt inter socialistas, christianam veritatem plenam atque integram aperte et sincere profiteantur oportet, neque ulla ratione erroribus conniveant. Id imprimis satagant si vere Evangelii praecones esse velint, ut socialistis ostendant eorum postulata, quatenus iusta sint, ex principiis christianae fidei multo validius defendi et ex viribus christianae caritatis multo efficacius provehi.

Factiones socialisticae plerumque classium pugnam et dominii exstinctionem mere temperant. Frustra non nulli sperant ex temperatis quoque christianis principiis reconciliationem. Plena postulatur christianae veritatis professio.

Sed quid, si ad pugnam classium et dominia privata quod attinet, socialismus re vera ita sit temperatus atque emendatus, ut circa haec iam nihil in eo sit reprehendendum? Numquid illico naturam suam religioni christianae contrariam abdicavit? Est haec quaestio, quae multorum animos suspensos tenet. Et plurimi sunt catholici homines, qui, cum plane perspectum habeant christiana principia nec missa fieri nec abradi unquam posse,

Etiam purgatus erroribus oeconomicis non potest, ita declarat S. Sedes, componi cum catholicae Ecclesiae dogmatibus, cum societatem fingat a christiana veritate quam maxime alienam.

oculos in hanc Sanctam Sedem intendere et enixe efflagitare videntur, ut decernamus, num hic socialismus a doctrinis falsis adeo resipuerit, ut sine cuiusquam principii christiani iactura admitti et quodammodo baptizari possit. Quibus ut pro paterna Nostra sollicitudine faciamus satis, haec edicimus: sive ut doctrina, sive ut factum historicum, sive ut « actio » consideretur socialismus, si vere manet socialismus, etiam postquam veritati et iustitiae in his, quae diximus, concessit, componi cum Ecclesiae catholicae dogmatibus non potest: siquidem ipsam societatem fingit a christiana veritate quam maxime alienam.

SOCIETATEM ATQUE HOMINIS INDOLEM SOCIALEM FINGIT ALIENISSIMA A CRISTIANA VERITATE

Socialismus, incuriosus sublimis finis hominis et societatis, solius commodi causa humanam consortionem fingit esse institutam.

Nam secundum christianam doctrinam homo, sociali natura praeditus, in his terris collocatur, ut in societate et sub auctoritate a Deo ordinata (Cfr *Rom.*, XIII, 1) vitam ducens, omnes suas facultates in laudem et gloriam Creatoris sui plene excolat evolvatque, atque artis aliusve vocationis suae munere fideliter fungendo temporalem simul et aeternam sibi comparet felicitatem. Socialismus autem, sublimis huius, cum hominis tum societatis, finis penitus ignarus et incuriosus, solius commodi causa humanam consortionem autumat esse institutam.

Praedicat socialem effectionem quae cetera omnia sibi subdat, ac veram auctoritatem quae a Deo descendit ignorat et excludit

Ex eo enim, quod apta operum divisione efficacius quam dispertitis singulorum conatibus bona progignantur, socialistae inferunt oeconomicam efficientiam, cuius sola materialia obiecta mentibus obversantur, socialiter ex necessitate procedere debere. Qua necessitate, ut totos societati se dedant subdantque, ad bonorum effectionem quod attinet, homines adstringi existimant. Immo quam amplissimam possidere copiam rerum, quae huius vitae commodis inserviant, tanti fit, ut altiora hominis bona, ipsa libertate minime excepta, sint posthabenda atque etiam immolanda exigentiis efficacissimae bonorum effectionis. Hanc vero humanae dignitatis iacturam in « socializato » productionis processu subeundam, facile repensum iri autumant abundantia bonorum socialiter procreatorum, quae ad singulos profundantur, ut pro suo beneplacito commodis et cultui vitae libere ea applicare valeant. Societas ergo qualem socialismus fingit altera ex parte absque vi plane nimia nec esse nec concipi potest, ex altera parte haud minus falsae libertati indulget, vera sociali auctoritate ab ea exulante, quippe quae non in temporalibus ac materialibus commodis innitatur, sed a solo Deo, rerum omnium Creatore atque ultimo fine descendat. (Cfr Litt. Encycl. *Diuturnum*, d. 29. Iun. 1881.)

CATHOLICUS ET SOCIALISTA PUGNANTIA DICUNT

Socialismus religiosus, christianus pugnantia dicit.

Quodsi socialismus, ut omnes errores, aliquid in se veritatis admisit (quod quidem Summi Pontifices numquam sunt inficiati), nititur tamen doctrina de humana societate, ipsi propria, a vero Christianismo absona. Socialismus religiosus, Socialismus christianus pugnantia dicunt: nemo potest simul catholicus probus esse et veri nominis socialista.

SOCIALISMUS MORES CULTUMQUE PERVADENS

Periculosum et maxime damnosum tentamen Socialistarum instituendi pueros ut humanus convictus ad socialismi placita conformetur.

Quae quidem omnia, a Nobis sollemni auctoritate innovata et confirmata, pari modo applicanda sunt novo cuidam socialistico procedendi modo, hactenus quidem minus noto, nunc vero ad plures socialismi sectas propagato. In animos moresque instituendos imprimis incumbit; praecipue quidem infantes ipsos teneros amicitiae specie sibi allicit secumque trahit, sed totam etiam hominum multitudinem complectitur, ut homines tandem socialistici formentur, qui humanum convictum ad socialismi placita conforment.

Cum in Nostris Encyclicis Litteris *Divini illius Magistri*, quibus principiis insistat, quos fines persequatur paedagogia christiana docuerimus abunde (Litt. Encycl. *Divini illius Magistri*, d. 31 Dec. 1929), quam eis repugnent quae facit et quaerit hic socialismus mores cultumque pervadens, tam perspicuum est et evidens, ut declaratione non indigeat. Gravissima vero quae secum fert pericula videntur ii aut ignorare aut minus ponderare, qui nihil pensi habent eis pro rerum gravitate fortiter naviterque resistere. Hos de imminenti gravissimo damno commonefacere Nostri pastoralis officii est: meminerint omnes, huius socialismi mores cultumque pervadentis parentem quidem liberalismum fuisse, heredem vero « bolscevismum » futurum.

CATHOLICI TRANSFUGAE IN CASTRIS SOCIALISMI

Pontifex deplorat esse catholicos qui ad socialismi castra transierint.

Quae cum ita sint, Venerabiles Fratres, intelligere potestis quanto cum dolore cernamus, in quibusdam praesertim regionibus, filios Nostros non paucos, quos veram fidem rectamque voluntatem deposuisse persuadere Nobis non possumus, ab Ecclesiae castris transfugisse et ad socialismi acies convolasse: quorum alii ut aperte socialistarum nomine glorientur et dogmata ipsa socialistica profiteantur, alii vel socordes vel etiam

quasi inviti ut consociationibus adhaereant, quae professione aut factis sunt socialisticae.

Obiciunt ab Ecclesia et in Ecclesia faveri locupletibus.

Nos autem, paterna sollecitudine anxii, animo revolvimus et perscrutari conamur, qui fieri potuerit ut eo usque aberraverint, et audire Nobis videmur, quae multi ex eis respondent et causantur: ab Ecclesia et eis qui Ecclesiae addictos se proclamant, locupletibus faveri, operarios neglegi, curam horum haberi nullam; eam ob causam se, ut sibi consulerent, in acies socialismi instrui et inseri debuisse.

Haec calumnia est quae vulgatur propter catholicos qui iustitiae et caritatis legibus obliti sunt vel religionis nomine iniustas vexationes velare conantur.

Deflendum sane est, Venerabiles Fratres, fuisse, immo etiam nunc esse, qui cum catholicos se profiteantur, sublimis illius iustitiae et caritatis legis, qua non solum, quod suum est cuique reddere, sed fratribus egentibus ut ipsi Christo Domino succurrere tenemur (Cfr *Epist.* S. Iacobi, c. 2) fere immemores sunt, quodque gravius, ob lucri cupiditatem operarios vexare non verentur. Immo vero, non desunt qui religione ipsa abutantur, eiusque nomine iniustas exactiones velare conentur, ut a iustis plane operariorum expostulationibus se tutentur. Quorum agendi rationem graviter arguere nunquam desistemus. Ipsi enim in causa sunt, cur Ecclesia, etsi immerito, videri potuerit et insimularetur partes agere locupletium, eorum autem, qui quasi naturali sua hereditate privati erant, necessitatibus et angustiis minime commoveri. Immerito et iniuria haec videri et dici, totius Ecclesiae historia clare demonstrat; ipsaeque Encyclicae Litterae, quarum anniversarium festum celebramus luculentissimum testimonium sunt in Ecclesiam eiusque doctrinam nonnisi iniustissime has calumnias et contumelias coniici.

UT REDEANT INVITANTUR

Instans invitatio ut transfugae redeant.

Verumtamen tantum abest ut, iniuria lacessiti aut paterno dolore deiecti, filios misere deceptos et tam longe a vero et salute digressos repellamus aut reiiciamus, ut effici non possit, quin omni qua possumus sollicitudine, ad maternum Ecclesiae sinum, ut revertantur, invitemus. Utinam voci Nostrae pronas praebeant aures! Utinam unde exiere, eo redeant, domum nimirum paternam, ibique consistant, ubi proprius eorum locus est, in eorum videlicet ordinibus, qui monita a Leone promulgata et a Nobis sollemniter innovata studiose secuti, societatem ad mentem Ecclesiae, sociali iustitia socialique caritate firmatis, instaurare nituntur. Sibique persuadeant nullibi se posse etiam in terris pleniorem invenire beatitudinem, nisi apud Eum, qui

propter nos egenus est factus cum esset dives, ut Illius inopia nos divites essemus (*II Cor.*, VIII, 9); qui pauper fuit et in laboribus a iuventute sua, qui omnes laborantes et oneratos ad Se invitat ut eos in caritate Cordis Sui plene reficiat (Matth., XI, 28); qui denique sine ulla personarum acceptione, plus exiget ab iis quibus plus datum est (Cfr Luc., XII, 48) et « reddet unicuique secundum opera eius » (Matth., XVI, 27).

3. — Morum renovatio

3. Necessaria morum renovatio.

Instaurationem socialem spiritus christiani renovatio praecedere debet.

Verum, si rem diligentius penitiusque inspiciamus, liquido deprehendemus, hanc optatissimam instaurationem socialem spiritus christiani renovatio, a quo misere passim defecerunt tot homines rei oeconomicae addicti, praecedat oportere, ne tot conatus incassum cadant, aedificiumque struatur non super petram sed super mobilem arenam (Cfr Matth., VII, 24 sqq.).

Et sane, hodiernam oeconomiam conspeximus, Venerabiles Fratres dilectique Filii, eamque gravissimis vitiis laborantem agnovimus. Communismum quoque et socialismum rursus in iudicium vocavimus, eorumque omnes vel mitigatas species ab Evangelii praeceptis longe aberrare deprehendimus.

« Quare — ut Decessoris Nostri verbis utamur, — si societati generis humani medendum est revocatio vitae institutorumque christianorum sola medebitur » (Litt. Encycl. *Rerum novarum*, n. 22). Nam haec una nimiae de caducis rebus sollicitudini, quae omnium est vitiorum origo, efficax remedium afferre, haec una fascinatos hominum oculos, in fluxis huius mundi rebus plane defixos, inde avellere et ad caelum attollere potest. Quo quidem remedio nunc humanam consortionem maxime indigere quis neget?

PRAECIPUA HODIERNI REGIMINIS DEORDINATIO: DAMNUM ANIMARUM

Temporales iacturae quibus tam multi unice afficiuntur nihil sunt collatae cum animarum ruina quae ex hodiernis vitae rationibus tam multis impendet.

Etenim omnium animi temporalibus perturbationibus, cladibus, ruinis fere unice afficiuntur. Sed quid, si christianis oculis, prout decet, res perpendimus, haec omnia sunt, si cum animarum ruina conferantur? Nihilominus haud temere dici potest eas nunc esse socialis atque oeconomicae vitae rationes, ut ingenti hominum numero maxima impedimenta creent quominus unum illud necessarium, aeternam nempe salutem, curent.

Paterna de isto damno commotio.

Innumerabilium equidem harum ovium Pastor et Tutor a Pastorum Principe, qui eas Sanguine Suo redemit, constituti,

hoc maximum earum periculum siccis oculis contemplari non possumus; quin potius, pastorali officii memores, paterna sollicitudine et quomodo eis opitulari possimus continenter meditamur, aliorum quoque, quorum ex iustitia aut caritate interest, indefesso studio advocato. Quid enim proderit hominibus sapientiore divitiarum usu vel ad universum mundum lucrandum aptiores fieri, si inde animae suae detrimentum patiantur? (Cfr Matth. XVI, 26). Quid, eos tuta de re oeconomica principia docere, si effrena cupiditate et sordida, suarum rerum studio ita abripi se sinant, ut, « audientes mandata Domini, omnia faciant contraria? (Cfr *Iudic.*, II, 17).

HUIUS DAMNI CAUSAE

Radix malorum in affectionibus inordinatis est, unde inexplebilis sitis divitiarum quae hodie tam multos seducit ut variis modis de solo lucro augendo sint solliciti.

Huius vero a christiana lege in re sociali et oeconomica defectionis, et inde profluentis plurimorum opificum a fide catholica apostasiae radix et fons sunt inordinatae animi affectiones, triste consectarium primaevae labis, quae miram humanarum facultatum concordiam ita disiunxit, ut homo pravis cupiditatibus facile abstractus ad caduca huius mundi bona caelestibus et firmis anteponenda vehementer incitetur. Hinc inexplebilis illa divitiarum et temporalium bonorum sitis, quae homines ad Dei leges infringendas et proximorum iura conculcanda omnibus quidem temporibus impulit, sed per hodiernam rei oeconomicae rationem humanae fragilitati longe plures parat laqueos. Etenim cum incertus status rei oeconomicae ac praesertim eiusdem complexionis, summam assiduamque postulet eorum qui illi se dedunt virium contentionem, nonnulli conscientiae stimulis ita obduruerunt, ut in eam devenerint sententiam sibi licitum esse et lucra sua quoquo modo augere, et opes magno conatu studioque partas per fas et nefas contra repentinos fortunae casus tueri. Facilia emolumenta, quae cuilibet in mercatu omni legi soluto obveniunt, permultos ad merces permutandas distrahendasque alliciunt, qui, id unum inhiantes, ut minimo interiecto labore expedita sibi lucra comparent, effrena negotiatione, mercium pretia pro arbitrio et aviditate tam crebro augent vel minuunt, ut prudentes fabricatorum provisiones pessum dent. Quae lege sunt statuta ad foederatos quaestus provehendos, dum rerum agendarum periculum dividunt ac finiunt, foedissimae licentiae ansam praebuerunt. Cernimus enim ab hac extenuata rationum reddendarum obligatione animos modice tangi; insuper in tutamine communis cuiusdam nominis delitescendo, pessimas perpetrari iniurias

et circumscriptiones; tandem oeconomicarum consociationum curatores, muneris sui oblitos, eorum prodere iura, quorum compendia administranda susceperant. Neque postremo omittendi sunt callidi illi viri, qui de honesta artificii sui utilitate minime solliciti, hominum cupiditatibus stimulos subiicere haud verentur, eisque excitatis ad proprium lucrum utuntur.

Defuit invalescente rationalismo severa morum disciplina publice exacta.

Gravissima haec incommoda propulsare, vel etiam antevertere, potuisset severa ac tuta morum disciplina a rei publicae moderatoribus strenue exacta: haec tamen nimis saepe misere defecit. Nam, cum novae oeconomiae rationis germina tunc primum erumperent, quando rationalismi placita in plurium mentibus insederant radicesque egerant, brevi oeconomica quaedam doctrina a vera lege morali remota est orta, quo factum est ut humanis cupiditatibus habenae prorsus laxarentur.

Funestum exemplum successus eorum plurium qui sine scrupulo divitias auxerunt.

Itaque evenit, ut multo quam antea plures nihil nisi de divitiis quacumque ratione augendis solliciti essent; seque super omnia et prae omnibus quaerentes, nihil, ne maxima quidem in alios delicta, sibi religioni verterent. Qui primi vero hanc spatiosam viam, quae ducit ad perditionem (Cfr Matth., VII, 13) sunt ingressi, ii facile sive apparentis sui successus exemplo, sive insolenti suarum divitiarum pompa, sive aliorum conscientiam quasi inanibus anxietatibus exagitatam deridendo, sive demum timoratiores competitores conculcando, plurimos iniquitatis suae imitatores nacti sunt.

Contagio mali in operariis, aucta incuria de eorum anima; periculis officinarum, impedita vita familiari, festorum observatione, extenuato sensu vere christiano.

Pronum vero fuit, ut rei economicae moderatoribus a recto tramite deviis euntibus, operariorum quoque vulgus in idem barathrum passim rueret praeceps; idque eo magis quod plurimi ex praefectis artificum suis operariis ut meris instrumentis usi sunt, nihil prorsus de eorum anima solliciti, immo de supernis rebus ne cogitantes quidem. Et sane, horrescit animus, si gravissima perpendantur pericula, quibus in modernis officinis obiciuntur operariorum (iuniorum praesertim) mores et puellarum aliarumque mulierum pudicitia; si mente recolamus quam saepe hodiernum rei oeconomicae genus et praesertim absona habitandi ratio familiari vinculo familiarique vitae consuetudini obstacula creet; si memoria repetamus quot quantaque festis diebus rite sanctificandis inferuntur impedimenta; si universalem consideremus extenuationem sensus illius vere christiani, quo vel rudes et indocti homines tam alta sapere consueverant, eius loco suffecta de quotidiano victu utcumque comparando unica sollicitudine. Atque ita labor corporalis, quem divina Providentia etiam post originale peccatum in humani corporis simul et animi bonum statuerat exercendum, in

perversionis instrumentum passim convertitur: iners scilicet materia ex officina nobilitata egreditur, homines vero ibidem corrumpuntur et viliores fiunt.

Remedia :

REMEDIA :

a) CHRISTIANA RATIONE INFORMETUR VITA OECONOMICA

a) *Reditus ad praecepta evangelica. Neque ordo perfectus est quin ad Deum terminetur.*

Huic tam lugendae animarum cladi, qua perdurante omne societatis regenerandae studium irritum erit, nullum validum remedium afferri potest nisi ad evangelicam doctrinam aperte et sincere redeant homines, ad Illius nimirum praecepta, qui unus verba vitae aeternae habet (Cfr Io., VI, 70), talia videlicet verba, quae caelis et terra transeuntibus, nunquam praeteribunt. (Cfr Matth., XXIV, 35.) Siquidem, quotquot sunt in re sociali vere periti, enixe expetunt compositionem ad normas rationis exactam, quae vitam oeconomicam ad sanum rectumque ordinem reducat. Sed hic ordo, quem Nos ipsi vehementer exoptamus impensoque fovemus studio, mancus omnino et imperfectus erit, nisi omnes humanae efficientiae ad miram divini consilii unitatem imitandam et, quantum humanis viribus datum est, assequendam amice conspirent: perfectum dicimus illum ordinem, quem magna vi et contentione proclamat Ecclesia, quem recta ipsa expostulat humana ratio: ut nimirum ad Deum tamquam ad primum ac supremum totius creatae efficientiae terminum omnia dirigantur, et sub Deo creata quaelibet bona ut mera instrumenta habeantur, quibus tantum utendum sit quantum ad supremum finem attingendum ducant.

Nonpropterea quaestuosae artes minores fient, vel augmentum divitiarum prohibetur.

Neque putandum est per hoc minoris fieri aut minus dignitati humanae consonas aestimari quaestuosas artes; quin immo in iis apertam divini Conditoris voluntatem venerabundi agnoscere docemur, qui posuit hominem in terra ut operaretur illam, eaque ad suas necessitates multifariam uteretur. Fortunam autem suam rite et iuste amplificare non prohibentur quicumque ad bona progignenda dant operam, immo aequum est, ut qui communitati deservit eamque reddit ditiorem, ex auctis communitatis bonis ipse quoque pro sua condicione ditior fiat, dummodo haec omnia cum debito erga Dei leges obsequio et illaesis aliorum iuribus quaerantur et secundum fidei et rectae rationis ordinem adhibeantur.

Sed prae sordido propriarum tantum rerum studio re-

Quae si ab omnibus, si ubique, si semper serventur, non modo rerum confectio et acquisitio, sed divitiarum quoque usus, qui nunc saepe tam inordinatus cernitur, brevi intra ae-

quitatis et iustae distributionis limites revocabitur: atque sordido propriarum dumtaxat rerum studio, quod nostrae aetatis est dedecus et grande peccatum, re et factis opponetur suavissima at simul validissima christianae moderationis lex, qua homo iubetur quaerere primum regnum Dei et iustitiam eius, certo sciens bona quoque temporalia ex divina liberalitate certaque promissione sibi quantum opus fuerit adiectum iri. (Cfr Matth.. VI, 33.)

gnabit suavissima et simul validissima christianae moderationis lex.

b) CARITATIS PARTES

Verum, in his omnibus praestandis, potiores partes semper lex caritatis teneat oportet, « quod est vinculum perfectionis » (*Coloss.*, III, 14). Quam ergo falluntur incauti illi reformatores, qui solam iustitiam eamque commutativam servandam curantes, caritatis auxilium superbe reiiciunt! Profecto iustitiae ex officio debitae et inique denegatae caritas vicaria succedere nequit. At, etsi omnia sibi debita quisque hominum supponatur tandem adepturus, amplissimus caritati semper patebit campus : sola enim iustitia, vel fidelissime exhibita, socialium certaminum causas quidem removere, nunquam tamen corda unire animosque copulare poterit.

b) *Caritatis partes potiores, cui semper amplissimus campus patebit.*

Iam vero quaecumque ad pacem firmandam mutuumque inter homines auxilium promovendum sunt instituta, quantumvis perfecta videantur, in mutuo animorum vinculo, quo sodales invicem uniantur, potissimum habent suae firmitatis fundamentum, quo deficiente, ut saepius experiendo didicimus, optima quaeque praescripta irrita evadunt. Itaque tunc solum vera omnium in unum commune bonum conspiratio haberi poterit, cum societatis partes intime sentiant se unius esse magnae familiae membra eiusdemque caelestis Patris filios, immo se unum corpus in Christo, « singuli autem alter alterius membra » (*Rom.*, XII, 5), ita ut « si quid patitur unum membrum, compatiantur omnia membra » (*I. Cor.*, XII, 26). Tunc enim divites aliique proceres, pristinam suam erga pauperiores fratres incuriam in sollicitam et operosam dilectionem mutabunt eorum iusta postulata aperto corde excipient, eorumque forte culpis et erroribus libenter parcent. Operarii vero, quovis odii invidiaeque sensu, quo socialis certaminis fautores tam callide abutuntur, sincere restincto, locum sibi a divina Providentia in humana societate assignatum non solum non fastidient, sed magni facient, utpote bene sibi conscii, ad commune bonum pro suo quemque munere et officio vere utiliter et honorifice

Instituta ad pacem firmandam habent in vinculo personali suae firmitatis fundamentum.

adlaborare eiusque vestigia pressius sequi, qui cum in forma Dei esset, faber inter homines esse et fabri filius haberi voluit.

OPUS ADSTAT SANE ARDUUM

Ex nova in mundo diffusione evangelici spiritus sperari potest instauratio in Christo.

Ex hac igitur nova in mundum diffusione Evangelici spiritus, qui christianae moderationis et universalis caritatis spiritus est, optatissimam illam ac plenam humanae societatis instaurationem in Christo illamque « Pacem Christi in Regno Christi » futuram confidimus, in quam ab ipso Pontificatus Nostri exordio, omnes curas Nostras omnemque pastoralem sollicitudinem intendere decrevimus firmiterque apud Nos statuimus (Cfr Litt. Encycl. *Ubi arcano*, d. 23 Dec. 1922); Vosque Venerabiles Fratres, qui Ecclesiam Dei, Spiritu Sancto mandante, Nobiscum regitis (Cfr *Act.*, XX, 28), ad eundem hunc praecipuum et in prasens maxime necessarium finem, in omnibus orbis partibus, etiam in regionibus sacrarum ad infideles Missionum laudabili admodum zelo impense adlaboratis. Vobis sint merita laudationum praeconia, simulque iis omnibus sive clericis sive laicis, quos eiusdem magni operis cotidianos participes atque validos adiutores laeti conspicimus, dilectos Filios Nostros Actioni Catholicae addictos, qui peculiari studio de re sociali curam, quatenus haec Ecclesiae ex ipsa sua divina institutione competit et incumbit, Nobiscum suscipiunt. Hos omnes etiam atque etiam in Domino hortamur, ut nullis parcant laboribus, nullis vincantur difficultatibus, sed magis magisque in dies confortentur et sint robusti (Cfr *Deuter*, XXXI, 7). Arduum sane ipsis aggrediendum proponimus opus: probe enim novimus utrinque, sive inter superiores, sive inter inferiores societatis classes, obstacula et impedimenta, quae vinci debeant, exstare plurima. Ne tamen animo despondeant: asperis certaminibus se obiicere christianorum est; graves autem exantlare labores, eorum qui ut boni Christi milites (Cfr II *Tim.*, II, 3) eum propius sequuntur.

Collaboratores omnes Antistites, clericos, laicos Actioni catholicae addictos Pontifex laudat et hortatur ut nullis vincantur difficultatibus, quae non dissimulantur.

Confidit in Deo et in anima naturaliter christiana.

Omnipotenti ergo auxilio unice confisi Illius, qui « omnes homines vult salvos fieri ». *(I Tim.*, II, 4), miseras illas animas a Deo aversas totis viribus iuvare contendamus easque a temporalibus curis abstrahentes, quibus nimis implicantur, ad aeterna fidenter aspirare doceamus. Id autem quandoque facilius obtinebitur, quam prima fronte sperandum forte videbatur. Etenim, si etiam in latebris vel perditissimi hominis latent, ceu igniculi sub cinere, mirae spirituales vires, testimonia haud dubia illius animae naturaliter christinae, quanto magis in

cordibus eorum quam plurimorum, qui potius per ignorantiam vel externa rerum adiuncta in errorem inducti sunt.

Laeta socialis restaurationis signa in opificibus et coetuum opificum ducibus.

Ceterum, laeta quaedam socialis restaurationis signa ipsa opificum agmina iam portendunt, in quibus magno animi Nostri gaudio confertos cernimus etiam globos iuniorum operariorum, qui et secundis auribus divinae gratiae consilia excipiunt et miro zelo socios suos Christo lucrifacere student. Nec minori laude prosequendi sunt opificum coetuum duces qui, propriis commodis posthabitis et unice de sodalium suorum bono solliciti, aequas eorum expostulationes cum totius artificii prosperitate prudenter componere et promovere satagunt, neque ab eximio hoc munere se deterrere sinunt ullis sive impedimentis sive suspicionibus. Quin et complures iuvenes, mox inter societatis proceres sive ob ingenium sive ob divitias clarum locum habituros, intensiore studio sociales res excolentes est cernere, qui sociali instaurationi totos se reapse dedituros laetam spem faciunt.

QUA VIA PROCEDENDUM

Oportet ut opifices sint opificum apostoli, commercii artificiique asseclae apostoli hominum suae professionis.

Itaque praesentes rerum rationes qua via, Venerabiles Fratres, incedendum sit clare demonstrant. Nobis enim nunc, ut alias non semel in Ecclesiae historia, mundus obiicitur magna ex parte in paganismum fere relapsus. Ut integrae hae hominum classes ad Christum, quem negarunt, reducantur, ex iis ipsis seligendi sunt et formandi auxiliares Ecclesiae milites, qui illos illorumque mentes et optata bene norint, qui in eorum corda suavi quadam fraterna caritate penetrare possint. Primi et proximi nimirum opificum apostoli, opifices sint oportet; apostoli vero inter artificii commerciique asseclas, ex iisdem hominibus esse debent.

Hos quaerere et instituere pertinet ad Antistites, ope sacerdotum ad hoc deputandorum.

Hos laicos cum opificum tum herorum apostolos studiose quaerere, prudenter eligere, apte excolere et instituere Vestrum, Venerabiles Fratres, vestrique cleri potissimum est. Difficilis sane provincia sacerdotibus imponitur, ad quam obeundam acri de re sociali studio rite parandi sunt quicumque in spem Ecclesiae adolescunt; sed maxime necesse est ut, quos peculiari ratione ad hoc munus deputaturi estis, tales se exhibeant, qui exquisitissimo iustitiae sensu praediti, cuicumque iniqua expostulanti aut iniuste agenti, virili prorsus constantia obsistant; qui prudentia et discretione a quovis extremo aliena excellant; quos praesertim caritas Christi intime pervaserit, quae una valet hominum corda et voluntates iustitiae aequita-

Qualitates ipsis necessariae.

tisque legibus fortiter simul et suaviter subigere. Hac via, quam felix rerum usus non semel comprobavit, omni alacritate incendendum esse non est cur ambigamus.

Hortatio ad ipsos directa, non omissa commendatione Exercitiorum spiritualium.

Hos autem dilectos Filios Nostros ad tantum opus electos enixe in Domino hortamur, ut excolendis viris sibi commissis totos se dedant, in eoque officio apprime sacerdotali et apostolico adimplendo christianae institutionis vi opportune utantur, iuvenes docendo, christiana sodalicia instituendo, studiorum coenacula condendo ad normam fidei excolendorum. In primis autem magni faciant et in bonum suorum alumnorum assidue adhibeant pretiosissimum cum privatae tum socialis instaurationis instrumentum, quod Litteris Nostris Encyclicis *Mens Nostra* (Litt. Encycl. *Mens Nostra*, d. 20 Dec. 1929) in Exercitiis spiritualibus positum esse edocuimus; quibus Litteris cum Exercitia pro laicis quibuscumque, tum etiam utilissimos opificum secessus aperte commemoravimus vehementerque commendavimus: in illa enim spiritus schola non modo optimi excoluntur christiani, sed veri quoque apostoli pro quavis vitae condicione instituuntur, et igne Cordis Christi inflammantur. Ex hac schola, ut Apostoli e Coenaculo Hierosolymitano, prodibunt in fide fortissimi, invicta in insectationibus constantia firmati, zelo flagrantes de Regno Christi quaquaversus propagando solum solliciti.

Robustis Christi militibus quantum hodie opus sit. Nihil sibi Ecclesia timet sed formidandis hominum malis commovetur.

Et sane, talibus nunc maxime opus est robustis Christi militibus, qui totis viribus adlaborent ad humanam familiam incolumem servandam ab immani prorsus exitio, in quod rueret si, spretis evangelicis doctrinis, ille rerum ordo praevalere permitteretur, qui non minus leges naturae quam divinas conculcat. Ecclesia Christi super inconcussam petram constituta nihil habet cur sibi timeat, cum pro certo sciat numquam fore ut portae inferi contra ipsam praevaleant (Cfr Matth., XVI, 18): quin immo tot saeculorum usu compertum habet se e maximis procellis fortiorem egredi solere novisque ornatam triumphis. Sed materna eius viscera nequeunt non commoveri ob innumera mala, quibus inter huiusmodi procellas tot hominum milia vexarentur, atque potissimum ob gravissima spiritualia damna inde secutura, quae tot animas Christi Sanguine redemptas ad aeternam agerent ruinam.

Nihil intentatum relinquatur.

Nihil igitur intentatum relinqui debet ad tanta mala ab humana societata avertenda: huc labores, huc industriae omnes, huc assiduae fervidaeque ad Deum preces vergant. Etenim, divina adiuvante gratia, humanae familiae sortes in manibus nostris sunt.

Ne sinamus prudentiores esse filios huius saeculi.

Ne sinamus, Venerabiles Fratres dilectique Filii, ut filii huius saeculi in generatione sua nobis prudentiores videantur, qui ex divina bonitate filii lucis sumus (Cfr Luc., XVI, 8). Illos siquidem deprehendimus summa sagacitate strenuos asseclas sibi seligere et instituere, qui errores suos per omnes hominum ordines totiusque orbis terrarum plagas in dies latius diffundant. Quandocumque autem Ecclesiam Christi vehementius impugnare suscipiunt, videmus eos intestinis dissensionibus sepositis in unam aciem magna concordia cogi et ad communem finem assequendum viribus prorsus unitis adlaborare.

ARCTA COMMENDATUR UNIO ET CONSPIRATIO

Instantissima unionis et conspirationis commendatio.

Iam vero, quot quantaque indefessus catholicorum zelus, cum ad bonum sociale et oeconomicum, tum in re scholari et religiosa ubique moliatur, nemo profecto est qui ignoret. Sed mira haec et laboriosa actio haud raro minus efficax evadit ob vires nimis in diversa distractas. Uniantur igitur omnes bonae voluntatis viri, quotquot sub Ecclesiae Pastoribus hoc bonum ac pacificum Christi certamen certare volunt; omnesque, Ecclesia duce ac magistra, in christianam humanae consortionis restaurationem, quam Leo XIII per immortales Litteras *Rerum novarum* auspicatus est, pro cuiusque ingenio, viribus, condicione, aliquid conferre nitantur; non se nec sua quaerentes, sed quae sunt Iesu Christi (Cfr *Philipp.*, II, 21); non propria consilia omnino urgere contendentes, sed ea vel optima remittere parati, si maius commune bonum id requirere videatur: ut in omnibus et super omnia Christus regnet, Christus imperet, cui « honor et gloria et potestas in saecula » (*Apoc.*, V, 13).

Benedictio Apostolica peculiari affectu manualium artium operariis, christianis heris operumque curatoribus impertita.

Quod ut fiat feliciter, Vobis omnibus, Venerabiles Fratres dilectique Filii, quotquot permagnae Catholicae familiae Nobis commissae estis membra, at peculiari quadam cordis Nostri dilectione opificibus aliisque manualium artium operariis a divina Providentia vehementius Nobis commendatis necnon christianis heris operumque curatoribus, paterno ex animo Apostolicam Benedictionem impertimus.

Dies (15 maii 1931).

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XV mensis Maii, anno MDCCCCXXXI, Pontificatus Nostri anno decimo.

PIUS PP. XI

ANNOTATIONES

I. In proponendis nostris annotationibus seu commentariis novae encyclicae socialis, is ordo nobis praefe-

rendus videtur, ut prius, de singulis partibus, dicamus quae advertenda vel explicanda occurrunt, ut dein encyclicam omnem simul non nullis considerationibus amplectamur. Analytica igitur expositio syntheticae praecedet.

Prior Pars. — Analytica expositio.

Non nulla initio notanda.

1. De ipso *titulo*, observes eum fuisse ipsis litteris authentice praescriptum; litterasque non ad solos Praesules sed « item... ad Christifideles catholici orbis universos » esse missas.

2. Ut quidpiam singulare, istud quoque animadvertendum est, ipsi textui insertum esse in exordio catalogum Litterarum quibus Leo XIII peculiari de sociali quaestione epistolae viam stravit, et paulo postea elenchum plurium documentorum quibus tum ipse Leo XIII, tum eius successores, tum alii Antistites doctrinam enc. « Rerum Novarum » urgere, interpretari, temporum rationi aptare non destiterunt. Ac notatur quisnam uberior fons documentorum adiri queat.

Minimum hoc praeterea indicare licebit, vocem *syndicatus* (a graeco *συνδίκη*) quae in Urbe et Italia, ex lingua italica potius interdum scribitur syndacatus, in praesentibus litteris, figura sua etymologica et extra Italiam usurpata non spoliari (1). Denique textus variis interpositis titulis quasi summariis distinguitur, quos esse etiam authenticos accepimus.

3. Porro in praesentium litterarum exordio praenuntia Litt. *Rerum novarum* acta Leonis XIII recoluntur; memoratur quaenam fuerit earum litterarum occasio seu opportunitas, summaria intentio, fortuna, apud plerosque non tamen apud omnes, maxime secunda;

(1) Voce primus usus est Pius X in enc. *Singulari quadam*, 24 Sept. 1912, in eaque nomen syndicatus adhibuit. Sed in decreto S. C. Conc. 20 Dec. 1914 (A. A. S. 1914, 6, 349) sermo fit de sindacalismo, sindacalistis. Immo in ep. Secr. Status ad can. Gaudeau p. 142 gallice occurrit syndacalisme. Quare in notis ad gall. epistolam 1929 ad Episc. Insulen., ipsi scripsimus, « syndacatus. »

demum novae de eodem argumento epistolae utilitas atque excogitata ratio demonstratur.

Iam in hoc initio admonemur quantum in volvendo isto argumento Leo XIII suo iure sit usus. Iudicium de his rebus ad se pertinere professus est quoque Pius X in litteris « Singulari quadam », 24 febr. 1912 (1); S. C. Concilii in litteris 5 iun. 1929 ad Epis. Card. Liénart (2); et nunc etiam SS. D. Pius Pp. XI, in praesentibus enc. litt. Huc, ni fallimur, spectat tam repetita professio seu declaratio ut, remota sic omni exceptione et controversia, doctrina, mundanis auribus nova, sublimis quidem sed severa, tamquam certissima magis dociles saltem fidelium aures reperiat.

Ipse Pontifex enc. suas litteras dividit in tria capita quae eius intentionem simul produnt, i. e. 1°) renovandi memoriam beneficiorum quae litt. *Rerum Novarum* Ecclesiae atque adeo humanae societati contulerint; 2°) earum doctrinam, « a dubitationibus quibusdam vindicatam » enucleatius quod ad quaedam capita evolvendi; 3°) « economia hodierna in iudicium vocata et socialismi cognita causa, radicem praesentis socialis turbationis » detegendi, « simulque unam salutiferae instaurationis viam » ostendendi, « christianam nempe morum reformationem ».

Attamen secunda pars mere inscribitur « Ecclesiae auctoritas in re sociali et oeconomica »; tertia vero pars « Res inde a Leone XIII plurimum mutatae », qui tituli argumento disputato non plene respondent.

I. *De Prima Parte seu Beneficiis enc. « Rerum Novarum ».*

Beneficia quae ex enc. *Rerum novarum* profluxerint grato animo expositurus, Pontifex ea ad tria capita

(1) Cfr *Periodica*, VII, 19 ss.
(2) Cfr *Periodica*, XVIII, 255 ss.

redigit, ostendendo quaenam fuerit post encyclicam actio *Ecclesiae,* actio *potestatis civilis,* actio *privatorum.*

1. Opera Pontificum, Praesulum (1), doctorum virorum qui *doctrinam* enc. *Rerum Novarum* urgere et novis adiunctis aptare non destiterunt, vera quaedam disciplina socialis catholica exorta est quae in solem et in pulverem processit, ita ut catholica de re sociali principia facta sint commune patrimonium non solum catholicorum sed etiam acatholicorum, non solum privatorum sed etiam legislatorum, magistratuum. Documento sint statutae Versaliis normae de opificum labore.

2. Doctrinam exceperunt studia practica, seu intensior operariorum cultus et multae consociationes, secundum Ecclesiae consilia, et plerumque sacerdotum ductu, conditae et constitutae.

Cum enc. *Rerum Novarum* liberalem errorem de Status provincia confutasset ac praesertim erga infirmiores et debiliores tutelarem publicae potestatis actionem praedicasset, optimi catholici simul perillustres fautores exstiterunt politicae socialis. Quare litteris *Rerum Novarum* acceptum referri merito potest ortam esse novam iuris disciplinae sectionem, quae nomine Oeconomiae socialis vel etiam, etsi minus proprie Sociologiae (2) appellatur, et quidquid etiam legum socialium a Parlamentis et suprema potestate sancitum est. Inde opificum condicionem in melius mutatam esse Pontifex agnoscit.

3. Beneficio etiam enc. « Rerum Novarum » leges

(1) Laudatur hic opus quod curis consociationis internationalis conditae Mechliniae anno 1920, modo prodiit Parisiis, ed. Spes, et refert, eadem resumendo, acta Pontificum et Episcoporum ab anno 1891-1931. Vol. XV-335 p. Inscribitur: *La Hiérarchie catholique et le problème social depuis l' Encyclique « Rerum Novarum ».*

(2) *Sociologia,* cuius Aug. Comte inventor exstitit, potius universitatem disciplinarum de homine et societate philosophice complecti debet. Exsistitne haec scientia, estne possibilis; id dubitatur, quamvis non pauci libri de sociologia agant.

coeperunt sodalicia operariorum admittere et catholici iis magis favere; ac secundum prudentissimas normas « Rerum Novarum », intensa cleri et complurimorum catholicorum laicorum opera, consociationes conflatae sunt opificum quae, ut Leo XIII iubebat, fundamentum in religione ponebant.

Consociationes istas varia ratione constitutas esse observat SS. Dominus, cum aliae omnes fines a Leone praestitutos aliae specialem persequantur. Hoc loco confirmantur commendationes Pii X enc. *Singulari quadam* de cooptatione catholicorum in syndicatus neutros, ubi potiores, suo catholico spiritu imbutos, condere nequeunt. Episcoporum est cooptationem istam approbare, cautione potissimum sumpta ut cum illis syndicatibus semper sodalicia adsint genuino Evangelii spiritu animatu.

Laeto animo Papa cernit sodalicia catholicorum iam viribus valere quamvis adhuc socialistarum et communistarum sodaliciis numero cedant (1).

Valde opportune memorat usum principiorum et normarum apud agricolas et mediae condicionis homines quorum florentes consociationes cum oeconomico emolumento animorum cultum feliciter coniungunt.

Spem denique fovet fore ut, superatis difficultatibus, etiam inter operum magistros sodalicia similis rationis floreant. Ac remittimur ad litteras S. C. Concilii ad Epis. Insulensem, 5 iun. 1929.

Concludit hanc primam partem SS. D., affirmando, Leonianas Litteras se, longinqui temporis usu, probasse *Magnam Chartam,* « in qua tota christiana in re sociali activitas tamquam fundamento nitatur oportet ».

(1) In internationali socialistarum foederatione, quae *secunda* dicitur, sunt numero quinquies decies milies milium operariorum (15.000.000); societates neutrae *(Trade Unions)* Foederatorum Statuum Americae Septemtrionalis socios operarios habent sexies milies milium (6.000.000); quae tertia dicitur internationalis communistarum Moscae refert decies milies milium operariorum cooptatorum (10.000.000); dum internationalis syndicalis christiana (catholicos et c ristianos acatholicos complectens) ter milies milium (13.000.000) ascriptorum numerat.

Cum in non una ephemeride Urbis, Litterae istae earumque commemoratio minoris habitae sint, « ii, sic Pontifex, vel quod ignorant blasphemant, vel de iis quae utcumque norunt nihil intellegunt, vel, si intellegunt, iniuriae et ingratitudinis sollemniter redarguuntur ».

Hactenus de Prima Parte, quam breviter complecti satis erat. Iam gradum facimus ad alteram Partem magis doctrinalem, in qua plura exploranda erunt.

II. *De altera Parte, seu Ecclesiae, in re sociali et oeconomica auctoritate et praeceptis.*

1. *Generalis vindicatio.*

In primis iudicium supremum de rebus socialibus et oeconomicis ad se spectare Pontifex declarat et demonstrat, facta distinctione inter ea quae artis sunt et ea quae ad regulam morum referuntur. Ordo enim oeconomicus non ita est a morali alienus ut ab isto non pendeat. Quod hoc argumento efficitur. « Ex rerum et hominis individua socialique natura (1), rationi fit manifestum qualis finis rei oeconomicae universae a Deo Creatore sit praescriptus. Sola autem lex moralis, qua iubemur in omni nostra agendi ratione finem nostrum supremum et ultimum quaerere, simul nos monet ut in singulis generibus eos fines quos Deus, auctor naturae, singulis proposuit recta persequamur, eos fini supremo subiciendo. Iam vero munus legis moralis universae divulgandae, interpretandae atque etiam urgendae, Ecclesiae ac proin Pontifici commissum est.

2. *Speciales definitiones.*

1. *De iure proprietatis.* Haec docentur:

a) Duplex est ratio privati dominii: *individualis,*

(1) Translatio tam italica quam germanica scripta est quasi dictum sit « ex natura rerum, atque individua et sociali natura hominis ». Sic enim habent: « Dalla natura delle cose e da quella individuale e sociale dell' uomo »; « aus der gleichen Sachgüterwelt sowie der Individual-und Sozial-Natur des Menschen ».

ut sibi familiaeque suae singuli providere possint; *socialis*, ut huius instituti ope, bona universae hominum familiae, cui Creator ea destinavit, vere inserviant. Vitandus igitur est tum *individualismus*, quo socialis et publica iuris indoles negetur vel extenuatur; tum *collectivismus*, quo privata atque individualis eiusdem iuris ratio repellatur vel attenuetur.

b) Severe carpuntur qui « probrosis calumniis Ecclesiam criminari non verentur, quasi permiserit in theologorum doctrinam dominii conceptum ethnicum irrepere cui alius sit prorsus sufficiendus, quem mira inscitia christianum appellant ».

Conceptus qui a non nullis ethnicus esse perhibebatur, continetur celebri iuris romani definitione, quam specifice neutram ostendimus in lucubratione *Soziale Krise un Reformtheorien* (1) vel *Crise sociale et théories réformistes* (2), cui alium quem christianum appellabant sufficere volebant catholici reformatores quos ibidem redarguimus.

Quomodo tamen, per plura saecula, romana iuris perfecti dominii definitio in scholas catholicas recepta fuerit iidem ignorare non poterant.

Quaeres iam quemnam conceptum ut specifice christianum perhibebant? Eum ni fallimur, quo, in ipsa definitione, officia quae cum iure proprietatis conexa sunt reddantur, ut si dixeris: « Ius proprietatis est ius dominandi re temporali, firma obligatione usus socialis ». Verum descriptio huiusmodi statim locum dat huic quaestioni: Estne ista obligatio iuridica an non. Si est iuridica, limitat ipsum ius, ita ut dominus qui usum socialem neglegat peccet contra iustitiam commutativam, vel suo dominii iure deiciatur: quod his encyclicis litteris et enc. *Rerum Novarum*

(1) *Theol. Prakt. Qtschft,* 1929, p. 710 ss.
(2) *Dossiers de l' Action populaire* 10-25 iuin 1930, p. 25 ss.

aperte reicitur. Si autem iuridica esse negatur, obligatio iuris definitione excludenda est.

Quare optime P. SCHWALM O. P. (1) ius dominii sic definit: « Ius utendi et abutendi quatenus *iuris* ratio patitur ».

Quaeres praeterea utrum annon ista censoria nota ipsa iuris romani definitio veluti canonizetur, ita ut v. g. tamquam incompleta vel ambigua iam impugnari non possit?

Resp. Nulla per ea Encyclicae, verba definitioni iuris romani immunitas a censura tribuitur: criminatio tantum de Ecclesia improbatur et prohibetur. Ratio responsi est quia Supremae auctoritatis vituperationes stricte interpretandae sunt.

c) Honestus dominii usus non iustitia sed aliis virtutibus imperatur. Quod ex ipsa enc. *Rerum Novarum* perspicue iam efficitur, cum declaret officia ista « Lege agendo petere ius non esse ». Verum enc. *Quadragesimo* id eo fine confirmat, ut controversiae de dominio atque eidem inhaerentibus officiis circumscribantur, quae agitari coeptae erant.

Instar corollarii repellitur mira quorundam recentiorum sententia, ius iisdem limitibus quibus honestum usum finiri; ac multo magis, utpote quod magis ordinem publicum perturbaret, assertum fere logice ex priore errore profluens, « ipso abusu vel non-usu ius proprietatis perimi aut amitti ».

Obiciunt quidem ius moraliter abutendi exsistere non posse. Cui difficultati hoc modo sine negotio satisfit: exsistere non potest ius quod ad moralem abusum datum sit, *conc.;* quod, concessum ad rectum usum, nonobstante abusu, perseveret, *neg.*

Ita, neque abusu membrorum, neque abusu matrimonii, neque abusu dignitatis, perit ius hominis in

(1) SCHWALM, *Leçons de philosophie sociale,* I, 307.

sua membra, ius coniugale, ius sacerdotii. Scilicet Deus abusum puniet, sed ius non aufert, quia ipso bono communi postulatur ut non pereat (1).

Quaeres quo tamen pacto possint, dum laudantur studia eorum qui officia dominii accurate investigant, supponi talia officia quibus ipsum ius circumscribatur?

Talia officia supponi possunt accedente lege positiva, de qua statim agetur.

Quanam autem mente ipsi huic laudi is modus imponitur « salva animorum concordia et doctrinae integritate » ?

Resp. Doctrinae integritatem S. Pontifex praeservatam vult, quia nullum bonum neglecta veritate quaerendum est, sed veritati satis fidere debemus ut non extra eam sed per eam speremus omnis boni finis consecutionem; animorum concordiam salvam esse vult, quia etiam veri praedicatio suavitate caritatis ungenda est, ut obtemperemus Apostolo dicenti: « Omnia vestra in caritate fiant ». (2)

Verum, valde notabile est quod Enc. ilico subiungit de munere potestatis publicae. Quae officia, stante iure naturae, non sunt iuridica, talia ex iure positivo fieri possunt. Etenim, sic Pontifex, eorum est qui rei publicae praesunt, definire, quatenus hoc sit necessarium, silente lege naturali, quaenam officia propter bonum commune a dominis privatis implenda sint. Quam amplam autem potestatem agnoscat Principi, ex eo elucet quod ipse Pontifex verba memoret, quibus ipsum proprietatis regimen maximae diversitati obnoxium esse posse agnoverit (3).

---

(1) Cfr *Crise sociale et théories réformistes,* p. 19, 20; vel *Soziale Krise und Reformtheorien,* p. 705.

(2) 1 Cor. 16, 14.

(3) Verba ista italice ore prolata dedimus in *Periodica,* XV, 162. Modo authentica eorundem latina conversio nobis suppeditatur. Quod utilitate non caret, cum in Viennensi Congressu sociali 1929, falso relata sint. Cfr citatam iucubrationem nostram, vel *Theol. Prakt. Qtschft.* 1929, p. 713, nota; vel *Dossiers de l'Action populaire,* p. 27, nota.

Dummodo intactum maneat « naturale ius possidendi privatim et haereditate transmittendi bona » nec immanitate tributorum et vectigalium idem. ius indirecte tollatur, plena facultas ei ascribitur usum dominii temperandi et cum communi bono componendi.

Quam ordinationem Pontifex proclamat esse amicam operam heris privatis praestitam, ne propter incommoda possessionis ad bonum commune non accommodatae, ipsum privati dominii regimen in exitum ruat.

Quaestio. Dum ius possidendi et transmittendi hereditate bona memorat esse naturale, intelligendumne est ius naturale stricte *immediatum*, an ius illud naturale quod *mediante ultroneo consensu* hominum constituitur et olim vocabatur *ius gentium?* Prior ratio satis invaluit post C. DE LUGO, (De Iust. et iure, d. 6 s. 1.) altera communis erat S. THOMAE et scholasticorum superioris aetatis, ut probat iste locus S. Thomae, 2, 2, q. 66, art. 2 ad 1. « Proprietas possessionum.... .... iuri naturali superadditur per adinventionem rationis humanae (1) ». Liquet id a S. Pontifice in medio esse relictum.

Verum, omissa etiam legis positivae actione, S. Pontifex, appellans S. Scripturam, SS. Patres, confirmat non qualecumque sed *gravissimum* esse divitum officium ut per reditus quibus ad vitam convenienter et decore sustentandam non egent, exerceant misericordiam, beneficientiam vel magnificentiam. Atque eam magnificentiam approbat qua ad bona vere utilia comparanda largiores impendantur proventus ut multis commoditas laborandi suppeditetur.

Error etiam revincitur opinantium solo labore seu industria, non autem occupatione rei nullius dominium acquiri posse. Quod omnium temporum traditione et

(1) Cfr Theol. mor., I, 256; *Quaestiones de iustitia*, n. 197 et 207.

doctrina LEONIS XIII dicitur firmatum. Quomodo occupatio vere sit titulus primigenius, atque ipsa industria ut excellentissimus occupationis modus habendus sit, ostendere conati sumus in *Principes de morale sociale*, II; et citata disputatione *Prakt. Theol. Qtschft.*, 1929, p. 708 s; *Dossiers de l'Action populaire*, p. 23-25.

Dum exponendo doctrinam enc. de proprietate, non possumus non laetari de convenientia nostrae humilis lucubrationis cum oraculis Pontificis (1), simul praetereundum nobis non est ea a Pontifice scripta esse ut « controversiis quae de dominio officiisque eidem inhaerentibus certi limites ponantur ». Optat si quidem Pontifex ut quo maior consensio fiat animorum, eo valentior evadat bonorum actio ad bonum commune. Quare de nullo triumphare velimus, nullam in intentiones suspicionem moveamus, fiat fraterna conspiratio pro salute communi.

3. *Quid sit capitali cum labore.*

Transeundo ad hoc alterum controversiarum caput, Pontifex exorditur a celebranda, post LEONEM XIII, efficientia opificum in gignendis divitiis; simul tamen recordatur eos nihil posse nisi Deus opes ac vires naturae (seu capitale) prius largitus esset. Rectus autem ordo postulat ut suum quaeque res dominum suum habeat.

Quare nisi quis in re sua laborem exerceat, opera et res alterius consociari debent, cum neutra sine altera quidquam efficere queat. Inde alterutri totum ascribere falsum foret; iniustum autem alterutri tribuere communis operae fructum.

Ad haec magis particularia sed valde attendenda Encyclicae litterae se flectunt.

---

(1) In hoc magis laetari nobis licet, quod neque in postulanda, neque in conscribenda, neque in examinanda Encyclica epistola ullam vel minimam, partem habuimus. Monumentum nos latuit donec publici iuris factum non fuerit.

1. Diu capitale sibi nimium praeripere potuit, cum operario non relinqueret nisi quae viribus reficiendis et recreandis sufficerent, spoliando sic operarios « nativo iure melioris adipiscendae fortunae ». Agnito autem tali nativo iure, consequitur, sublata tali spe, per se damnosam operario iniuriam committi.

2. Non minus autem iniustum foret omnia operariis tribuere praeter ea quae capitali reficiendo et recreando sint satis.

3. Quia « utcumque inter privatos distributa, inservire omnium utilitati terra non cessat » *(Rerum Novarum,* n. 7), ea sola distributio probari potest quae servet commune societatis universae bonum. Istud autem non servatur, si altera classis alteram ab emolumentorum participatione excludit. Hoc « *Iustitiae Socialis* lege facere vetatur ».

Opportune hic observat SS. Dominus, inepte hac in re appellari Apostolum dicentem « Si quis non vult operari, non manducet », quasi Apostolus unicum titulum recipiendi victum et proventus hic agnoscere velit (1).

Atque efficiendum dicit ut « ad communis seu socialis iustitiae normas revocetur et conformetur partitio bonorum creatorum, quam hodie, ob ingens discrimen inter paucos praedivites et innumeros rerum inopes gravissimo laborare incommodo cordatus quisque novit ».

Non diffitetur quidem in melius restitutam esse atque aequiorem factam in pluribus civitatibus operariorum condicionem, sed innumerabilem cernit proletariorum numerum in novis terris « in remoti Orientis regnis », ac ruri, ubi tot sunt qui spe deiciuntur « quippiam quod solo contineatur » umquam obtinendi.

(1) 2 Thess. 3, 10. Apostolus verba quae apud Hebraeos in proverbium venerant mere allegat ad non nullos Thessalonicenses carpendos qui, res novas non suas aucupantes, se improbando otio dederant.

Itaque esse recte distributas divitias negat, atque indicat quo, sine mora, enitendum sit, ne ordo publicus, pax et tranquillitas societatis humanae perire cernantur.

4. *De iusto salario.*

Ad censum aliquem opifex pervenire nequit nisi per mercedem. Inde magnam quaestionem de salario Pontifex inire proponit, doctrinam et praecepta Leonis, ubi opus fuerit declarando et evolvendo.

Itaque de salario haec docet.

a) Vi sua iniustus non est contractus operae conducendae et locandae. Absona dicunt qui societatis contractum in eius locum sufficiendum esse affirmant. Itaque etiam probandum non est quod, mense iunio 1882, catholici e variis nationibus cum optimo viro VON VOGELSANG, in Bohemiae castello Haid de re sociali deliberantes statuerant, contractum inter operariores et operarum magistros formam cuiusdam societatis necessario induere debere.

b) Sed valde hodie optandum est ut contractus operae per societatis contractum aliquantisper temperetur.

c) Quaenam sit iusta merces ex pluribus nominibus aestimandum est. Cfr infra secundam quaestionem.

d) Falsa haec regula pronuntiatur: « tanti opera valet et tantidem est remuneranda quanti fructus aestimantur ex eo parti ». Duplicem enim ob causam est haec regula iniusta, quatenus periculum negotii cui est extraneus in conductum operarium transfert; et quatenus ei soli omnes collectos fructus addicit. Hoc praesertim ei obicere videtur Pontifex: verbis tamen minus perspicuis, cum ad refutationem a se factam antea (1) remittat.

e) In opera, praeter individualem, socialis quo-

(1) Operam *locans* est opifex; magister est *conductor*.

que ratio consideranda est. Ut enim fructus suos gignat, efficientia hominum postulat corpus sociale et organicum, quod in ordine sociali et iuridico bene constituto vires suas tueatur; postulat quoque conspirationem et consociationem variarum artium inter se.

f) Quomodo ex triplici respectu operarii, officinae vel negotii et boni communis salarium aestimandum sit, dicetur infra, in altera parte, VI, 2ª quaest.

Coniunctis viribus, et auxiliante potestate publica, opifices et moderatores difficultates iustae pendendae mercedis, superare conentur. Si res ad summas angustias deducta fuerit, deliberandum erit de meliore modo quo opificibus consuli queat. Ipso ergo iustitiae commutativae officio rectores eam officinae condicionem procurare debent ut congruentis salarii solvendi facultatem tribuat.

5. *De ipsis institutionibus reformandis.*

Postquam haec de singulis personis edixit, iam de ipsis institutionibus deliberandum est quid in iis desideretur et perficiendum sit.

I. *De ipsa re publica.*

Haec, ex liberali errore, paene sola cum singulis, sine subsidio socialis compositionis hodie reperitur.

a) Hierarchia communitatum maxime commendatur. Curae minoris momenti minoribus coetibus permittantur nec velit suprema potestas omnia procurare.

Id, monet Pontifex, iura laederet minoris coetus, v. g. municipii, cum non magis quam singularibus hominibus, fas sit minoribus communitatibus eripere quae ipsae praestare possunt, atque id damnosum sit ipsi rei publicae, quae nimis multis curis impeditur quominus libere, fortiter et efficaciter quae sua sunt administret.

b) Dein ut classium oppositarum bellum cesset, Pontifex *restitutionem suadet ordinum* « quibus inserantur homines non pro munere quod quis in mercatu

laboris habet » (ubi operae locator conductori opponitur), sed pro arte vel professione cui incumbunt. Optat igitur ut ea quae « *verticalis* » seu ad perpendiculum facta dicitur societatis divisio succedat *parallelae*, quae coniungit personas non similis artis sed similis patrimonii. Germanice et flandrice dicitur: *Ständeorganisation; Standsorganisatie*. Praeter propriam quam de sua quisque professione sollicitudinem singuli ordines gerunt, amice dein in commune bonum conspirare debent. Neque hac ordinatione separata deliberatio excluditur qua heri, qua operarii suis propriis utilitatibus consulant.

c) Ceterum quod ad formam, integrum est hominibus quamlibet collegiorum formam eligere quam maluerint, eam disciplinam, eas leges praefinire quae maxime ad propositum conducant. « Eadem affirmanda est libertas consociationes instituendi quae singularum artium limites excedant. Sicut qui in eadem arte versantur liberas alii cum aliis consociationes inibunt ad fines aliquo pacto cum ipsa exercenda arte conexos ». Exoptat S. Pontifex ut iam exsistentes liberae associationes modo laudatis collegiis viam parent.

II. Apte temperandum est *liberum virium certamen*, quod quamvis, si certis finibus contineatur, aequum et utile esse possit, rei oeconomicae dirigendae impar esse ipsa experientia probatur.

Neque *oeconomicus potentatus* (« trust » etc.), quo nunc liberum certamen partim supprimitur, directivum istud principium esse potest, cum ipse fortiter frenari et sapienter regi debeat.

A sociali igitur iustitia et aequitate exspectandum est ut tale constituatur principium quod sit efficax. Caritas autem, nec sola iustitia anima esse debet eius ordinis « ad quem efficaciter tuendum et vindicandum auctoritas publica alacris incumbat oportet ».

Immo decet et opportunum est ut consociatis stu-

diis ac laboribus, variae nationes faustam in re oeconomica conspirationem promoveant.

III. *De recenti in Italia inducto regimine sodalicio.* Exstat in Italia ipsa civili potestate constitutus syndicatus in personam moralem, cum privilegio monopolii, cum ille solus sociorum iura vindicare, de opera locanda et conducenda pacisci et laboris foedere firmare queat.

Syndicatui isti nomen dare vel negare unicuique integrum est; sed tributis solvendis, pactionibus iuridico syndicatu initis servandis omnia non modo syndicatus, sed ipsius professionis membra adiguntur. Aliae eiusdem professionis asseclarum consociationes non vetantur sed iure agnitae non sunt. Collegia seu corpora constituuntur ex delegatis utriusque, operariorum et herorum eiusdem artis syndicatus, et, tamquam propria Status instrumenta, syndicatus dirigunt atque in rebus oeconomicis ad unum idemque coordinant. Operistitia vetantur; si partes litem componere non possunt, adest magistratus.

Facta summaria institutionis descriptione, aequum de ea iudicium profertur, quo quid bonum contineat laudatur, quid periculosum non reticetur.

Diversarum classium opera pacifice sociata, socialistarum repressa sodalicia, molimina cohibita, peculiaris magistratus moderatricem auctoritatem exercens: Haec sunt institutionis commoda. Timetur tamen ne res publica se liberae activitati substituat, ne novus ordo complexam administrationem et politicam nimis sapiat, et particularibus politicis scopis potius inserviat quam ad meliorem ordinem socialem instaurandum et promovendum conducat.

6. *Melioris* autem *rerum condicionis spes* undenam nasci debet?

Ex Deo qui propitius adsit; ex conspiratione eorum qui simul boni sint et technice vel socialiter

periti; et abundantiore usu principiorum catholicorum quae Ecclesiae tuetur.

7. *Necessitas reformationis morum* ad ipsam socialem instaurationem praedicatur. Pontifex demonstrat, memoratis causis, cur ipse corporativus ordo perierit: i. e. amore proprio quo alii collegii bonis excludebantur; et spiritu rebellionis quo « omne detrectare imperium conati sunt ». Ac iam ad tertiam Partem fit transitus.

III. *De Tertia Parte, seu de mutatis rebus atque ad eas accommodatis consiliis.*

I. *De mutato ordine oeconomico.*

Ut doctrinam enc. epistolae breviter complectamur, capitalisticum regimen illud esse definitur quo alii rem alii operam praestant; ac pronuntiatur non esse per se damnandum. Ostenditur deinde quomodo etiam regiones agricolarum invaserit, et potentatum permiserit paucorum « qui plerumque non domini sed depositae rei custodes tantum et administratores sunt », ita ut libera competitio ad finem venerit.

Inde oeconomia horrendum in modum dura, immitis, atrox est facta; res publica autem « hominum libidini et cupiditatibus tradita et mancipata ». Exinde, inter nationes natus est ex una parte « nationalismus » vel « imperialismus », ex altera parte « imperialismus internationalis »; ita ut peccetur tum excessu tum defectu: *excessu* amoris patriae qui nihil ultra considerat; *defectu* amoris patriae « cui, ubi bene ibi patria est », seu contempto omni vero patriae amore.

Remedia a S. Pontifice non alia indicari potuere nisi applicatio doctrinae quam in altera parte exposuit et cuius summa capita recolit.

II. *De mutato socialismo.*

Observat S. Pontifex socialismum esse hodie discissum in duas partes, alteram alteri infensissimam. De violentiore seu communismo, cuius vividam imaginem

describit, statim merito subiungit: « Sine profundo dolore contemplari non possumus incuriam eorum qui imminentia haec pericula contemnere videntur et inerti quadam desidia patiuntur propagari quaquaversus ea quibus per vim, per caedem tota societas contrucidetur ». Sed simul condemnare non omittit socordiam eorum qui auferre aut mutare neglegunt eas rerum condiciones quibus exasperati populorum animi ad novas res incitantur.

De *mitiore forma* eleganter quaestio solvitur utrum annon catholicus, temperando propria principia, cum socialistis coniungi possit.

Id autem fieri posse prorsus negatur, tum quia pleraeque socialistarum factiones classium pugnam, dominii privati exstinctionem potius mitigant quam abdicant; tum quia etiam si genus quoddam oboriatur quod oeconomice reprehendendum non fuerit, non ilico naturam suam religioni contrariam abdicarit. Neque cum dogmatibus christianis componi potest, quia finis supremi ad quem omnia referenda sunt, penitus ignarus et incuriosus, societatem fingit a christiana veritate maxime alienam, bonis materialibus penitus addictam atque omni ad Deum respectu solutam.

Hac occasione, Pontifex commonefacit ignaros aut socordes de periculo quod societati creat molimen plurium sectarum, educandi socialistice iuventutem (1), id memorando, socialismo parentem fuisse liberalismum, heredem vero « bolscevismum futurum ». Eos autem qui (praesertim in regionibus linguae germanicae) rubrum vexillum sequi coeperunt, paterne ut redeant hortatur.

(1) Operae sane pretium est observare quomodo coeperint methodo uti magis positiva, quae catholicam institutionem imitari videtur. Monent enim adolescentes ut propriae dignitatis curam gerant, ut sint puri, urbani etiam adversus partes contrarias, sobrii: immo suadent ut vino, « tabaco » abstineant. Sed suppressa religione, quam studio communitatis suppletam velint: quo honestior se externa species prodiderit, eo vis corruptelae magis timenda erit.

Verum simul valde deflet fuisse et etiam nunc esse qui, cum se profiteantur catholicos, nihilo minus operarios vexare non vereantur, immo esse qui nomine religionis vexationes velare conentur. Hi causa sunt cur Ecclesia insimulari immerito potuerit quod partes locupletum tueatur.

III. *De renovandis moribus.*

Haec, quantum ad ipsam oeconomicam restaurationem necessaria sit, enc. epistola demonstrat vivida descriptione miseriae moralis qua mundus affligitur ex inexpleta siti divitiarum, quae, omni alia sollicitudine deposita, « se super omnia et prae omnibus » quaerens, « ne maxima quidem in alios delicta sibi religioni verteret ». Deplorat quoque gravissima pericula quibus in modernis officinis obiciuntur « operariorum (iuniorum praesertim) mores et puellarum aliarumque mulierum pudicitia » ; absonam multorum habitandi rationem ; violationem festorum, universalem sensus christiani extenuationem.

Remedium ex reditu ad plenum evangelium quaerendum est. Potiores partes lex caritatis hic tenere debet : haec sola ad corda unienda animosque copulandos valet. Ac redarguuntur incauti reformatores, « qui solam iustitiam eamque commutativam servandam curantes, caritatis auxilium superbe reiciunt ».

Ad arduum opus quod adstat confidenter suscipiendum vel continuandum omnes et ubique Pontifex hortatur.

In omnibus animis, sic ipse, latent mirae spirituales vires ; ac laeta socialis restaurationis signa portenta in opificum agminibus, in confertis globis iuniorum operariorum salutare licet. Laudatis iis qui se operi devovent, monet ut auxiliares Ecclesiae milites inter ipsos operarios inveniant. Quales sacerdotes arduo operi praeficiendi sint, SS. Dominus explicat, nec

neglegant tantopere a se commendatum instrumentum exercitiorum spiritualium.

Demum, antequam omnibus, peculiari tamen affectu opificibus, manualium artium operariis, christianis heris operumque curatoribus paterne benedicat, SS. Dominus Pius Pp. XI encyclicas litteras « *Quadragesimo*, sic nervose concludit: Non sibi sed societati timet Ecclesia. Nihil igitur intentatum relinquatur; sitque in bonum sociale et oeconomicum omnium concors actio et conspiratio.

Altera Pars. — Syntheticae Conclusiones.

Propositum Partis. — In hac altera parte Annotationum nostrarum, quae simul est principalis, prius syntheticam expositionem adumbrabimus, encyclicam epistolam *Quadragesimo* cum encyclica epistola *Rerum Novarum* conferendo, ita ut ordine dicamus: quaenam sit genuina ratio praesentis monumenti; quaenam in eius doctrina maxime notabilia esse videantur; quaenam cum epistola *Rerum Novarum* communia habeat; quaenam ad priorem superaddat; quaenam sibi propria nos doceat.

Deinde non nullis quaestionibus, quae ad pleniorem monumenti intellectum utiles videntur satisfacere conabimur.

I. **Vera encyclicae epistolae ratio.** Si consideremus praesentis epistolae occasionem, id est, quadragesimi anniversarii a datis litteris *Rerum Novarum* celebrationem; propositum recolendi istarum litterarum beneficia, elucidandi et evolvendi earundem doctrinam de re sociali et oeconomica; et frequentissimam earum in nova epistola invocationem, ac multos allegatos locos, nova epistola encyclica merito appellari potest encyclicae epistolae *Rerum Novarum* continuatio et ad praesentia adiuncta accommodatio.

II. Quaenam, nostra sententia, maxime notabilia in doctrina praesentis epistolae occurrant.

1. In primis, valde notatu dignum est prorsus reici postulationes quibus non nulli, etiam catholici viri, in Austria et Germania impetebant, ut in se malum, regimen quod « capitalisticum » nominabant; et repudiatis notionibus quae classicae perhibebantur, nova placita de dominii privati definitione, de officiis dominorum, de titulo acquirendi dominii, de fructu capitalis vulgare conabantur (Cfr nostram supra citatam disputationem de his rebus).

2. Aeque dignum attentione est iudicium quo declaratur nec labori nec capitali locato satis rependi si mere recipiant unde reficiantur et recreentur.

3. Contractus locatae conductae operae pronuntiatur non esse vi sua vitiosus.

4. Titulus primigenius acquirendi dominium est occupatio.

5. Ius est communitatibus minoribus ut res suas administrent.

6. Catholici nulli socialismo, etiam maxime temperato nomen dare possunt.

III. Quaenam sint novae encyclicae epistolae cum priore de re sociali communia?

1. Utriusque epistolae est commune istud summum principium: frustra extra Deum et religionem quaeri pacem et ordinem; remedium autem potissimum ex effusa caritate sperandum esse.

In ordine autem oeconomico, ambae, ut maxime vitiosam denuntiant nimiam dissimilitudinem qua divitiae paucorum in plurimorum miseriam insultare videntur; ac radicem malorum indicant inexplebilem divitiarum et temporalium bonorum sitim.

2. Utraque socialismum et liberalismum oeconomicum confutant et repellunt, atque individualismum praesentis societatis correctum velint.

3. Utraque beneficam Ecclesiae actionem celebrant, atque, in sublevanda societate partes positivas etiam potestati publicae assignant, ita tamen ut incolumem esse iubeant libertatem civium et patrum familias.

4. Ab initio autem utraque epistola ius Ecclesiae vindicat causas sociales et oeconomicas iudicandi.

IV. **Quaenam, in communibus documentis, nova epistola ad priorem superaddat?**

Namque in encyclica epistola *Quadragesimo,* satis generalis intentio deprehenditur progrediendi ultra encyclicam *Rerum Novarum,* seu, ut in ipsis litteris scribitur, eam evolvendi. Itaque:

1. Tam Leo XIII quam praesens Pontifex medicinam dilatam non tolerabant. Sed dum prior, sub finem epistolae « accingendum dicebat ad suas cuique partes, ne tantae iam molis incommodum fiat insanabilius cunctatione medicinae », SS. D. Pius Pp. XI multo magis nec semel de imminentibus malis nos commonefacit. Indicata condicione quae proletariis procuranda est, haec subiungit: « quae nisi pro virili ac nulla interposita mora suscipiantur ad effectum deducenda, ordinem publicum, pacem et tranquillitatem societatis humanae contra novarum rerum concitatores efficaciter defendi posse nemo sibi persuadeat » ; atque in fine epistolae haec habet: « Nihil igitur intentatum relinqui debet ad tanta mala ab humana societate avertenda: huc labores, huc industriae omnes, huc assiduae fervidaeque ad Deum preces vergant. Etenim, divina adiuvante gratia, humanae familiae sortes in manibus nostris sunt ».

2. Auctor epistolae *Rerum Novarum* volebat ut opifices e misera seu iniqua sua condicione eriperentur, sed hodiernus Pontifex, quo conandum sit, ad quamnam vitae condicionem omnibus accessus parari debeat, tam in encyclica *Casti Connubii* quam in praesenti epistola satis fuse describit.

Quare dici quoque possit praesentem epistolam aliquanto meliore spe esse scriptam. Namque, dum LEO XIII multus est in memorandis malis nostrae vitae terrestris et in praedicanda christiana resignatione, SS. D. PIUS XI non infelicem sortem omnibus per se quasi debitam docet, ac proin spem fovet fore ut copia alimentorum humano generi tanta sit ut « aurea quae dicitur mediocritas », nulli honesto ac sobrio operario impervia maneat.

3. LEO XIII sodalicia operariorum et herorum in votis habet eaque legitima declarat; sed PIUS XI plura consilia de iis bene constituendis subiungit, eaque etiam in medii ordinis civibus florentia approbat.

4. LEO XIII ius proprietatis privatae ut a natura datum docebat; PIUS XI simile ius esse pronuntiat bona transmittendi hereditate.

5. LEO XIII mere statuebat infra quem limitem merces operarii haerere per se non poterat; PIUS XI normas de recta totius salarii aestimatione tradit.

6. Non secus ac LEO XIII obligationes recte dominio utendi iuridicas esse negat, sed continenter addicit potestati publicae facultatem eas, iusta lege, faciendi iuridicas.

7. Dici quoque in universum potest, praesentem epistolam intentione magis directe et magis ample sociali esse confectam. Duabus notis quae LEO XIII labori natura insitas monebat, ut esset simul personalis et necessarius, SS. D. PIUS Pp. XI tertiam addit et urget qua dicitur *socialis*. De sola opificum condicione se agere velle, LEO XIII initio epistolae *Rerum*

Novarum profitebatur, dum magis explicite praesens encyclica de universo Societatis ordine instaurando dicere intendit. Quare, dum legimus: « quae de partitione aequa bonorum et de iustis salariis hucusque enuntiavimus, singulares personas respiciunt nec nisi oblique socialem ordinem attingunt », manifestum se prodit propositum ipsum societatis ordinem directe penetrandi.

8. Magis etiam quam encyclica *Rerum Novarum,* praesens epistola plura particularia et bene vel periculose acta memorat: Mechliniensis elenchus actuum Pontificum et Praesulum laudatur; agmen J. O. C. et florentes syndicatus celebrantur; optantur meliora futura de syndicatibus herorum; Italica ordinatio de labore examinatur; periculum demonstratur conatus socialistarum educandi pueros; improbatur cooptatio catholicorum in socialistas; damnatur calumnia de ethnico proprietatis conceptu quem Ecclesia in suis scholis permiserit.

V. Quaenam propria et sua nos doceat praesens epistola?

Ipsa magis generali intentione agendi de re sociali universa ac recentioribus disputationibus catholicorum, SS. D. PIUS Pp. XI perductus est ad complura nobis tradenda de quibus in epistola *Rerum Novarum* sermo non instituitur. Haec iam nobis breviter recolenda sunt, eo fere servato ordine quo in litteris occurrunt.

1. Confirmatur enc. epistola PII X, *Singulari quadam*, 24 Sept. 1912, condiciones praefiniens de modo quo catholici, ubi necesse fuerit, syndicatibus *neutris* adhaerere possint. Ambae hae tamen, quae suo momento non carent observandae sunt, discrepantiae quibus epistola PII X a praesenti differt. PIUS X de *mixtis* seu « interconfessionalibus », non de *neutris* age-

bat, ac mere *tolerantiam* cooptationis permiserat, dum nunc episcopi *approbare* possunt ut ex necessitate et remoto periculo religionis, catholici syndicatibus *neutris* adhaereant.

2. Calumnia retunditur quod Ecclesia permiserit in scholis catholicorum paganum dominii conceptum.

3. Prorsus reicitur placitum quod dominium staret sub condicione resolutoria recti usus.

4. Formaliter potestati publicae addicitur ius accommodandi ad bonum commune ipsum regimen proprietatis privatae.

5. Laudabilis magnificentiae notio datur; laudantur qui commoditatem laboris suppeditant.

6. Occupatio ut primigenius titulus acquirendi dominium formaliter agnoscitur.

7. Falsa interpretatio loci Thess. III, 8-10 confutatur.

8. Vult Pontifex ut operarius spem nutriat perveniendi ad meliorem condicionem: quod cum ipsa hominum natura et propensione congruum est.

9. Sollicitudo Pontificis ad agricolas et ad operarios totius mundi extenditur.

10. Contractus conductae et locatae operae per se non iniustus esse docetur.

11. Organica societatis constitutione classium conflictum temperare PIUS XI meditatur.

12. Ius tuetur minorum consociationum agendi res suas, ita ut iniuria fieri dicatur quod publica potestas minores istas curas ad se revocet.

13. Necessarium pronuntiat directivum oeconomiae principium. Ad hoc constituendum, Pontifex exoptat ut variae nationes studia laboresque consocient.

14. Potentatum argentariorum et foederatarum consociationum improbat.

15. Frenum ponendum dicit libero certamini oeconomico.

16. Repellit omnem socialismi formam, et negat

quempiam posse esse simul catholicum et vere socialistam.

17. Quam multa iniusta fiant in negotiis hodiernis memorat.

18. Negat iustitiam sufficere posse et praedicat necessitatem caritatis, quae coniungat personas.

19. Periculis moralibus quibus operarii in officinis obnoxii sunt valde etiam commovetur.

20. Laeta quaedam socialis restaurationis signa portenta cum gaudio cernit.

21. Vult ut rebus socialibus addicantur sacerdotes, quorum qualitates describit.

22. Laudat operarios qui ipsi apostoli fiant operariorum.

23. Exercitia spiritualia commendat, quibus etiam selecti viri praeparari possint qui vere sint milites Christi.

VI. **Quibusdam quaestionibus fit satis.**

1. Quaenam *dubia* de doctrina enc. *Rerum Novarum* praesenti epistola enc. solvuntur?

Resp. SS. D. N. Pius Pp. XI nullatenus opus assumpsit dissolvendi dubia et incerta quae enc. *Rerum Novarum* inesse ipse putaverit. Contra, doctrinam istius epistolae eam confirmando a dubiis vindicare cogitavit: vult doctrinam istam « a dubiis quibusdam vindicatam » (1); agitur ergo de falsis commentis quae dubia gignere potuerunt. Ideo in sua Encyclica epistola, SS. D. resolutionem talium dubiorum ex Leone XIII confirmare solet. Commenta ista in secunda encyclicae Parte repudiata notionem proprietatis privatae adulterabant, sterile volebant capitale, etc.

(1) Quare italice dicitur: « Rivendicare la dottrina... contro alcuni dubbi sorti in tempi recenti; » — germanice autem: « des grossen Meisters Gesellschafts und Wirtschaftslehre gegenüber gewissen Erörterungen die sich daran geknüpft haben, zweifelsfrei klar stellen ».

2. Quaenam statuit praesens epistola de *iusto salario?*

a) « Operario, ex *individuali mercedis ratione,* ea merces suppeditanda est quae ad illius eiusque familiae sustentationem par sit ». Ad quam sustentationem non oportet ut mater et minores concurrant, nisi per operam aetati, sexui et condicioni uxoris consentaneam.

Quonam autem *titulo* merces talis debeatur, id silentio premitur.

b) *Ex officinae et operam locantis condicione* aliqua maxima iusti salarii quantitas eruitur. Tantum enim esse nequit salarium quod officinatorem non segnem et officinam ad ruinam redigat.

c) « Alienum est a iustitia sociali ut salaria nimis deprimantur aut nimis extollantur ». Utrumque enim vitium, quamvis aliter et aliter, causa est « cur ab opera locanda operarii arceantur ». Quod *bono communi* adversantur. Necesse enim est ut « iis qui laborare et valent et volunt, laborandi opportunitas praebeantur ». Aliter, inquam, et aliter. Si enim nimia statuantur salaria, vel magistri officinarum officinas claudunt, vel, sine temperata transitione, operarios machinis aspere supplere tentant. Si nimis exigua statuantur salaria, locus operistitiis datur.

d) Oportet ut merces tanta sit per se quae operario spem melioris condicionis quondam assequendae et ad stabile dominium perveniendi afferat. Hoc enc. epistola ex boni communis ratione postulat; et censemus stricta iustitia per se requiri, cum iusta merces ad naturalem virium capacitatem aequanda sit; capacitas autem illa congruat cum hominis natura. Homo autem plerumque, non solum ad familiam fundandam vocatur, sed etiam totus ad usque meliora obtinenda propendet.

Hac ratione statuendi iustam mercedem, opera

humana ne specie tenus quidem in contractu tamquam merx consideratur: quod sane valde probandum est.

Num tamen idcirco repudiatur mensura obiectiva valoris quam ex LIBERATORE mutuavimus (*Quaest. de Iustitia,* n. 439, 3.)?

Minime, materialiter enim cum praesentibus normis congruit, cum ambae normae fertilitate naturali laboris nitantur. Sic enim dicebamus: vires adultorum per se praeditae sunt fertilitate qua valeant ad sufficiendum sibi et domui suae (non exclusa moderata cooperatione uxoris et filiorum). Haec fertilitas mercede compensanda est.

3. **Quaenam iustitia socialis non semel in enc. epistola " Quadragesimo „ ut titulus exigendi invocatur?**

Invocatur: *a)* Ubi agitur de principio directivo iustae distributionis. « Divitiae... singulis personis et hominum classibus ita attribuantur oportet, ut salva sit illa quam Leo XIII laudat communis omnium utilitas, seu aliis verbis, ut immune servetur societatis universae commune bonum. Hac *iustitiae socialis lege* altera classis alteram ab emolumentorum participatione excludere vetatur ».. Sua igitur cuique pars bonorum attribuenda est, efficiendumque ut ad boni communis seu *socialis iustitiae* normas revocetur et conformetur partitio bonorum creatorum.

b) Ubi agitur de iusto salario: « Si in praesentibus rerum adiunctis non semper id praestari poterit, postulat *iustitia socialis* ut eae mutationes quam primum inducantur quibus cuivis adulto operario eiusmodi salaria firmentur ».

c) Postquam observavit publicum ordinem, pacem et tranquillitatem totius orbis terrarum in discrimen adducta esse ex multitudine operariorum qui carebant labore, haec SS. D. addit: « Alienum est igitur a *iu-*

stitia sociali.. ut salaria nimis deprimantur aut extollantur. »

Ex istis locis perspicitur sollicitudinem de iustitia sociali eandem esse ac sollicitudinem de bono communi. Est igitur virtus quae bono communi consulit, seu rationes boni communis tuetur. Vocatur iustitia, quatenus res et personas ad bonum commune aequare conatur: iustitia facit aequalitatem.

Verum haec non est una virtus specialis, cum bono communi tutando variae virtutes praeficiantur. Quare quenam specialis virtus generali isto nomine designetur nondum apparet sed in singulis casibus explorandum manet.

Propterea, *Quaestiones de iustitia* n. 429, diximus, ab iis qui contendant salarium familiare esse debitum iustitiae socialis seu legalis, re vera nondum significari quo titulo debeatur.

4. **Quaenam officia ex enc. epistola « Quadragesimo » nobis communia oriuntur?**

Oportet ut doctrinam earum litterarum probe cognoscamus, aliis pro viribus explicemus, eandem propagemus, sine iusta aliorum offensione, et per omnia media licita eidem consentaneam opinionem publicam paremus. Id a nobis fieri posse non uno exemplo comprobatur. Etiam ubi catholici nullam partem in regenda re publica obtinent, si naviter et prudenter agant, plurimum apud publicam opinionem valent et per eam efficaciter ad instaurandum socialem ordinem collaborare possunt. Finis huiusmodi, semper laudabilis, hodie ipsa publica necessitate civilis et religiosae societatis nobis imperatur consectandus.

ARTHURUS VERMEERSCH, S. I.

---

37. — Sup. S. Cong. S. Officii

Decreta 6, 14 et 21 mart. 1931

PROSCRIPTIONES LIBRORUM ET DE EDUCAT. SEXUALI ET « EUGENICA »

I. DECRETUM 6 MART. 1931

DAMNATUR LIBER P. MARTIALIS LEKEUX, CUI TITULUS « L'AMI »

(A. A. S., 1 ap. 1931, XXIII, 117)

Dies consessus. *Feria IV, die 4 Martii 1931*

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii E.mi ac Rev.mi DD. Cardinales, rebus fidei et morum tutandis praepositi, praehabito DD. Consultorum voto, damnaverunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt librum cui titulus:

Opus damnatur. P. MARTIAL LEKEUX, *L'Ami*. Paris, Éditions Saint-Michel.

Confirmatio SS.mi. Et sequenti Feria V, die 5 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. Pius divina Providentia Pp. XI, in solita audientia R. P. D. Adsessori Sancti Officii concessa, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit et publicandam iussit.

Dies decreti (6 mart. 1931). Datum Romae, ex aedibus Sancti Officii, die 6 Martii 1931.

L. ✠ S.

A. SUBRIZI, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.*

II. DECRETUM 14 MART. 1931

DAMNATUR DOCTORIS TH. VAN DE VELDE LIBER CUI TITULUS: « HET VOLKOMEN HUWELIJK ».

(A. A. S., 1 ap. 1931, XXIII 117).

Dies consessus. *Feria IV, die 11 Martii 1931*

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, E.mi ac Rev.mi DD. Cardinales, rebus fidei et morum tutandis praepositi, audito DD. Consultorum voto, damnaverunt

atque in Indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt Doctoris Th. H. Van de Velde (olim Directoris clinices gynaecologicae in civitate Harlemensi) librum cui titulus: *Het volkomen huwelijk* (latine: matrimonium perfectum) servato can. 1396, vi cuius « libri ab Apostolica Sede damnati ubique locorum et in quodcumque vertantur idioma prohibiti censentur ».

Opus damnatur.

Memorato can. 1396 de versionibus.

Et sequenti feria V, die 12 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. D. Pius divina Prov. Pp. XI, in solita audientia R. P. D. Adsessori Sancti Officii concessa, relatam E.morum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit et publicandam iussit.

Confirmatio SS.mi.

Datum Romae, ex aedibus Sancti Officii, die 14 Martii 1931.

Dies decreti (14 mart. 1931).

L. ✠ S.

A. Subrizi, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.*

III. DECRETUM 21 MART. 1931

DE « EDUCATIONE SEXUALI » ET DE « EUGENICA »

(A. A. S., 1 ap. 1931, XXIII, 118)

In Congregatione generali Sancti Officii habita feria IV, die 18 Martii 1931, propositis dubiis quae sequuntur:

Dubia proposita in Cong. gen. 18 mart.

I. An probari queat methodus, quam vocant, « educationis sexualis » vel etiam « initiationis sexualis » ?

De methodo educ. sexualis

II. Quid sentiendum de theoria sic dicta « eugenica », sive « positiva » sive « negativa », deque indicatis ab ea mediis ad humanam progeniem in melius provehendam, posthabitis legibus seu naturalibus, seu divinis, seu ecclesiasticis ad matrimonium singulorumque iura spectantibus?

De theoria eugenica.

E.mi ac Rev.mi DD. Cardinales fidei morumque integritati tuendae praepositi, re diligenti examine discussa praehabitoque Rev.morum Patrum Consultorum suffragio, respondendum decreverunt:

Responsa Em. Patrum.

Ad I. *Negative:* et servandam omnino in educatione iuventutis methodum ab Ecclesia sanctisque viris hactenus adhibitam et a Ss.mo Domino Nostro in Encyclicis Litteris « De christiana iuventae educatione » datis sub die 31 Decembris 1929 commendatam. Curandam scilicet imprimis plenam, firmam, nunquam intermissam iuventae utriusque sexus religiosam institutionem; excitanda in ea angelicae virtutis aestimationem, desiderium, amorem; eique summopere inculcandum ut instet orationi, Sacramentis Poenitentiae et Ss.mae Eucharistiae sit assidua, Beatam Virginem sanctae puritatis Matrem filiali de-

Ad I.

votione prosequatur eiusque protectioni totam se committat; periculosas lectiones, obscoena spectacula, improborum conversationem et quaslibet peccandi occasiones sedulo devitet.

Non probantur quae ad novae methodi propugnationem scripta sunt.

Proinde nullo modo probari possunt quae ad novae methodi propugnationem, postremis hisce praesertim temporibus, etiam a nonnullis catholicis auctoribus, scripta sunt et in lucem edita.

Ad II.

Ad II. Eam esse omnino improbandam et habendam pro falsa et damnata, ut in Encyclicis Litteris de matrimonio christiano « Casti connubii » datis sub die 31 Decembris 1930.

Hanc autem E.morum Patrum resolutionem Ss.mus Dominus Noster Pius divina Providentia Pp. XI sequenti feria V die 19 eiusdem mensis et anni, in solita audientia R. P. D. Adsessori impertita, plane approbare et confirmare dignatus est eamque publici iuris faciendam mandavit.

Approbatio SS.mi.

Datum Romae, ex aedibus Sancti Officii, die 21 Martii 1931.

Dies decreti (21 mart. 1931).

L. ✠ S.

A. SUBRIZI, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.*

ANNOTATIONES

De responsione ad I. dubium.

I. Quia decretum Supremae Congregationis se refert ad Litt. Enc. *Divini illius,* 31 dec. 1929, operae pretium ducimus locum, qui iam una cum Enc. litteris supra, t. 19, p. 159. 160, vulgatus est, hic iterum sub lectoris oculis ponere.

« Multo autem perniciosiores sunt illae de natura duce omnino sequenda opiniones doctrinaeve, quae in educationis humanae certam quandam ingrediuntur partem salebrarum plenam; in eam scilicet quae ad morum integritatem et ad castimoniam pertinet. Passim enim bene multi et stulte et periculose eam tenent provehuntque educandi rationem, quae sexualis putide dicitur, cum iidem perperam sentiant, posse se, per artes mere naturales et quovis amoto religionis pietatisque praesidio, adolescentibus a voluptate et luxuria praecavere, scilicet hos omnes, nullo sexus discrimine, vel publice, lubricis initiando instruendoque doctrinis, immo, quod peius est, mature occasionibus obiiciendo, ut eorum animus, eiusmodi rebus — quemadmodum ipsi aiunt — assuetus, quasi ad pubertatis pericula obdurescat.

« In eo autem isti homines graviter errant quod nativam humanae naturae fragilitatem non agnoscunt neque legem illam membris nostris insitam, quae, ut verbis utamur Pauli Apostoli, mentis legi repugnat (Rom., VII, 23), idque praeterea temere infitiantur quod usu quotidiano didicimus, iuvenes nempe prae aliis in turpia saepius incidere non tam ob mancam mentis cognitionem quam ob infirmitatem voluntatis illecebris obnoxiae atque divinis auxiliis destitutae.

« Qua de re prorsus difficili, si quidem, omnibus perpensis, adolescentem aliquem tempestive ab iis moneri oporteat, quibus Deus educandi pueros officium commisit cum gratiis opportunis coniunctum, illae profecto cautiones et artes sunt adhibendae, christianis institutoribus non ignotae, quas apte Antonianus hisce verbis describit: « Eo usque imbecillitas nostra atque in malum proclivitas misere procedit, ut, quae ad remedium peccati consilia adhibentur, ea ipsa ad peccandum fere ansam atque incitamentum praebeant. Quapropter magnopere interest, ut prudens pater, si quando de lubricis istiusmodi rebus cum filio colloquatur, bene attendat, neque ad hoc deveniat ut fere sub aspectum subiiciat artes singulas quibus horrenda eiusmodi pestis tam magnam orbis partem veneno suo inficit, ne, dum libidinis ignes restinguere aggreditur, eos potius in tenerioribus puerorum animis aut sopitos suscitet aut plane incendat. Ut autem generatim loquamur, quamdiu pueri excolendi sunt, satis superque erit iis uti remediis quae castimoniam in animos inducant simulque ab iis vitia contraria prohibeant ». (SILVIO ANTONIANO, *Dell' educazione cristiana dei figliuoli*, lib. II, c. 88).

Ne tamen, ultra quam par est et mens fert Supremae Congregationis, etiam in hac re delicata et salebrosa, vis urgeatur dissimulandi et tacendi, iuvat haec quoque mutuari ex disputatione quae die 29 mart. 1931 prodiit in *Osservatore Romano* sub hoc titulo: *Il valore di un decreto.* « Nihilo minus christiana ista methodus traditionalis, quam Ecclesia fortiter inculcat, non tantum non excludit sed includit essentialiter monitionem cautam, ad praecavendum aptam, quae in horis criticis, momento et modo magis opportuno, potest et debet dari, qualis insinuatur naturali diligentia matris, solerti prudentia educatoris, maxime sacro sa-

cerdotis intuitu in mysterio et ministerio sacramentali. Encyclica epistola de christiana iuventutis educationem talem explicite memorat...

« Causae istae et sapientes monitiones singulorum pertinent igitur ad traditionem christianae educationis, i. e. ad antiquam methodum » (1).

Inde etiam perspicitur quo meliore loco sint adolescentes catholici prae aliis qui sacramentum paenitentiae ignorat vel non frequentant.

II. **De responsione ad alterum dubium.**

« Eugenica » hodie dicitur ea scientia vel ars quae studet magis sanum praeparare genus humanum. De ista scientia haec habet Enc. *Casti Connubii:* « Quae afferentur pro sociali et eugenica *indicatione*, licitis honestisque modis et intra debitos limites, earum quidem rerum ratio haberi potest et debet; at necessitatibus quibus eae nitintur per occisionem innocentium providere velle, absonum est ».

Subinde etiam eos reprobat qui, quilibet alii etiam altioris ordinis fini *eugenicum* anteponentes, velint coniugio prohiberi eos, ceteroquin ad matrimonium aptos, quorum proles praevidetur fore manca et vitiosa, vel eosdem naturali facultate ex lege privari ».

Quam autem reprobavit S. Pontifex, eandem theoriam eugenicam decreto 21 martii 1931 S. C. S. Offi-

(1) « Tuttavia questo cristiano metodo tradizionale, a cui la Chiesa richiama energicamente, non soltanto non esclude, ma include essenzialmente il monito cauto e preventivo, che nelle ore critiche, nel momento e nel modo più opportuno, può e dev'esser dato, sussurrato dalla istintiva discrezione di una madre, dalla vigile prudenza di un educatore, sopratutto, nel mistero e nel ministero sacramentale, dall'intuito sacro del sacerdote. L'Enciclica sull'educazione della gioventù ne fa esplicito ricordo con le seguenti parole: « In questo delicatissimo argomento, se, attese tutte le circostanze, qualche istruzione individuale si rende necessaria, a tempo opportuno, da parte di chi ha da Dio la missione educativa e la grazia di stato, sono da osservare tutte le cautele, notissime all'educazione cristiana tradizionale ».

« Questi cauti e sapienti moniti individuali appartengono dunque all'educazione cristiana tradizionale, ossia al metodo antico ».

cii declarat « omnino improbandam et habendam pro falsa et damnata ».

Quia autem in decreto de eugenica *positiva* et *negativa* fit sermo, a professore ROBERTO BOMPIANI (1) accipimus *positivam* disciplinam eugenicam eam esse quae vocatur quoque *generalis* vel *providens* (*preventiva*) et universales normas tradit ad obtinendam prolem robustam et egregie vitalem; dum altera disciplina eugenica, quae *seligens* vel *discriminans* (*selettiva* o *differenziale*) dicitur, genus humanum directe corrigere intendit, curando ut, impeditis noxiis, solae utiles notae hereditate traducantur.

---

38. — S. Congr. de Sacramentis

Instructio 27 dec. 1930

DE SCRUTINIO ORDINANDORUM
(A. A. S., 1 April. 1931 XXIII, 120)

§ 1. — *Ad R.mos locorum Ordinarios. De Ordinariorum munere sedulo scrutandi mores candidatorum ante Ordinationem.*

§ 1. Munus scrutandi mores candidatorum.

1. **Quam ingens** Ecclesiae atque animarum saluti detrimentum inferant qui, divina destituti vocatione, sacerdotale ministerium inire praesumunt, angelicis ipsis humeris formidandum, neminem profecto fugit. Unde qui a Spiritu Sancto sunt positi regere Ecclesiam Dei, ad plurima atque ingentia avertenda mala ab ipsa Ecclesia atque a christifidelibus, sedulissimam adhibeant curam oportet, ne tanti ministerii aditus illis pateat quibus, ob defectum sacerdotalis vocationis, aptandum est illud Christi Domini: « Amen, amen dico vobis: qui non intrat per ostium in ovile ovium sed ascendit aliunde, ille fur est et latro » (Ioann., X, 1).

1. Necessitas sedulissimae vigilantiae ne ordinentur non vocati.

Haec Sacra Congregatio de Disciplina Sacramentorum, quae vi can. 249 § 3 competens est in causis, quibus agitur de nul-

Frequentior causa querelarum est non sa-

(1) *Eugenica e stirpe*, p. 30 et 36.

tis explorata, non satis libera voluntas ordinandi.

litate sacrae Ordinationis aut onerum eidem adnexorum, in iisdem agitandis, rem, ut plurimum, esse animadvertit de sacerdotibus querelam moventibus adversus sacram Ordinationem, qui, etsi probare non valeant se vi aut gravi metu fuisse adactos ad sacros Ordines suscipiendos, tamen ex iis quae in actis deducuntur, aperte ostendunt, se fuisse praepostero modo in sacram militiam adlectos, seu non satis fuisse exploratam vocationem, nec libera et spontanea voluntate sacros Ordines suscepisse. Quod grave incommodum ut penitus removeatur, eadem Sacra Congregatio ea instanter recolere satagit, quae S. Paulus ad Timotheum scribens commendabat: « Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis » (V, 22), quaeque relata sunt atque fusius explicata in Codice iuris canonici: « Episcopus sacros Ordines nemini conferat, nisi ex positivis argumentis moraliter certus sit de eius canonica idoneitate: secus non solum gravissime peccat, sed etiam periculo se committit alienis communicandi peccatis » (can. 973, § 3).

Quare inculcatur Ordinariis monitum S. Pauli ad Timotheum, et can. 973 § 3;

2. et observatio iuris de Seminariorum disciplina, et de qualitatibus requisitis.

2. In primis itaque Episcopus rationem habere debet eorum, quae vigens ius de Seminariorum disciplina constituit, necnon ceterarum normarum, quas ad nostra usque tempora Sacrae Congregationi de Seminariis et Studiorum Universitatibus ad rem praestituere placuit, uti Seminariorum alumni iis qualitatibus se ornatos exhibeant, quae ad rite, sancte ac fructuose ministerium sacerdotale exercendum hodie requiruntur. His praeterea sunt accensenda quae ius canonicum praescribit quaeque respiciunt, praeter irregularitates, impedimenta quoad sacros Ordines suscipiendos, uti in cann. 983-987 cautum est, ceteraque, quae can. 973 in subiecto sacrae Ordinationis exigit.

3. Maxime interest ut minus idonei a limine eiciantur.

3. Quae ut probe exsecutioni demandentur, Episcopus seu Ordinarius in perscrutandis moribus eorum qui adscribi petunt sacrae militiae, prae oculis habeat oportet, maxime interesse ut a limine eiiciantur, seu ne ad tonsuram et minores Ordines admittantur ii, qui sacerdotio fungendo non sint apti, seu a Deo non sint vocati. Nam sacri Ordines, iuxta sacrorum canonum praescriptum, sub finem curriculi studiorum conferuntur: sed « turpius eiicitur, quam non admittitur hospes »: videlicet nemo nescit quam sit grave et difficile negotium, iuvenem dimittere quum paene absolverit studia theologica, nedum ob iam progressam aetatem, quocirca non facilis patet via ad aliud capessendum vitae et studiorum institutum, sed etiam ob humanarum relationum respectum, praecipue cum consanguineis et amicis, qui soliti sunt culpae, seu levitati ingenii, vertere

huiusmodi mutationes in vitae ratione, unde fit ut nullus non moveatur lapis ut ultra procedat qui eatenus progressus est.

4. Rationes in processibus allegatae sunt,

4. Praeterea, prouti eruitur ex processibus apud H. S. C. agitatis de nullitate sacrae Ordinationis aut adnexarum obligationum, scrutatores bene perspectas habere debent rationes, quae passim adducuntur ab asserentibus, se veram voluntatem non habuisse recipiendi sacram Ordinationem, aut saltem se submittendi gravibus sacrae Ordinationi adnexis obligationibus. Hae rationes sunt aliae ipsis assertoribus *intimae* seu *intrinsecae*, veluti cupiditas commodiori clericali vitae, uti vulgaris opinio est, indulgendi, honore aucupandi, lucra sibi facile comparandi, effugiendi (et haec est hodie communissima ratio) manuum laborem, — ne cogantur fodere, seu agros excolere cum parentibus et fratribus, aut aliam similem vitae rationem prosequi; — vel fruendi privilegiis clericalibus, et potissimum exemptione a servitio militari, aut a foro saeculari; vel saltem cum clericali statu altiorem gradum, etiam civiliter aestimatum, consequendi. *Extrinseca* ratio ipsi postulanti et veluti *classica* in his causis, est metus gravis, sive absolutus sive relativus, uti est metus reverentialis; utraque autem species metus est perspectissime a canonica iurisprudentia explanata.

aliae intrinsecae: *humana non supernaturalia motiva;*

aliae extrinsecae, *praecipue metus gravis.*

Itaque haec Sacra Congregatio, quo facilius R.mi locorum Ordinarii praescriptis sacrorum canonum obtemperare valeant, sequentes tradit normas, respicientes scilicet methodum scrutationum, fontesque determinans unde veritas hauriri possit. Sed mens non est Sacrae Congregationi, ut omnes et singulae inquisitiones in singulis casibus absolute peragantur, cum non semel ex his nonnullae supervacaneae sint, aut non possibiles; sed ut ea colligantur, quae de moribus ordinandorum cognosci et explorata esse debent, antequam ad sacram Ordinationem tuto procedi possit.

Hinc S. Cong. normas tradit servandas prout finis postulat sufficientis scientiae personarum.

5. Acta, quae in huiusmodi perscrutationibus conficiuntur, asservanda erunt sub secreto in Curiae tabulario.

Acta in secreto tabulario servanda sunt.

§ 2. — *De scrutinio ante collationem primae tonsurae et minorum Ordinum faciendo.*

§ 2. Scrutinium ante primam tonsuram et minores ordines.

1. Appropinquante tempore, quo candidati erunt primam tonsuram et Ordines minores recepturi, scriptam ipsi exhibeant, duos saltem ante menses, moderatori Seminarii petitionem, sua manu exaratam et subscriptam, qua candide significent, se libera omnino voluntate atque spontanea, primam tonsuram et postea Ordines minores postulare.

1. Autographa postulatio, qua simul libera voluntas significatur.

2. Recepta a moderatore Seminarii, una cum fide Baptismi et Confirmationis, ab eodem cum sua personali informatione Episcopo exhibenda.

2. Eiusmodi petitio, cui attestatio addenda erit de suscepto Baptismate et de recepto Confirmationis sacramento, ab eodem Seminarii moderatore, una cum sua personali informatione de oratoris idoneitate ad clericalem statum, Exc.mo Episcopo exhibebitur, qui nisi, attenta eiusdem moderatoris informatione habitisque forte prae oculis aliis notitiis sibi certo cognitis, dictam petitionem a limine reiiciendam esse existimaverit, normas de quibus infra observabit.

3. Regionalis seminarii vel ecclesiastici collegii moderator, per se postulationem proprio alumnorum Episcopo mandat, cum sua informatione.

3. Quod si agatur de alumnis in regionalibus Seminariis vel in ecclesiasticis collegiis, tum italicis tum exteris, praesertim huius Almae Urbis, degentibus, horum moderator, nisi habitualiter peculiare mandatum inquirendi iuxta sequentes normas de eiusmodi petitionibus ab Episcopis alumnorum, attenta locorum distantia, habuerit, petitionem pariter ab ipsis alumnis sibi traditam, proprio eorum Episcopo, sua informatione munitam, mittendam curabit.

4. Ordinarius petitionem ad moderatorem remittet cum mandato inquirendi eius nomine et auctoritate de idoneitate et qualitatibus oratoris, pro tempore quo ipse in Seminario fuit.

4. Ordinarius, in utroque casu, uti par est, ipsam petitionem ad eumdem Seminarii moderatorem remittet, cum mandato inquirendi eius nomine et auctoritate de idoneitate et qualitatibus oratoris, pro tempore quo ipse in Seminario fuit.

Si forte desit Seminarii Moderator et alius eius vices gerat, aut Seminarii Moderatorem non eum esse, qui in casu utilem inquisitionem peragere valeat, censeat Ordinarius, hic mandatum inquirendi alii deferat.

5. A quibusnam moderator exquiret documenta quae cum propria opinione Episcopo remittet.

5. Seminarii moderator, diligentissime notitiam de promovendis exquirere curabit ab alumnorum praefectis, praecipue si isti sacerdotali dignitate exornentur, tum etiam ab iis qui in Seminario doctorum gerunt munus, ipsosque non solum seorsum audiet, sed etiam insimul convocatos, de singularibus nempe vocationis signis, uti sunt pietas, modestia, castitas, de propensione ad sacras functiones, de studiorum profectu, de bonis moribus, ad quod inservire poterunt interrogatoria, congrua congruis referendo, quae in appendice habentur, iuxta Mod. II et III.

Quia in Seminariis dioecesanis coetus adesse debet deputatorum pro disciplina tuenda ad normam can. 1359, hi etiam, si de personis edocti sint, percontandi erunt in scrutiniis faciendis.

Quum Seminarii moderator Episcopo remittit notitias a se collectas illius mandato, suum pandat iudicium seu opinionem suam manifestet exinde habitam de candidati moribus et ingenio. Huiusmodi iudicium non parvi ponderis profecto erit:

siquidem praesumitur, moderatorem, prae ceteris, de alumnis rectum iudicium fore laturum.

6. Episcopus parocho alumnorum eorumque familiae praescribit indagationes.

6. Ad rem autem intimius in singulis casibus perscrutandam, Episcopus, alumnorum, eorumque familiae parocho praeterea mandabit sedulo exquirere non modo de vocationis signis promovendorum, deque eorumdem virtutibus, seu pietate, sed etiam de anteacta ipsorum vitae ratione et de praesenti; ac maxime percontabitur quomodo sese gesserint feriarum tempore, an videlicet quamdam animi levitatem ostenderint, vel profanis rebus indulserint; et quaenam sit publica ipsorum fama (Mod. II). Insuper num candidatorum parentes bona gaudeant existimatione, et quae sint rei familiaris rationes; num lucri seu quaestus causa, eos reluctantes importunis suasionibus, precibus, vel minis, vel alio modo impellant ad sacerdotium ineundum, pertimescentes scilicet aliquod familiae obventurum damnum, sacra Ordinatione posthabita. Quod si haec incitamenta aut inconvenientia sint manifesta, vel prudens de iisdem adsit dubium, Ordinarius omnibus viribus ut ab incepto desistant ipsis suaviter suadebit, vel, si casus ferat, fortiter eosdem moneat parentes de poena excommunicationis ipso facto incurrenda, ab Ecclesia contra quocumque modo cogentes ad suscipiendos sacros Ordines statuta (can. 2352).

Si saltem prudens dubium de minore libertate vel de alio defectu, Ordinarius familiam moneat vel excommunicatione deterreat.

7. Parocho coniuncto alius sacerdos substituatur.

7. Quod si parochus consanguinitate vel affinitate sit cum promovendo coniunctus, Episcopus ab alio parocho aut sacerdote in loco commorante notitias sumere curabit; idque praecipue quum aliquis sacros Ordines, antequam canonicae perficiantur publicationes, vel iisdem legitime dispensatis vi can. 998, erit suscepturus. Non parum etiam proderit ad praecavenda mala quae ex sacrae Ordinationis oneribus temere susceptis oriri solent, inquirere, num aliquod abnorme ex parentibus in candidatum manavisse coniici aut suspicari fas sit, ac praecipue num corporis habitus ad libidinem sit proclivis, quod atavismum sapiat (Mod. II). Hanc inquisitionem quisquis Episcopus peragere curet pro suis subditis.

Inquirere iuvabit de hereditaria labe, de propensione ad libidinem.

8. Post acceptas collectas notitias Episcopus moderatorem eiusque vices gerentem separatim interrogabit quid sincere sentiant.

8. Praeterea Episcopus a Seminarii moderatore et ab huius gerente vices, seorsim auditis, quid de candidatis sincera fide sentiant, si fieri potest, expetat: quod quidem erit peragendum post iam acceptas notitias de ipsius mandato ab eodem moderatore collectas.

Aliae etiam personae, sive ecclesiasticae sive saeculares probitate insignes, quae peculiares notitias de promovendis praebere possint, iuxta Mod. III interrogandae erunt, si eas interrogare, ex rerum et personarum circumstantiis, opportu-

Ubi expedire videatur, etiam

aliae personae interrogentur,

num ducat Ordinarius, praecipue quum aliquid supersit dubii de moribus et canonica promovendi idoneitate.

9. Candidatorum animus penitius explorandus est ab Ep.o proprio vel ab alio ex eius mandato;

9. Nec satis; nam penitius candidatorum animus singulatim erit explorandus ab Episcopo proprio vel, eo impedito, a Vicario generali, vel ex mandato, a Seminarii moderatore, seu etiam ab iis qui totius Seminarii disciplinae tutandae deputantur. Quod si agatur de alumnis degentibus in Seminariis extra dioecesim, mandatum ad hoc fieri poterit Episcopo loci commorationis vel ecclesiasticae personae dignitate fulgenti, vel ipsi Seminarii moderatori. Oportet enim, ne decipiat assensio vel fallat affectio, ut ordinandorum voluntatem Episcopus experiatur per se vel per alias memoratas personas, planeque noscat, num promovendi alienis potius suasionibus, obtestationibus, pollicitationibus pressi, seu etiam minis compulsi ac perterriti, sacram Ordinationem expetant; num etiam cognitum eis prorsus exstet, quaenam erunt onera ab eis suscipienda, ac praecipue quid caelibatus lex importet, et an parati sint hanc integre constanterque servare, divinae gratiae ope, atque opportunis rationibus pericula vitantes, adeo ut eorum conversatio, prout in Pontificali Romano legitur, probata et Deo placita exsistat, et digna ecclesiastici honoris augmento. Unde expediens erit ut idem Episcopus verba, quae in Pontificali Romano referuntur, candidatis perlegat, atque accuratius explicet, scilicet quod promovendi iterum atque iterum considerare debeant attente, quale onus appetant; quod ante sacram Ordinationem, cum sint liberi, liceat eis pro arbitrio ad saecularia vota transire; sacris autem susceptis Ordinibus, amplius per se non possint a proposito resilire, sed Deo famulari perpetuo et castitatem servare ipsos oporteat; ideoque, dum tempus est, adhortetur promovendos ut sedulo et coram Deo cogitent, quo certior idem Episcopus fiat, num in eiusmodi proposito perseverare ex animo intendant, atque ad eadem promissa implenda sint parati. Itaque verbis humanissimis ac more paterno eis suadebit, ut suum candide sibi animum pandant fidentissime, ipsis spondens suam, si opus fuerit, se praebiturum libenter operam, ut debita libertate fruantur; adeo ut, vero deficiente proposito, in re tam gravi, aliud comparare sibi munus possint, magis sui ingenii proclivitati accommodatum.

clare doceantur quaenam onera suscepturi sint;

hortandi suaviter ut animum aperiant, promisso etiam auxilio.

§ 3. — *De scrutinio habendo antequam clerici maioribus Ordinibus initientur.*

§ 3. Scrutinium ante maiores ordines.

1. Ante maiores ordines con-

1. Quando ex peractis perscrutationibus prudenter inferri possit, postulatorem ad studia theologica admitti posse, et primam tonsuram et deinde minores Ordines ei conferri, de

inquisitionum actis in Curiae archivo asservatis iterum ratio habenda erit, quum alumnus postulabit ut ad subdiaconatum promoveatur. Ast Episcopus, seu loci Ordinarius non solum attendere debet quae iam acta sunt, sed, antequam subdiaconatus conferatur, candidati mores iterum perscrutetur oportet, servata methodo iam explicata. Verum supervacaneum est adnotare, haud necesse esse denuo inquirere de iis, quae ad alumni originem, eiusque parentum indolem et ingenium atque anteactos alumni mores spectant, nisi iusta exorta sit suspicio notitias ante habitas veritati non fuisse consentaneas. Interest vero semper inquirere de alumni moribus eiusque moralibus qualitatibus, quomodo nempe istae se exhibuerint ex vita in Seminario acta, atque ex profectu in studiis. Quibus peractis inquisitionibus, si nulla adsit canonica ratio, quae alumnum a subdiaconatu arcendum fore suadeat, hic scribere debebit sua manu declarationem, iuramento ab ipso firmandam, in Appendice relatam (Mod. I), qua scil. ipse fatetur se omnimoda libertate ad sacrum Ordinem accedere, riteque perspecta habere omnia onera eidem adnexa. Quae quidem declaratio erit similiter a candidatis exaranda antequam ad reliquos sacros Ordines promoveantur, diaconatum nempe et presbyteratum.

ferendos de collectis actis nova ratio habenda est,

et mores denuo eadem methodo scrutandi sunt.

Autographa et iurata candidati declaratio de libertate et scientia onerum, ante singulos sacros ordines.

2. Quum res est de diaconatu conferendo, ut plurimum sufficit prae oculis habere iam peractas inquisitiones, nisi interim novae perpendendae sint circumstantiae, quae dubitare cogant de sincero proposito candidati, aut de eius morali idoneitate servandi onera, obligationesque exsequendi sacris Ordinibus susceptas.

2. *Pro diaconatu sufficiunt acta nisi exortum dubium diluendum sit.*

Eiusmodi forte exortum dubium depellendum erit, iis adhibitis inquisitionibus, iuxta normas traditas, pro casus qualitate, opportunis aut necessariis. Si vero res eo deducatur, ut clare pateat subdiaconum ad diaconatum promovendum, vel sacram vocationem reapse nunquam habuisse, aut eamdem corruptis moribus amisisse, tunc res erit intimius perscrutanda, prouti modo dicemus de subdiacono ad diaconatum promovendo, et de presbyteratu conferendo.

Quid si constet de non habita vel amissa vocatione subdiaconi.

3. Quoties Episcopus, antequam quis ad diaconatum aut ad sacerdotium initietur, pro certo habeat ex promovendi confessionibus aut ex aliis certis indiciis et probationibus susceptis, ipsum sacra revera vocatione esse destitutum, S. Sedem adire non omittat, candide et plane referens rerum statum, seu argumenta, quibus vehemens fovetur dubium de subdiaconi aut diaconi idoneitate ad onera maiora digne et fideliter perferenda. Res quidem agitur tanti momenti, ut Ordinariorum conscientia graviter onerata maneat de hac obligatione, ut pericu-

3. *Si Ep. us certo noverit promovendum ad diaconatum vel presbyteratum vocatione destitue, rem candide S. Sedi exponat.*

lum amoveatur manus imponendi diacono vel presbytero, qui gravissimo sacrorum Ordinum oneri sustinendo, impar sit.

4. Quantum referat minus aptos ab initio repellere.

4. Ne autem ad hoc extremum res perducatur, in animo Episcoporum et locorum Ordinariorum alte sit repositum, magnopere interesse, ab ipso limine sacrae Ordinationis eos esse depellendos, qui sunt indigni et non vocati. Hi enim sanctuarium cum ingressi sint, ut humanae cupiditati aut alterius voluntati obsequantur, ut plurimum, non se praebent uti a Deo non vocatos, sed suam minus dignam agendi rationem omnimode obtegere seu simulare solent. Sunt alii, qui bona fide minores et sacros Ordines susceperunt, sed antequam presbyteratum consequantur, experiuntur se impares oneribus sacrae Ordinationis sustinendis, aut se vitiis vel moribus saecularibus implicarunt: in his, nimirum, facilius et apertius sanctae vocationis patebit defectus, iidemque ipsi, ut suae miserrimae condicioni consulatur, ultro efflagitabunt.

5. Normae maxime observandae sunt ante clericatum candidati.

5. Maxime proinde interest praescriptas normas adamussim et diligentissime servari, antequam Episcopi candidatos ad clericalem militiam admittant, seu ad hunc finem dimissorias litteras pro suis subditis in aliena dioecesi degentibus Episcopo loci tradant. Exinde consequetur ut sacro Ordini adscripti digni dispensatores mysteriorum Dei evadant, atque magnopere tueantur provehantque in terris regnum Dei, quod tum catholicae tum civili reipublicae feliciter benevertet.

Comitia plenaria 19 dec. 1930.

In plenariis Comitiis die 19 Decembris 1930 in Civitate Vaticana habitis, E.mi ac R.mi Patres Cardinales instructionem hanc diligenti perpensam examine, concordi suffragio adprobarunt; eamque Ss.mus Dominus Noster Pius divina Providentia Pp. XI, in audientia diei 26 dicti mensis et anni, audita relatione infrascripti Secretarii Sacrae Congregationis, ratam habere et confirmare dignatus est, mandans praeterea ut eadem instructio omnibus R.mis locorum Ordinariis notificetur, ab ipsis adamussim observanda; praecipiens etiam ut in Seminariis quolibet anno, studiorum curriculo ineunte, alumnis perlegatur, deque hisce praescriptionibus fideliter adimpletis in ordinaria de statu dioecesis relatione S. Sedem edocere non omittant; contrariis quibuscumque non obstantibus.

Die 26 dec. approbatio SS.i qui mandat ut instructio omnibus Ordinariis notificetur, quotannis alumnis praelegatur, et de ea referatur in ordinaria relatione.

Receptio instructionis rogatur edoceri.

Placeat R.mis locorum Ordinariis de huius Instructionis receptione huic Sacrae Congregationi referre.

Dies (27 dec. 1930).

Datum Romae ex aedibus Sacrae Congregationis de Disciplina Sacramentorum, die 27 Decembris 1930.

L. ✠ S. † M. Card. LEGA, *Praefectus.*

D. JORIO, *Secretarius.*

APPENDIX

Mod. I

Declaratio propria manu subscribenda a candidatis in singulis sacris Ordinibus suscipiendis, iuramento coram Ordinario praestito.

I. Forma declarationis iuratae in singulis sacris ordinibus suscipiendis.

« Ego subsignatus *N. N.*, cum petitionem Episcopo exhibuerim pro recipiendo subdiaconatus (seu diaconatus vel presbyteratus), Ordine, sacra instante Ordinatione ac diligenter re perpensa coram Deo, iuramento interposito, testificor in primis nulla me coactione seu vi, nec ullo impelli timore in recipiendo eodem sacro Ordine, sed ipsum sponte exoptare, ac plena liberaque voluntate eumdem velle, cum experiar ac sentiam a Deo me esse revera vocatum.

« Fateor mihi plene esse cognita cuncta onera caeteraque ex eodem sacro Ordine dimanantia, quae sponte suscipere volo ac propono, eaque toto meae vitae curriculo, Deo opitulante, diligentissime servare constituo.

« Praecipue quae caelibatus lex importet clare me percipere ostendo, eamque libenter explere atque integre servare usque ad extremum, Deo adiutore, firmiter statuo.

« Denique sincera fide spondeo iugiter me fore, ad normam ss. Canonum, obtemperaturum obsequentissime iis omnibus, quae mei praecipient Praepositi, et Ecclesiae disciplina exiget, paratum virtutum exempla praebere sive opere sive sermone, adeo ut de tanti officii susceptione remunerari a Deo merear.

« Sic spondeo, sic voveo, sic iuro, sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia, quae manibus meis tango ».

(Loco).... die.... mensis.... anni....

Mod. II

Inquisitio ope Parochorum peragenda

II. Forma inquisitionis ope parochi.

Parochus in sua scripta relatione super his mentem suam aperiet:

1. Num clericus in explendis pietatis operibus, videlicet in piis peragendis commentationibus, in audienda Missa, in visitatione Ss.mi Sacramenti atque in mariali rosario recitando sedulus et devotus exstet.

2. Num ad sacram Confessionem et ad sacram Synaxim crebro ac devote accedat.

3. Num diligenter ac pie in sacris functionibus suum ministerium expleat.

4. Num christianae doctrinae tradendae, quatenus huic extra Seminarium addictus fuerit, (1) suam operam navet.

5. Num studium curamque prodat divinum provehendi cultum, animarum curandi bonum, atque ad sacra exercenda ministeria propensionem patefaciat.

6. Quibus speciatim intendat studiis, et qua sedulitate.

7. Num profanis perlegendis libris diariisque, odium contra fidem, vel bonos mores, foventibus, sit deditus.

8. Num autumnalibus feriis, extra Seminarium clericali veste usus sit atque utatur.

9. Num praedictis feriis cum aliquibus utriusque sexus personis non bonae famae, aut etiam bonae famae sed cum scandalo et admiratione fidelium, si agatur de personis alterius sexus, familiaritatem foverit, vel loca frequentaverit haud suspicione carentia.

10. Num in loquendo probum ac integrum sese ostenderit.

11. Num occasionem praebuerit ut censoria nota afficeretur circa mores, vel Ecclesiae doctrinam et praecepta.

12. Quomodo se gerat cum pueris, puellis aliisque diversi sexus personis.

13. Num se proclivem exhibeat ad vitae commoda, ad copiosum hauriendum vinum, ad liquores sumendos, atque ad profana oblectamenta capienda.

14. Num caritatem ostendat, demissionemque atque obsequium iis qui praesunt, praebeat.

15. Quae sit publica de ipsius vocatione opinio.

16. Num inter parentes alicuius infirmitatis indicia, ac praecipue mentis morumque pravorum, adsint, quae atavismum suspicari sinant.

17. Num parentes, vel alter e familia ipsum impellant ad sacerdotium ineundum.

Mod. III.

III. Forma interrogandi alias personas

Interrogatorium aliis personis probis proponendum

Quo autem facilius personae probae interrogationibus responsa praebeant, haec ab ipsis erunt exquirenda:

(1) Priusquam vero candidatus ad ulteriores sacros Ordines promoveatur, si nondum praefato muneri addictus fuerit, addici debet.

1. An clericus sive in ecclesia, sive in consuetudine cum aliis habenda, pie, graviter, prudenterque se gesserit ac gerat.

2. An aliquod de sua vocatione ad sacros Ordines foveri possit dubium, et qua ratione.

3. An parentes vel alter e familia ad eosdem suscipiendos sacros Ordines ipsum impellant.

4. An familiariter utatur cum iis, qui in suspicionem veniant de fidei carentia, vel de malis moribus.

5. Quae sit publica et praecipue praestantiorum hominum existimatio de agendi ratione, tum morali tum religiosa, eiusdem clerici, et de eius vocatione ad sacerdotium ineundum.

ANNOTATIONES

I. Voce *scrutinii* intelligitur hoc loco ratio seu modus scrutandi qualitates ordinandorum. Ad notionem examinis vox ista addit aliquam activam diligentiam perquirendi.

II. S. Congregatio se ipsa experientia edoctam profitetur de magna opportunitate peculiariter indagandi qua intentione et qua spontanea voluntate quis ordinationem cupiat.

III. Ex pluribus sapienter indicatis in hac Instructione ambo haec potissimum notanda nobis occurrunt:

1. Plurimum interesse ut minus idonei a limine et ante primam tonsuram arceantur. Istud bis inculcatur, i. e. § 1, 3 et § 3, 5.

2. Ut in paterno colloquio quod Episcopus cum singulis promovendis ad primam tonsuram habere iubetur, candidati facilius animum pandant, ipse, si opus fuerit, spondeat operam suam ut, vero deficiente proposito, aliud munus sibi magis congruens comparare queant. Quod etiam prudenter statuitur in privato et singulari colloquio praestandum esse, ne publicus nuntius de tam liberali Antistitis animo plures fictos candidatos adducat.

3. Quod ad obligationem huius Instructionis, profecto ipse S. Pontifex eam adamussim ab Ordinarius

observandam mandat; servari tamen potest mens quam ipsa S. Congregatio profitetur esse suam, ut omittantur inquisitiones supervacaneae aut non possibiles. Summa est ut ea colligantur quae cognosci et explorata esse debent.

Autographae autem declarationes a singulis scribi et tradi debebunt.

---

39. — Sacra Cong. Concilii.

Decretum 20 mart. 1931.

DE SACRARUM CAMPANARUM USU
(A. A. S., 1 april. 1931, XXIII, 129).

Quemnam usum deceat esse proprium campanarum sacrarum.

Decet omnino campanas consecratas vel benedictas, quas « cuilibet ecclesiae esse convenit, quibus fideles ad divina officia aliosque religionis actus invitentur », ad eum tantummodo usum adhiberi, qui ab ecclesiastica auctoritate, « cui earum usus unice subest », expresse est praescriptus, ad normam canonis 1169 §§ 1-3 Codicis iuris canonici.

Quatenus usus profanus excludatur.

Iamvero quae de legitimo campanarum sacrarum usu ecclesiastica auctoritas non semel, anteactis temporibus, statuerat, eadem ipsa redegit in memorato canone 1169, § 4 hisce verbis: « Salvis condicionibus, probante Ordinario, appositis ab illis qui campanam ecclesiae forte dederint, campana benedicta ad usus mere profanos adhiberi nequit, nisi ex causa necessitatis aut ex licentia Ordinarii aut denique ex legitima consuetudine ».

Relatus abusus.

Porro ex relatis a nonnullis locorum Ordinariis constat, parochos et rectores ecclesiarum non deesse, qui, Ordinariis suis inconsultis, vel proclives omnino sese praebeant, vel facile sinant, ut campanae suae cuiusque ecclesiae ad usus mere profanos seu civiles adhibeantur.

Inde inculcatur observatio can. 1169 § 4.

Quare ad omne, si quod esse possit, dubium in re amovendum et ad abusus compescendos, haec Sacra Congregatio Concilii praescriptum eiusdem canonis 1169 § 4 in mentem revocandum eiusdemque observantiam urgendam esse censet.

Praesenti itaque decreto mandat parochis aliisque ecclesiarum rectoribus ut ipsi campanarum sacrarum usum in suis

ecclesiis ad normam Codicis iuris canonici adamussim moderentur, requisita etiam tempestive et habita proprii Ordinarii licentia, si, gravi, ex causa, sacrae campanae in usum non stricte religiosum sint quandoque adhibendae.

Quod quidem mandatum ut ab omnibus, quorum interest, rite servetur, Ordinarii locorum vigilantiam atque curam omnem, statutis quoque canonicis poenis, impendant, atque inobedientes, si res ferat, ad hanc Sacram Congregationem deferant. *Sanctio praescriptae observationis.*

Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis die 20 mensis Martii anno 1931. *Dies (20 mart. 1931).*

I. Card. SERAFINI, *Praefectus*
L. ✠ S. I. BRUNO, *Secretarius*

---

40. — Sacra Cong. Concilii

Romana et Aliarum

DE TRIBUTO PRO ADMINISTRATIONE DIOECESANA
(A. A. S., 4 maii 1931, XXIII, 165)

Cum quaestio exorta sit, an quotidianae distributiones capitularium subsint taxae seu tributo vulgo *due per cento* pro administratione dioecesana aliisque operibus dioecesis, ad normam articuli 57 Instructionum, quas haec Sacra Congregatio Concilii die 20 Iunii 1929 edidit, res proposita est solvenda in plenariis E.morum Patrum eiusdem Sacrae Congregationis comitiis, die 16 Martii 1931 habitis, sub dubio: « An distributiones quotidianae obnoxiae sint tributo, de quo in articulo 57 Instructionum diei 20 Iunii 1929 circa bona ecclesiastica ». Porro iidem E.mi Patres ad propositum dubium respondendum censuerunt: « *Negative*, seu distributiones quotidianas, et, si omnes beneficii reditus distributionibus constent, tertiam earundem partem, tributo de quo agitur non esse obnoxias ». **Quaestio** *de taxa 2 p. c.* **Responsio**

Hanc autem resolutionem Ss.mus Dominus noster Pius Pp. XI in audientia diei 18 subsequentis, subscripto Secretario concessa, approbare et confirmare dignatus est. *Approbatio SS.i*

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 20 Martii 1931. *Dies (20 martii 1921).*

I. Card. SERAFINI, *Praefectus.*
L. ✠ S. I. BRUNO, *Secretarius.*

ANNOTATIONES

Agitata penes Sacram Congregationem Concilii, eiusque resolutioni oblata fuit quaestio, de qua nunc agimus, quaeque novam ordinationem patrimonii ecclesiastici in Italia, vi pactuum Lateranensium, est subsecuta.

Novimus enim, in Concordato Sanctae Sedis cum Statu italico omnem ordinariam et extraordinariam administrationem vel gestionem bonorum, quae pertinent ad instituta ecclesiastica vel associationes religiosas in Italia, esse auctoritatibus ecclesiasticis devolutam. Administratoribus ecclesiasticis, eorumque repraesentationi bonorum cura nunc competit temporalium, sub vigilantia unius auctoritatis ecclesiasticae.

Ut vero efficacius procederetur, S. C. C., litteris circularibus ad omnes Italiae Ordinarios datis (20 lunii 1929; Cfr *A. A. S.* XXI (1929), pag. 384) circa administrationem bonorum beneficialium et ecclesiasticorum, praecipit in omni Curia *officium dioecesanum* (Ufficio Diocesano) constituendum esse, cui cura incumberet administrationis, vigilantiae et interventionis bonorum pertinentium ad capitula cathedralia, paroecias, ceteraque beneficia; item ad ecclesias, oratoria, fabricas, confraternitates vel alias personas morales ecclesiasticas vel cultui addictas (art. 9).

Sed expensis huius dioecesanae administrationis providendis, pariterque promovendis caeteris dioecesanis operibus, consulere visum est, et opportune ductum redditus annuos beneficiorum etiam vacantium, ceterorumque entium ecclesiasticorum vel cultui addictorum, quae in possessionem bonorum, vi Concordati, immissa sunt, taxa aliqua gravari quae vulgo *due per cento* (2 %) audit (art. 57).

Distributiones quotidianae, cum videantur inter red-

ditus beneficiorum computari, ansam praebuere quaestioni, utrum eae obnoxiae praedicto tributo essent, an non.

Sacra vero Congregatio Concilii, cuius resolutioni proposita fuit controversia, merito *negative* respondendum esse censuit.

Primo, quia distributiones quotidianae ex sua natura non sunt fructus seu redditus beneficiorum. Historice, erant portiones pecuniae vel vini, olei, aut fructuum, quae distribui consueverant iis, qui praesentes aderant officiis divinis.

Eadem vero natura firma manet in Codice Iuris Canonici. Unde nullatenus eae sub redditibus annuis computari licet.

Secundo, tributum impositum in art. 57 de quo est quaestio, habet characterem realem ; gravat enim ipsos redditus, non autem personam investitam beneficio. Iam vero, distributiones habent naturam stipendii personalis in praemium laboris et servitii personalis praestiti, ita ut canonicus voluntarie et legitime eas amittat tempore vacationum, cum tamen percipiat eo tempore praebendae fructus (can. 418 § 3).

Tertio, cum distributiones sint aliquid superadditum fructibus, nullatenus dici potest, eas annuum reditum beneficii efficere. Portiones illae, antequam distribuantur, non pertinent ad aliquod beneficium separatum, neque sunt fructus beneficiales, quibus applicari debeat v. g. praescriptum can. 1473 de impendendo superfluo in pauperes aut causas pias.

Quin immo, si distributionibus quotidianis applicaretur taxa, deficeret, vel minueretur stimulus ad assistentiam divinis officiis praestandam; stimulus ille qui tandem est ratio praecipua et munus proprium distributionum. Nam taxa proposita tantum exigi posset a diligentioribus, quibus unice ex mente et praescripto legis distributiones cedunt.

Unde nisi expresse de his sermo esset in articulo proposito, non possunt distributiones in impositionem praescriptam taxae beneficialis comprehendi.

Cui sententiae merito maximum robur S. C. C. resolutio attulit.

Ubi autem omnes reditus beneficii distributionibus constent, tertia tamen pars immunis pronuntiatur, quia haec propriam distributionum quotidianarum rationem servat (Arg. can. 395 § 1).

R. BIDAGOR S. I.

---

41. — S. Poenit. Apostolica (*officium de indulgentiis*)

Decretum 25 mart. 1931

CIRCA INDULGENTIAS VIAE CRUCIS AB INFIRMIS LUCRANDAS

(A. A. S., 4 maii 1931, XXXIII, 167)

Decreti ratio

Devotam Passionis Ss.mi D. N. I. C. recordationem per pium, quod vocant, exercitium *Viae Crucis* maximi infirmis esse solaminis, qui spirituali eorum adsistentiae dant operam unanimiter testificantur. Ad excitandos igitur ad tam salutarem praxim eos quoque qui a praefato pio exercitio regulariter peragendo aegritudine impediuntur, Ss.mus D. N. Pius Pp. XI, instante infrascripto Cardinali Maiore Poenitentiario, in audientia diei 20 currentis mensis, benigne concedere dignatus est ut

Condicio

infirmi qui pium exercitium *Viae Crucis* nec in forma ordinaria nec in forma statuta a Clemente XIV die 26 Ianuarii 1773, per recitationem scilicet viginti *Pater, Ave* et *Gloria*, absque gravi incommodo vel difficultate peragere valeant, omnes et singulas indulgentias, eidem pio exercitio quomodocumque adnexas, lucrari possint vel osculando vel etiam tantum intuendo, cum

Beneficium

affectu et animo contrito, in aliquem Crucifixum ad hoc benedictum, eis vel a sacerdote vel ab aliqua alia persona exhibitum, et recitando brevem aliquam orationem vel precem iaculatoriam in memoriam Passionis et mortis Iesu Chiri Domini Nostri.

Praesentibus absque Brevis expeditione in perpetuum valituris, contrariis quibuscumque non obstantibus. *Valor perpetuus*

Datum Romae, ex Sacra Poenitentiaria, die 25 Martii 1931. *Dies (25 mart. 1931).*

L. Card. LAURI, *Poenitentiarius Maior.*

L. ✠ S. I. TEODORI, *S. P. Secretarius*

ANNOTATIO

Observes ut condicionem necessariam requiri ut infirmus nequeat sine gravi incommodo vel difficultate etiam 20 Pater, Ave et Gloria coram imagine ad hoc benedicta recitare simul recogitando Christi Passionem. Difficultas dicit impedimentum; incommodum vero refertur ad damna ex aliter peracta exercitatione timenda. De usu imaginis Christi crucifixi ad lucrandas indulgentias viae crucis, sermo habetur in *Per.*, X, (29); de locis ubi benedici queat a sacerdote ascripto piae unioni cleri pro missionibus, *Per.*, XVII, 140.

ACTA SUMMATIM RELATA

42. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Translatio sedis episcopalis dioecesis Leadensis, in Foed. Stat. Amer. Septemtr.

A. Bulla *Apostolicis Litteris,* 1 aug. 1930, sedes episcopalis dioecesis Leadensis in urbem Rapidopolitanam transfertur, immutatis titulo dioecesis et ecclesiae cathedralis (A. A. S., XXIII, 113).

B. M. V. sub titulo « della Guardia » oppidi « Borghetto S. Spirito », in Italia, caelestis Patrona pronuntiatur.

B. Brevi *Oppidi cui nomen,* 24 aug. 1930, B. M. V. ab excubiis, vulgo « della Guardia » Patrona caelestis oppidi « Borghetto S. Spirito » dioecesis Albinganensis declaratur dispensata forma canonicae electionis (A. A. S., XXIII, 154).

B. V. Immaculata sub titulo « De Lujan » Patrona Argentinae Reipublicae declaratur.

C. Brevi *Argentinae Reipublicae,* 8 sept. 1930, instantibus Episcopis, motu proprio atque ex certa scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, constituitur B. M. V. Immaculata, sub titulo « Nostrae Dominae de Lujan », Argentinae Reipublicae, itemque Uruguayanae et Paraguayanae caelestis Patrona (A. A. S., XXIII, 156).

D. *Litterae de Dioecesibus, Vicariatibus, Praefecturis Apostolicis et Missionibus.*

Nova Missio de Rajburi, in insula Malacensi.

1. Brevi *Quae catholico,* 30 iun. 1930, nova erigitur Missio independens de Rajaburi ex territorio a vicariatu apostolico de Bangkok et a dioecesi Malacensi distracto (A. A. S., XXIII, 115).

Nova Missio de Wuchow in Sinis.

2. Brevi *Delegatus Apostolicus,* 30 iun. 1930, dismembrato territorio a vicariatu apostolico de Nanning, erigitur Missio sui iuris de Wuchow in Sinis. (A. A. S., XXIII, 152).

Erectio vicariatus apostolici Magni Namaqualand, in Africa meridionali.

3. Brevi *Supremi sunnus,* 14 iul. 1930, in vicariatum apostolicum praefectura Magni Namaqualand erigitur (A. A. S., XXIII, 116).

E. *Litterae de ecclesiis.* In Basilicam minorem eriguntur:

Sanctuarium B. M. V. de bono Succursu paroeciae de Lablachère, in Gallia.

1. Brevi *Dioecesis Vivariensis,* 24 aug. 1930, sanctuarium B. M. V. de bono Succursu, paroeciae de Lablachère, dioecesis Vivariensis intra fines (A. A. S., XXIII, 153).

Ecclesia S. Michaelis Arch. urbis Matritensis, in Hispania.

2. Brevi *Matritensi in civitate,* 15 sept. 1930, ecclesia S. Michaelis Archangeli in Matritensi civitate (A. A. S., XXIII, 156).

Ecclesia in honorem B. M. V. in caelum Assumptae Secovien, in Austria.

3. Brevi *A Seccoviensis,* 7 oct. 1930, ecclesia B. M. V. in caelum Assumptae, caenobio O. S. B. Congr. Beuronensis adnexa (B. A. S., XXIII, 158).

Templum B. M. V. oppidi Lujan, in Argentina republica.

4. Brevi *Litteris nostris,* 15 nov. 1930, templum B. M. V. Immaculatae in oppido « Lujan » (A. A. S., XXIII, 156).

43. — S. Congregatio Rituum.

Causae canonizationis et beatificationis:

1. *Taurinen.* Decretum 18 iun. 1930, reassumptionis causae canonizationis B. Ioannis Bosco, sacerdotis et fundatoris Piae Soc. Salesianae et Instituti Filiarum Mariae Auxiliatricis (A. A. S., XXIII, 82). *B. Ioannes Bosco.*

2. *Westmonasterien.* Decretum 18 iul. 1930, reassumptionis causae canonizationis Beatorum martyrum Card. Ioannis Fischer, Episcopi Roffensis et Thomae More, Cancellarii Angliae. (A. A. S., XXIII, 131). *Beati Martyres Card. Ioan. Fischer et Thomas More.*

3. *Mediolanen.* Decretum 8 febr. 1931, super virtutibus in gradu heroico Ven. Servi Dei Contardi Ferrini, viri laici, professoris Athenaei Papien. et aliorum. (A. A. S., XXIII, 84). *Ven. Contardus Ferrini.*

44. — Pontificia Commissio Pro Russia

Approbationes Constitutionum:

1. Decreto 8 dec. 1930, constitutiones Congregationis Georgianae Servorum Beatae Mariae Virginis sine labe Conceptae ad septennium approbantur. *Congregationis Georgianae Servorum B. M. V. sine labe Conceptae.*

45. — Provisio Ecclesiarum

Decretis S. Congr. Consistorialis nominati sunt:

14 ian. 1931, R. P. D. Aloisius Dell'Aversana, Cathedrali Ecclesiae Venusinae, cum Ecclesiis Cathedralibus Melphiensi t Rapollensi ad personam unitae. *Venosa (Italia).*

30 ian. 1931, R. P. D. Franciscus Gonzalez, ex ep. Campecorensi, Cathedrali Ecclesiae Cuernavacensi. *Cuernavaca (Mexicana resp.).*

30 ian. 1931, R. D. Gulielmus Tritschler, Cathedrali Ecclesiae S. Ludovici Potosiensis. *St. Louis Potosi (Mexicana resp.)*

30 ian. 1931, R. D. Ioseph Vogt, Cathedrali nuper erectae Ecclesiae Aquisgranensi. *Aachen (Germania).*

6 febr. 1931, R. D. Ioseph O' Sullivan, Cathedrali Ecclesiae Carolinaepolitanae. *Charlottetown (Canadà).*

Sassari (Italia). 12 febr. 1931, R. P. Archangelus Mazzotti, O. F. M., Metropolitanae Ecclesiae Turritanae.

Chieti (Italia). 18 febr. 1931, R. P. D. Ioseph Venturi, ex ep. Calliensi et Pergulano, Metropolitanae Ecclesiae Theatinae cum perpetua administratione Ecclesiae Cath. Vastensis.

Aquila (Italia). 18 febr. 1931, R. P. D. Gaudentius Mannelli, ex ep. Anagnino, Archiepiscopali Ecclesiae Aquilanae.

Fidenza (Italia) 6 mart. 1931, R. D. Marius Vianello, Cathedrali Ecclesiae Fidentinae.

Veroli (Italia) 11 mart. 1931, R. D. Franciscus De Filippis, Cathedrali Ecclesiae Verulanae.

Andria (Italia) 11 apr. 1931, R. D. Ferdinandus Bernardi, Cathedrali Ecclesiae Andriensi.

Sarsina (Italia) 17 apr. 1931, R. D. Theodorus Pallaroni, Cathedrali Ecclesiae Sarsinatensi.

Toledo (Foed. Stat. Amer. Sept.). 17 apr. 1931, R. D. Carolus Alter, Cathedrali Ecclesiae Toletanae in America.

Denver (Foed. Stat. Amer. Sept.). 17 apr. 1931, R. D. Urbanus Ioannes Vehr, Cathedrali Ecclesiae Denveriensi.

Decretis S. Congr. de Propaganda Fide nominati sunt.

Kumbakonam (India). 24 febr. 1931, R. D. Petrus Rayappa, Cathedrali Ecclesiae Kumbakonamensi.

Vijayapuram (India). 24 mart. 1931, R. D. Bonaventura a S. Ioseph, Cathedrali nuper erectae Ecclesiae Vijayapuramensi.

46. — Nominationes.

A. *Brevibus Apostolicis nominati sunt:*

Chiquitos (Bolivia). 8 ian. 1931, R. P. Bertholdus Bühl, Vicarius Apostolicus de Chiquitos.

Bluefields (Nicaragua). 27 febr. 1931, R. P. Mathias a S. Laurentio, Vicarius Apostolicus de Bluefields.

Namaqualand (Africa mer.) 27 febr. 1931, R. P. Ioseph Klemann, Vicarius Apostolicus Magni Namaqualand.

Salisbury (Africa centr.) 4 mart. 1931, R. P. Aston Chichester, Vicarius Apostolicus de Salisbury.

B. *Decretis S. Congr. de Propaganda Fide nominati sunt:*

19 dec. 1930, Ill.mus et Rev.mus D. Antonius Bonnici, Praeses Pontificii Operis a Propagatione Fidei in Melita insula. — *Praeses. Pont. operis, Malta.*

19 febr. 1931, R. D. Georgius Ioseph Haezaert, Praefectus Apostolicus de Katanga septemtrionali. — *Praef. Apost. Septemtr. Katanga (Africa centr.)*

20 febr. 1931, Ill.mus et Rev.mus D. Aloisius Hudal, Membrum Consilii Superioris Generalis Romae consistentis, eiusdem Pontificii Operis, pro Austria. — *Pont. operis a Prop. Fide, pro Austria.*

27 febr. 1931, R. D. Franciscus Sanz Pascual, Praefectus Apostolicus de Chocó. — *Praef. Apost. Chocó (Colombia)*

28 febr. 1931, R. D. Caietanus Pasotti, Superior Ecclesiasticus missionis de Rajaburi. — *Super. missionis Rajaburi (Siam).*

30 mart. 1931, R. D. Gaspar Hu, Praefectus Apostolicus de Lintsing. — *Praef. Ap. Lintsing in Sinis.*

31 mart. 1931, Ill.mus et Rev.mus D. Raphael Vallejo Macouzet, Praeses Pontificii Operis a Propagatione Fidei in ditione Mexicana. — *Pont. Op. a Prop. Fide pro Mexicana resp.*

47. — Necrologium.

5 febr. 1931, D. Albertus Nègre, archiepiscopus Turonensis. — *Tours (Francia).*

17 mart. 1931, Em. Card. Petrus Maffi, archiepiscopus Pisanus. — *Pisa (Italia).*

19 mart. 1931, D. Michael Camilleri, episcopus Sanctoriensis. — *Santorino (Grecia).*

30 mart. 1931, D. Joseph Belisarius Santistevan, archiep. tit. Synnadensis et episcopus S. Crucis de Sierra. — *Sta Crux de la Sierra (Bolivia)*

2 apr. 1931, D. Carolus Gibier, episcopus Versaliensis. — *Versailles (Francia).*

7 apr. 1931, D. Joseph Shiel, episcopus Rokhamptoniensis. — *Rockhampton (Australia).*

7 apr. 1931, D. Aemilius Cottafavi, episcopus Tarquiniensis, et Centumcellarum. — *Tarquinia e Civitavecchia (Italia).*

15 apr. 1931, D. Patricius Vicentius Dwyer, episcopus Maitlandensis. — *Maitland (Australia).*

BIBLIOGRAPHIA

I. *Ex libris.*

*** *La Hiérarchie Catholique et le Probleme Social depuis l'encyclique « Rerum Novarum »* 1891-1931. Vol. (16,7 × 21,5), XVI-336 pag. Paris, Éditions Spes, 1931, 40 fr.

Documents Pontificaux de S. S. Léon XIII; - de S. S. Pie X; de S. S. Benoît XV; de S. S. Pie XI. Documents Épiscopaux: Allemagne - Autriche - Belgique - Canada - Chine - Espagne - États-Unis d'Amérique - France - Grande-Bretagne - Irlande - Italie - Luxembourg - Pays-Bas - Pologne - Suisse - Tchéco-Slovaquie. — Missions.

Mons. Domenico Jorio. *La Comunione agli Infermi.* Vol. (15,8 × 23), XII-103 pag. Roma, Pustet, 1931.

La Comunione per modo di Viatico agli infermi. - Precetto divino del Viatico nel pericolo di morte. - Chi è tenuto al precetto divino del Viatico. - Quante volte si può ricevere il Viatico nel pericolo di morte. - La Comunione di devozione agli infermi. - Bisogno spirituale degli infermi. - La Comunione frequente e quotidiana agli infermi. - Il digiuno naturale per la Comunione di devozione agli infermi. - Dispensa dal digiuno accordata dal diritto ad alcuni infermi. - Forma e ministro della Comunione agli infermi. - La Comunione in forma pubblica e in forma privata agli infermi. - Ministro della Comunione in forma pubblica agli intermi. - Ministro della Comunione per modo di Viatico in forma privata agli infermi. - Ministro della Comunione di devozione in forma privata agli infermi. Appendici.

Von Bernhard van Acken, S. I. *Der Priesterberuf.* Vol. (14 × 21,5), 70 pag. Trier, Paulinus Drûkerei, 1931.

Der Priesterberuf im allgemeinem. - Die Vorbedingungen zum Priestertum. - Weckung und Förderung der Priesterberufe. - Erfordenisse für die Aufnahme ins Knabenkonvikt.

G. Joannès. *Le Cardinal Mercier, Docteur de la Vie intérieure.* Vol. (12 × 19), XIV - 145 pag. Paris, Pierre Téqui, 1931, 8 fr.

Trois principaux traits de sa physionomie surnaturelle. - La formation de l'homme d'oraison, en Désiré Mercier. - Sa montée ascendante dans la lumière. - L'Éducateur. - Le Directeur spirituel. - L'Ascète et le Mystique.

Lettre Encyclique de Sa Sainteté Pie XI sur le mariage chrétien.

Texte Français d'après l'édition Vaticane. Texte Latin original en regard; subdivisions en correspondance dans les deux textes. Vol. (17.7 × 24), 71 pag. Bruges. C. Beyaert. 1931, Prix 8 francs.

J. B. Deelen. *Van Man En Vrouw.* Vol. (15.5 × 23.7), 185 pag. S'-Hertogenbosch, L. C. G. Malmberg, 1931.

Voorwoord - Inleiding. - Aan Man en Vrouw. - De Menschelijke Voortplanting. - Van het Mannelijke. - Van het Vrouwelijke. - Het Huwelijksleven. - Kinderbeperking. - Het Neomalthusianisme. - Neomalthusianisme en Eugenetica. - Het Groote Gezin. - Naar het Geluk! - Aan Man en Vrouw.

Dr. Prof. Roberto Bompiani. *Eugenica e Stirpe.* Volume (18 × 25.5), VIII-230 pag. Roma, Luigi Pozzi, 1931 - 25 Lire.

Parte prima: Eugenica Generale. Principii generali. - Le eredità patologiche più importanti dal punto di vista demografico ed eugenico. - L'eredità sifilitica. - L'eredità tubercolare. - Alcoolismo ed eugenica. - La malaria in rapporto al problema demografico ed eugenico. - Le malattie nervose e mentali di fronte al problema eugenico e demografico. - Fattori legali alla funzione di maternità che possono avere influenza sul problema demografico ed eugenico, più specialmente considerati da questo secondo punto di vista. - Costituzione ed eugenica.

Parte seconda: Eugenica applicata alla giovinetta in vista della futura funzione di maternità. - Le modificazioni dell'organismo femminile nell'età pubere. - Lo sviluppo dell'apparato genitale dalla nascita all'età della vita sessuale. - Le cause che possono modificarne l'evoluzione ed i loro effetti più specialmente considerati per l'utero e per l'ovaio. - Lo sviluppo del bacino e le cause che possono alterarne l'evoluzione dalla nascita all'età della vita sessuale. - Lo sviluppo della mammella e le cause che possono alterarne l'evoluzione ripercuotendosi sulle funzioni di maternità. - L'igiene e la profilassi ginecologica dalla nascita all'età della vita sessuale in rapporto alla futura funzione di maternità. - Il lavoro stipendiato e salariato, considerato più specialmente nell'età dello sviluppo, in rapporto alla funzione di maternità. - La profilassi morale del matrimonio: disciplina della vita nella giovane che si appresta a divenir madre.

Benedictus H. Merkelbach (O. P.). *Summa Theologiae Moralis.* Vol. (15 × 22), 756 pag. Paris, Desclée De Brouwer 1931, Prix, 60 fr. belges.

Theologia moralis Generalis. De ultimo fine seu de beatitudine. - De actibus humanis in se. - De actibus humanis secundum esse materiale et psychologicum - secundum esse morale - secundum esse supernaturale et meritorium. - De conscientia in generali - De legibus in genere - De lege in genere - Aeterna - Naturali - Humana et Civili - Divina - Ecclesiastica - De peccatis in genere - De peccato secundum se - De causis peccatorum - De effectibus peccatorum - De habitibus et virtutibus in genere - De habitibus in genere secundum esse psychologicum - secundum esse morale seu de Virtutibus acquisitis - secundum esse supernaturale seu de Virtutibus infusis - *Theologia Moralis Specialis* - De fide divina - De obiecto fidei - De actu fidei - De habitu fidei - De vitiis et peccatis fidei oppositis - De praecepto fidei - De spe divina - De obiecto et actu spei - De habitu et Subiecto spei - De peccatis spei oppositis - De praecepto spei - De divina charitate - De ipsa charitate - De obiecto charitatis - De actibus charitatis - De peccatis charitati oppositis - De praeceptis charitatis.

Capellmann - Niedermeyer. *Fakultative Sterilität.* Volume (14 × 22.5), 109 pag. Limburg, Verlag Gebr. Steffen, 1931.

Hölscher Emil Erich. — *Vom Römischen zum Christlichen Naturrecht.* Vol. (11,8 × 19,5), 151 pag. Augsburg, Institut Haas und Grabherr, 1931.

Das ius naturale der Römer. — Excurs: Statisches und dynamisches Rechtsdenken. — Ueber die Entstehung naturrechtlicher Ideen im Mittelalter, — Das Naturrecht der Scholastik, — Die Wiederbelebung des römischen Rechtes seit dem 11 Iahrhundert. — Die Uberwindung des römischen Rechtsdenkens durch das Naturrecht der Scholastik. — Anmerkungen.

F. Claeys Boúúaert, (I. C. M.) — **G. Simenon.** — *Manuale Iuris Canonici,* Gandae et Leodii. 1931. Tomus Primus. Volume (16,5 × 25) XII - 446 pag.

Introductio; Notiones generales – Conspectus historicus circa modum condendi leges et circa evolutionem scientiae iuris - De relatione Ecclesiae ad societatem civilem. Liber primus: Normae generales. Liber secundus: De personis. Tomus Secundus. Vol. (16,5 × 25), XII - 384 pag.

De Sacramentis: praemissa generali tractatione de rebus Ecclesiasticis. Commentarium in partem primam Libri Tertii Codicis. Tomus Tertius. Vol. (16,5 × 25), IX - 415 pag. Libri III (omissa prima parte), IV et V codicis.

Liber tertius: De rebus. - Liber quartus: De processibus. - Liber quintus: De delictis et poenis.

G. Vromant, (C. I. C. M.). *Ius Missionariorum.* Tom. V. De Matrimonio. Vol. (14,7 × 22,5) XIII3-55, Louvain, Museum Lessianum, 1931.

Pars Prima: De Matrimonio contrahendo. De regimine matrimonii, — Matrimonium subest potestati publicae. — Iura Ecclesiae: Iura et officia potestatis civilis. — De iis quae contractui matrimoniali sunt praemittenda. — De sponsalibus: De examine nupturientium. — De impedimentis matrimonii. — Quibusnam impedimentis ligantur neo-conversi. — De impedimento disparitatis cultus. — Ius commune in dispensandis impedimentis matrimonialibus — Ius speciale missionum quoad dispensationes matrimoniales — De contractu matrimoniali — De consensu matrimoniali — De forma matrimonii — Matrimonii contractus et sacramentum — De sanatione in radice — Ius commune Codicis — Ius particulare Missionum — *Pars Secunda:* De solutione matrimonii infidelium — Solutio matrimonii infidelium ex privilegio fidei — Notiones, origo, finis et obiectum privilegii fidei — De supposito valido matrimonio inter infideles — De requisita unius conversione ac permanente alterius infidelitate — De discessu partis infidelis — De probando discessu coniugis infidelis — De dispensatione ab interpellationibus — solutio matrimonii ex potestate pontificia — *Pars Tertia:* De causis matrimonialibus — De usu procedurae sollemnitatum — Instructio pro causis matrimonialibus, ex indulto in Sinis servanda.

Mario Petroncelli. *Il principio della non retroattività delle leggi in Diritto Canonico.* Vol. (15,3 × 17), 74 pag. Milano, Società Editrice « Vita e Pensiero », 1931, 5 Lit.

I fondamenti storici e giusnaturalistici del principio della retroattività delle leggi. Dottrine canonistiche sulla non retroattività delle leggi. Ricostruzione della teoria.

Mgr. Louis Prunel. *Sainte Thérèse de l'Enfant-Jésus.* Vol. (9,8 × 15,3), VI-63 pag. Paris Pierre Téqui, 1931 - 2 fr.

I. Modèle du Prêtre. - II. Modèle de la Jeune Fille. - III. Modèle de l'Enfant.

P. Léonard Bohler (O. F. M.). *Soeur Marie de Bon Secours* Vol. (12×19), XXXIV - 214 pag. Paris, Pierre Téqui, 1931, 12 fr.

Enfance de Marie. - Première Communion; confirmation. - Marie à Périgueux. - Marie à Brive. - Apostolat de Marie. - Marie tombe malade. - Ses épreuves. - Souvenirs de son noviciat. - Influence de Soeur Marie de Bon-Secours. - La Professe-Heureuse influence sur les membres de sa famille. - Esprit franciscain. - Maladie grave. - Après la mort.

Ioseph Vernhes (P. S. S.). — *Le Vrai Chemin du Paradis ou la Prière.* Vol. (12,8 × 16,5), 363 pag. Paris, Pierre Téqui, 1931 - 10 fr.

Nature de la Prière. - Douceurs et joies de la prière, ses sécheresses et ses dégoûts - Facilités et difficultés de la prière - Puissance de la prière - La nécessité de la prière - Durée de la prière ou temps à lui consacrer - Oubli ou méconnaissance du devoir de la prière - De la prière de demande. - L'union à Notre-Seigneur, ou la prière faite en son nom - La formation des intentions - L'attention ou le recueillement: Trois règles à ce sujet - L'humilité - La confiance - La persévérance - La générosité - Jésus modèle et source de l'esprit de prière - Préliminaires - Bref exposé de la méthode de l'oraison de méditation.

Florence O' Noll. *La vie et les oeuvres d'Eugénie Bonnefois, l'Apôtre des Petits Forains.* Vol. (12 × 18,8), 168 pag. Paris, P. Téqui, 1931 - 10 fr.

Les débuts d'une Saltimbanque - Les Années heureuses - L'Épreuve - L'Ambulancière 58 - La Lutte par la Vie - Fondation de l'École Foraine - Un milieu pittoresque - Une figure d'Apôtre - Les Récompenses - Les Idées d'Eugénie Bonnefois - La Congrégation de Picpus - La retraite au couvent - Les derniers jours - « Et resurrexit ».

F. Neyen (S. C. I.). *Notre Vie spirituelle.* Vol. (12 × 19), 314 pag. Paris, Pierre Téqui, 1931 - 12 fr.

Des alternatives par lesquelles l'âme passe dans la vie spirituelle - Des ennemis que votre âme est appelée a rencontrer dans la vie spirituelle et qui l'établissent dans l'alternative du combat - Des différents états d'âme dans la vie spirituelle - Des moyens mis à la disposition de l'âme pour vivre sa vie spirituelle - Où en êtes-vous de votre vie spirituelle?

C. Callewaert (I. C. D.). *De Breviarii Romani Liturgia* Vol. (16,5 × 25), X-308 pag. Brugis, C. Beyaert, 1931, Fr. 35.

Caput I. - Officii Divini notio et generalis ordinatio. — *Caput II.* - Historia officii canonici. — *Caput III.* - Elementa constitutiva officii. — *Caput IV.* - De diversis horis officii quotidiani. — *Caput V.* - De officiis diversis. — *Caput VI.* - De relatione officiorum inter se. — *Caput VII.* - De officiis extra corpus breviarii.

Sac. Emilio Hoenning O' Carrol. — *Meditazioni.* IV. La Chiesa. Vol. (10. 3 × 16,5), 469 pag. Torino, Marietti, 1931.

Domenica di Pasqua. - Rinnovata giovinezza. - Il Divin Salvatore. - L'Unione con G. Cristo. - Come avviene l'unione.

- La Chiesa. Il mistico Corpo. - L'Avvocata nostra. - Domenica in Albis. - La semplicità di cuore. - L'unità della Chiesa. - Del fine della Chiesa. - Il Sacerdozio. - L'Educatore. - Infallibilità della Chiesa. - Analogia di Maria con la Chiesa. - II. Domenica dopo Pasqua. - Il Buon Pastore. - La santità del Sacerdozio. - Il Cristiano coniugio. - La regalità di G. Cristo. - La Chiesa regno d'amore e di pace. - L'amore di Maria SS. verso gli uomini. - III. Domenica dopo Pasqua. Brevità della prova. - I Santi Martiri. - Il dominio della Povertà. - Il dominio della Scienza. - Diritto di difesa della Chiesa. - Il dominio di proprietà. - Maggio. - IV. Domenica dopo Pasqua. - La promessa dello Spirito Santo. - Chiesa e Stato. - Cattolicità della Chiesa. - Apostolicità e romanità della Chiesa. - Il Papa. - L'Eucaristia. - Auxilium Chrisianorum. - V. Domenica dopo Pasqua. - Della Preghiera. - Padre nostro. - Che sei nei cieli. - Sia santificato il nome tuo. - Ascensione di nostro Signor Gesù Cristo. - Venga il regno tuo. - Regina di misericordia. - Domenica dell'ottava dell'Ascensione. - Lo zelo. - Sia fatta la volontà tua. - Dacci oggi il nostro pane quotidiano. - Rimetti a noi i nostri debiti. - Non c'indurre in tentazione. - Liberaci dal male. - Onore tributato dalla Chiesa a Maria.

Albert Bessieres. *Il deserto fiorirà*. Romanzo; versione di **M. Pia Gentili**. Vol. (14 × 21), 192 pag. Roma, Unione Missionaria del Clero in Italia, 1931. L. 10.

La fattoria San Guénolé. - La fattoria della Káhina. - La pantera. - La raccolta delle arance. - Le cavallette. - Gli Isáwa. Lo sceicco Sigiúmi. - Cartagine. - L'Anfiteatro. - La tempesta. Il carovaniere di Tuggurt. - Timgád. - Alle lacrime di Santa Monica. - Il campo di grano.

Abbé Charles Grimaud. *Bébé grandit*. Vol. (12 × 18,5), VII-280 p. Paris, Pierre Téqui, 1930, 10 fr.

L'Éducation est à base de sacrifice. - Pourquoi les Sacrifices éducateurs? - Les Sacrifices à faire... - Les Sacrifices à imposer... - L'échec de ceux qui rejettent le sacrifice... - L'Éducation est une création d'habitudes. - Éduquer c'est habituer... - L'Habitude naît du premier acte. Dresser pour ne pas redresser. - L'Éducation est une imitation. La puissance de l'imitation... - Se faire imiter... - L'inéluctable logique de l'imitation. - L'Éducation est une prédication. - Le Rôle éducateur de la parole. - Comment parler?.

Paul M. A. Mulla. *Élites des Peuples islamisés et des Nations européennes modernes*. Vol. (13,5 × 22), 27 pag. Lyon, Chronique Sociale de France, 1930.

* * * *Ordo divini officii recitandi Missaeque celebrandae iuxta Kalendarium Ecclesiae universalis pro anno bissextili Domini 1932* cum notis pro iis qui utuntur antiquis breviariis. Vol. (9,8 × 15,7), 160 pag. Neapoli, D' Auria, 1932. Venit Lit. 2.20.

Gougnard Armandus. — *Tractatus de Matrimonio.* Vol. (14,5 × 22,6), VIII-582 p. Mechliniae, Dessain, 1931.

Liber I. De matrimonii praeparatione - De promissione matrimonii - De officio parochi atque confessarii erga nupturientes - De proclamationibus antematrimonialibus. Liber II - De matrimonio universim spectato - De essentia et institutione matrimonii - De matrimonio ut est sacramentum - De consensu matrimoniali - De forma celebrationis matrimonii - De obligationibus matrimonii - De proprietatibus matrimonii. Liber III - De impedimentis matrimonii - De impedimentis in genere - De impedimentis impedientibus - De impedimentis dirimentibus. Liber IV - De dispensationibus matrimonialibus - De matrimonii convalidatione.

Paul Dabin, S. I. — *L'Apostolat laïque.* Vol. (12 × 19) 230 p. Paris-Blond et Gay, 1931, 12 frs.

Fondements scripturaires - Fondements patristiques - L'Enseignement des derniers papes - Le concept de « Participation » - Le laïcat - La notion de hiérarchie - La notion d'apostolat - Les déviations de l'apostolat laïque - La question de l'obligation - La direction laïque dans l'action catholique - Le mystére de l'Église et l'action catholique.

Ioseph Descamps (Abbé). — *Les Chaînes d'Or.* Vol. (13,3 × × 19) 477 p. Paris, Peignes, 1929, 12 frs.

Ioseph Descamps (Abbé). — *Les mains qui s'inclinent.* Vol. (13 × 19,5) 363 p. Paris - A. Giraudon, 1930, 15 frs.

Ex Periodicis

Apollinaris 1931. — MAROTO. Litterae encyclicae de matrimonio christiano. — DE SCHEPPER. De syndacalismo christiano iuxta Litteras S. C. Concilii ad E.mum Liénart Episcopum Insulensem. — D' AMBROSIO (O. M. C.). De causis exclusionis religiosi a renovatione professionis in institutis votorum temporariorum. — CANESTRI. An concedenda sit sepultura ecclesiastica infantibus defunctis sine baptismo. — TEODORI. Absolutio a censuris in casibus urgentioribus.

The Clergy Review 1931. — HIS EM. CARD. BOURNE. The Church's opportunity in England. — REV. HENRY TRISTRAM.

A Newman synthesis. — KARL ADAM. (Dr.) Iesus and Life. — REV. BENEDICT ZIMMERMAN (O. C. D.) On Feasts simple and double. — REV. HENRY DAVIS (S. I.) State sterilization. — MOST REV. ALBAN GOODIER (S. I.) « I in them ». — RICHARD O' SULLIVAN. Christianity and the common law. — REV. P. COFFEY. Capital ownership and credit control. — ABBOT BUTLER. Prayer. — Rev. E. J. MAONEY (D. D.). Bondmen or free? — RIGHT REV. ABBOT CABROL (O. S. B.). The excellence of the Roman mass. — RIGHT MGR. PROVOST FREELAND (V. G.). The marriage question. — Rev. JOHN G. VANCE, PH. D. (M. A). Religion and conscience. — Rev. DOMINIC PRÜMMER (O. P.). The obligations of justice sometimes arising from sexual crime. — Rev. PHILIPH HUGHES (L. S. H.). A Bishop and his Diocese on the eve of the reformation. — Rev. J. CARTMELL. D. D. (M. A.). The doctor of charity. — M. C. D'AREY (S. I.) A Modern Form of Thomism. — C. C. MARTINDALE (S. I.). Latin. — MYERS (M. A.). Catechism Revision.

Collationes Brugenses 1931. — V. COUCKE. De lotione vaginali et uterina. - De delegatione ad assistendum matrimonio. - De tempore ageneseos. — A. LEGRAND. De duplici discretione spirituum. - De criteriis discretionis spirituum. Over stigmatisatie. — St. WILLEMS. De impotentia ordinis physici excusante a lege ieiunii ecclesiastici et a lege abstinentiae. - De impotentia ordinis spiritualis excusante a lege ieiunii ecclesiastici et a lege abstinentiae. — C. CALLEWAERT. De minori altaris supellectili.

Collationes Gandavenses 1931. — F. CLAEYS BOÚÚAERT. Des règles ecclésiastiques et civiles concernant les quêtes dans les églises. - Dons et legs aux associations sans but lucratif. — V. MANNAERT. De indulti altaris privilegiati acquisitione. — F. BLATON. De casu dispensationis in lege naturali et de huius immutabilitate.

Collationes Namurcenses 1931. — E. RANWEZ. An licet occidere aggressorem non formaliter injustum? L'envie. — E. VOOSEN. Tentatives de réforme au Xe siécle. - De residentia parochorum. — *** Epistola pontificia ad R. P. D. Thomam Ludovicum Heylen, Episcopum Namurcensem, Natalem Sacerdotii sui quinquagesimum celebraturum. — A. COLLART. De Sacrificio. Oblatione.

Collationes Tornacenses 1931. — *** Natura contritionis perfectae. — X. NASSAU. A propos des mariages mixtes.

Collectanea Mechliniensia 1931. — A. GOUGNARD. De confessario occasionali religiosarum. Le sacrement de l'Ordre. —

De praecepto ecclesiastico confessionis annuae. — A. VERHAEGEN. Het Nieuw Malthusianisme. — E. CARTON DE WIART. Une histoire de la tradition doctrinale et spirituelle dans l'Église. — P. GILLET. De provisione officiorum. Notio clericorum. — A. VAN HOVE. De gratia sacramentali propria S. Eucharistiae. — A. CROEGAERT. De Kalendario particulari. — S. NIJS. De Bloedige Missie. — C. DE CLERCQ. A propos de la formule de Baptême in nomine Jesu.

Commentarium pro religiosis 1931. — A. LARRAONA. Comm. can. 527-530. Quaestiones canonicae circa rescriptum saecularizationis et incardinationem saecularizati. — D. OESTERLE (O. S. B.). Clementi VIII relatio ad l. II C. I. C. t. X, cap. 2. De confessariis et cappellanis. — GOYENECHE. Consultationes. — A. TABERA. De dimissione religiosorum. Disciplina hodierna.

Il Diritto Ecclesiastico 1931. — MARIO FERRABOSCHI (1930). Le condizioni per il rilascio del certificato di cui all'art. 7 della vigente legge matrimoniale. — AMEDEO GIANNINI. Il Concordato Prussiano. — PASQUALE BOVA (1930). L'interpretazione dell'Art. 30 del Concordato per le Confraternite e le Fabbricerie, in relazione ai criteri della Commissione mista dei Delegati della S. Sede e del Governo Italiano per predisporre l'esecuzione del Concordato. — VITTORIO MEACCI. Il Privilegio Paolino in relazione al Concordato Lateranense e alla legge 27-5-1929, n. 847. — CESARE BADII. Se la eccezione della indissolubilità del matrimonio in favore della Fede, debba considerarsi esclusa nel nuovo diritto matrimoniale italiano. — GIUSEPPE FORCHIELLI. L'impignorabilità degli stipendi ed assegni degli ecclesiastici. — A. C. JEMOLO. Alcune considerazioni sul R. D. 30 ottobre 1930 n. 1731 sulle Comunità Israelitiche. — ARNALDO BERTOLA. Sulla trascrizione del matrimonio religioso preconcordatario. - Nuovi aspetti della questione delle « Frodi Pie » nel diritto concordatario. — LUIGI CAPALTI. Le nullità matrimoniali nell'inaugurazione dell'anno giuridico della Cassazione. — G. PISTOLESE. Sull'interposizione di persona. (art. 773 cod. civ.). — GIUSEPPE CORAZZINI (avv.). I voti monastici nella legislazione concordataria.

Ephemerides Liturgicae 1931. — B. NEUNHEUSER (1930). De benedictione aquae baptismalis. — *** (1930) De Oratione: « In manus tuas, Domine ». Varianda a religiosis Romae commorantibus, etc. anno 1931 quoad Ordinem divini Officii recitandi, etc. — P. de PUNIET. L'ancien Pontifical des Papes. — L. CZAIA. De servitio chorali religiosorum. In canonem 610 C. I. C. disceptatio.

Estudios Eclesiasticos 1931. — HELLIN I. M. Determinación negativa en el B. Belarmino. — TEIXDOR L. El B. Bellarmino en la cuestión del origen inmediato de la autoridad civil en los Principes, Reyes o Presidentes de Républica. — HERNÀNDEZ E. Las fuentes principales del opúsculo Belarminiano « De ascensione mentis in Deum per scalas rerum creatarum ».

Estudis Franciscans 1931. — P. DANIEL DE MOLINS DE REI. Notes sobre la « Lletra caiguda del Ciel ». *** Apèndix I. — P. MIQUEL D'ESPLUGUES (O. M. Cap.). Fides - Patria - Amor. — P. ANDREU DE PALMA DE MELLORCA (O. M. Cap.). Les idées juridiques lullianes.

Gregorianum 1931. — C. SILVA TAROUCA. Nuovi studi sulle antiche lettere dei Papi. — A. BUKOWSKI. L'opinion de S. Augustin sur la réincarnation des âmes. — H. VAN LAAK. Documenta quaedam ex Archivis detracta circa nonnulla S. Bellarmini scripta. - De scriptis quibusdam historiam reunionis patriarcharum Graecorum cum sede Romana praeparantibus. - De re apologetica in Iaponia inter annos 1549-1578 secundum fontes quosdam nunc primum editos. — H. DU MANOIR. Le Symbole de Nicée au Concile d'Éphèse. — E. HOCEDEZ. A propos d'un livre sur l'Incarnation. — A. PARENTI. S. Scrittura. A. D'ALÈS. Le Concile d'Éphèse. — A. BREMOND. La synthèse thomiste de l'*Acte* et de l'*Idée*. — F. PELSTER. Zur Geschichte der Schule von Salamanca.

Ius Pontificium 1931. — F. CIMETIER. De obligatione recitandi Horas canonicas (Notae historicae). — A. VERMEERSCH (S. I.). De personae moralis origine seu constitutione. — G. OESTERLE. Circa declarationem authenticam can. 1102 de passiva adsistentia. — A. TOSO. Consilia et responsa. — A. C. M. SCHAEPMAN. De quibusnam examinibus clericalibus.

Benediktinische Monatschrift 1931. - ERZABT RAPHAEL WALZER. Berufung. - Erlösung. - Vollendung. — P. THOMAS AQ. GRAF. Zur Wesensstruktur des benediktinischen Geistes. — P. DAMASUS ZÄHRINGER. Kyrie eleison. - Die Messliturgie des zweiten Sonntages nach Pfingsten. — P. HILDEBRAND HÖPFL. Das Schlussevangelium der Heiligen Messe. — P. STEPHAN SCHMUTZ. « Nach der Lehre des hl. Thomas ». Religion in Geschichte und Gegenwart. — P. BASILIUS STEIDLE. Das überzeitliche Ephesus. — P. ANSELM STOLZ. Das Elend der Thomasinterpretation. — P. WILLIBRORD VERKADE. Glossen über das Gefühl. — P. DOMINICUS JOHNER. Die Geschichte des gregorianischen Gesanges in den protestantischen Gottesdiensten. — P. ATHANASIUS MILLER. Die Tipik der Osterliturgie. — R. HEITE. Theozentrische

Frömmigkeit für die Kinderwelt. — M. JORDAN. Die Arbeiter-Enzyklika im Rundfunk.

Il Monitore Ecclesiastico 1931. — *** Circa l'assistenza dei canonici al vescovo nelle funzioni episcopali. Circa le « Procure » nel Mezzogiorno d'Italia. Intenzione e condizione nel consenso matrimoniale. Testo unico sugli assegni al Clero. — Di diritti tra una collegiata e un un curato.

Perfice Munus 1931. — G. GIARIO P. (S. S.) Insegnamento educativo della religione ai giovani. — *** Religiosità e Religione. La nuova legge sul reclutamento. A proposito di paramenti liturgici. La mezzadria. - Tumulazione di salme in chiese, luoghi diversi dal Cimitero - Sopraprezzi per opere assistenziali del regime. — DR. H. I. V. ZACHARIAS. Le caratteristiche delle cristianità indiane. — DR. AND. BOFFA. Economia sociale. La crisi generale. - Di alcune cause della disoccupazione dei professionisti. — D. EM. NADDEO. I cooperatori nell'Apostolato. — F. DE SANTA. Divagazioni sul giusto salario - Rievocando l'Enciclica « Rerum Novarum » - I frutti della « Rerum Novarum ». — PROF. A. BERTOLA. Ordinamento Sindacale e Corporativo: Principii ed applicazioni pratiche. — A. GENNARO. Assoluzione simultanea di due penitenti. Quantità di vino per la Consecrazione. - De impedimento criminis - De subiecto legis quod ad celebrationem matrimonii attinet - Cause scusanti dal digiuno. — UGO ROSSI. Preparamento e ringraziamento alla S. Messa secondo lo spirito liturgico. - L'episcopato. - Il Sommo Pontificato. — GIUSEPPE ROSSI. L'istituto del Matrimonio in Italia dopo il Concordato Lateranense. — G. LARDONE. Consenso per minori. — MONS. PIZZARDO. Gli elementi essenziali dell'Azione Cattolica. — A. GALLARINI. L'imposta sui celibi. — M. PISTOCCHI. Il recidivo in ordine alle pene canoniche. — P. MATT. DA CORONATA (O. M. C.). Le testimoniali per un ex religioso esente e le dimissorie - testimoniali per le religioni o istituti esenti. - Distribuzioni quotidiane e inter praesentes. — PROF. VAUDAGNOTTI. L'antichità della SS. Eucaristia.

Palestra del Clero 1931. — MONETTI GIULIO (S. I.). Necessità per tutti dell'Ascetica particolare; - necessità dell'ascetica pei Sacerdoti. - La dottrina dell'Angelico. - I fattori della produzione: natura e genesi del capitale - il capitale strumento di lavoro - Diritti e doveri del capitale impiegato nella produzione - Ragioni intime della perfezione sacerdotale - Necessità della perfezione nell'Apostolato - Schiarimenti opportuni..... Rettificazioni necessarie. La proprietà privata (Concetto proprio della proprietà - La pro-

prietà nel disegno di Dio - Titoli della legittima proprietà - L'uso razionale della proprietà). L'opera fondamentale del padronato cristiano (Lezioni preziose - Le prime mosse - Due pregiudizi pericolosi - Un documento eloquente - Arruolamenti o selezione?) Come coltivare lo spirito di pietà nella gioventù dei nostri Circoli. - Il pregiudizio fatale. - Domine, quid me vis facere? - Proprietà naturale e diritto positivo. — MANCINI (DR.) ARGEO (S. S.). Assoluzione in latente pericolo di morte. Dei Simboli Apostolico e Niceno. - Ancora del privilegio dell'Unione Missionaria del Clero per la recita del D. O. - Questioni funerarie. - Intorno all'applicazione della Messa e sua elemosina. — BUTTIGNONI GIOV. Matrimonio religioso in condizioni imbrogliate dal lato civile. Sulla validità dei voti. Matrimonio invalido e sue conseguenze. Della astinenza e digiuno. Intorno le varie specie di acqua benedetta. - Divari dommatici fra i cattolici e gli orientali dissidenti. - Delle Liturgie orientali. — P. MATTEO DA CORONATA (O. M. C.). Benedizioni riservate e applicazioni di indulgenze. - Coadiutoria di canonicato. - Il luogo per la confessione delle donne e altre postille al can. 522. - I regolari e le tariffe funerarie. - La quarta funeraria. — *** Libro dello Stato d'Anime: Disposizioni Canonico-liturgiche. - Modo di compilarlo. - Sua conservazione. - Delegazione personale collettiva per assistenza a matrimoni. - Di un costume nell'esercizio della Via Crucis. - Tumulazione in chiese dopo il Concordato. - La doratura del piattino della Comunione. - Sulle Messe fatte celebrare da vivi. - La « vexata quaestio » del lavoro nelle Colonie. - L'educazione della castità. - Ancora dell'obbligazione del Mese di Ottobre. — L. CORBANI. Il Vangelo e la proprietà. — N. FANELLI. Prestazioni obbligatorie e libere. - Il patrimonio sacro nella disciplina canonica e nel regime concordatario. - La sospensione a divinis « ex informata conscientia » (Legislazione canonica in materia - Forma richiesta per infliggerla - Effetti di questa sospensione e ricorsi). - L'esclusione dei religiosi dagli accompagnamenti funebri. — A. GRAZIOLI. L'error communis e il difetto di giurisdizione nel Confessore secondo il can. 209. — DR. P. VITO. I diritti di stola e la dote beneficiaria. - Natura giuridica del supplemento di congrua. - Punti controversi nell'interpretazione d'una Istruzione della S. C. del Concilio. — DOTT. A. D. SARTORI. Concetto e critica dei nomi di Dio nell'Antico Testamento. — ROMUALDO PASTÈ. Lo studio della Patristica. — P. EGIDIO DA CESENA. Veridicità dei fenomeni spiritici. -

Illiceità delle sedute spiritiche. — PROF. GIUSEPPE PICCINI. Della legittimazione dei figli e gli articoli 45 e 46 dell'Istru. della S. C. dei Sacramenti. — REV. DANTE COLOMBINI. Della Messa all'Altare dell'Esposizione (dopo due recentissimi documenti della S. C. dei Riti). - Il riparto dei frutti intercalari. - Confraternite in corso di trasformazione. - Nuovi orizzonti nella legislazione per la disciplina dei culti tollerati. - La nuova legge sulle congrue: La revisione generale. — GIUSEPPE STOCCHIERO. Per essere esatti sul 2 per cento. - Tra i nostri due codici penali. - Del concorso di cause e di persone nel reato. - Cause discriminanti, attenuanti ed aggravanti (Dalla recidiva alla tendenza a delinquere... Analogie tra il can. 2208 e l'art. 103). - Del concorso di reati e di pene. - Istruzioni di S. Carlo Borromeo per la fabbrica dei luoghi sacri e della suppellettile liturgica.

Pastor bonus 1931. - PRÄLAT (Dr.) KAAS. Görres-Gesellschaft und katholische Wissenschaft. — A. HOMSCHEID. Der Katholische Nachwuchs im akademischen Lehramt und wir. — RECHTSANWALT LENZ (Dr.). Die rechtliche Stellung des Kirchenvorstandes und seiner Mitglieder. — STUDIENRAT (Dr.) ROLES. St. Augustinus theologische Auffassung vom Schriftwort im allgemeinen und vom Johannesevangelium im besondern. — ALOIS FUNCK. Rundfunk und Katholizismus — WEHR (Dr.). Kirchensteuer und Kirchenaustritt. — P. I. M. SCHMUTTE (S. I.). Von Bellarmins eigenart als Kontroversist. — PAUL WESTHOFF. Die Teilnahme am Religionsunterricht und an religiösen Ubungen. - Die Rücksicht der Schule auf Kirchliche Feste und Veranstaltungen. — GEORG REITZ. Luthertum und Wiedertäufertum in Koblenz im 16. Jahrhundert.

Theologisch-praktische Quartalschrift 1931. — OTTO COHAUSZ (S. I.). Mehr Uebung des inneren Lebens.— TRIEBS (Dr.). Gutachten über Kirchensteuer. — ANTON HITTMAIR (Dr.). Die fakultative Sterilität der Frau. — W. GROSAM. Pastoraltheologische Einstellung zu den neuesten Forschungen über « fakultative Sterilität ». — KARL SUDBRACK (S. I.). Schule und Frühkommunion. — Die praktische Lösung der Holländer. — P. GERARD OESTERLE (O. S. B.). Ehekrisis und Ehekritik im Lichte der päpstlichen Enzyklika vom 31. Dezember 1930. - Casus de clandestinitate. — FRANZ X. BÖHM. Das Recht der Revolution. — PRÜMMER (O. P.). Erzwungenes Zusammenleben in bloser Zivilehe ohne Ehewillen. — IOSEF LÖHR. Ein praktischer Beitrag zur Lehre vom privilegium fori. — P. I. B. RAUS (C. ss. R.). Kann ein im Militär-

dienst stehender Religiose sein Testament und die Verfügungen über Einkünfte und Verwaltung der Güter ändern?

Resena eclesiástica 1931. — J. M. LLOVERA (1930) Triptic Agustinia. — TARRÉ IOSEP (1930). La unio i activitat dels Catòlics. — ALFONS M. RIBÓ (1930). Glossa dogmatico-ascetica del Prefaci de Difunts. — A. GRIERA (1930). Alguns aspectes de l'Acció Parroquial moderna. — IOSÉ BURCH V. (1930). Exorcismos de la Iglesia.

Revue de l'Aucam 1931. — I. MASSON. La saisie de l'être d'après les Upanishads. — L. PÉTILLON. Le régime des concessions au Congo. — A. HUBLOU. La question des stupéfiants. - La Paramount Power. — L. LEVAUX. La doctrine de non-violence de Gandhi. — *** Quelques notes sur le Kibangisme. - Les transports aériens au Congo Belge. — G. D. PÉRIER. Les débuts de notre littérature coloniale. — T. HEYSE. Note introductive à l'étude de la Charte Coloniale.

Revue des communautés religieuses 1931. — É. JOMBART. Le travail du dimanche (suite) — I. CREUSEN. Acquisition de biens par un profès de voeux simples.

Revue Ecclésiastique de Liége 1931. — E. LEROUX. De infallibili efficacia orationis. - De invocatione animarum purgatorii. — G. KISELSTEIN. De iuribus et officiis dominorum et famulorum. - Les devoirs de l'Actionnaire. — L. VIEUJEAN. De intentione requisita in subiecto Sacramentorum. — A. POSTELMANS. De officio Diaconi in Missa solemni. — IOS. RAPPE. Des consolations spirituelles.

Nouvelle Revue Théologique 1931. — È. MERSCH (S. I.). Prière de chrétiens, Priere de membres. — È. RANWEZ. Péché véniel ou Imperfection. — J. CREUSEN (S. I.). Le service militaire des Religieux belges. — J. MARÉCHAL (S. I.). « Le problème de Dieu » d'apres M. Édouard Le Roy. — RENÉ BROUILLARD (S. I.). Pour l'histoire de l'« Imperfection morale ». — L. DE CONINCK (S. I.). Devant l'auditoire le plus difficile. — G. D. L'Apologétique du P. Sertillanges. — É. BERGH (S. I.). Conservation du Saint Sacrement à un double autel. — É. DE MOREAU (S. I.). Le rôle de la femme dans la conversion des peuples païens. — ERICH PRZYWARA (S. I). Les mouvements de pensée religieuse en Allemagne (1929-1930). — A. HAYEN (S. I.). Saint Robert Bellarmin et les principaux courants théologiques de son temps. — L. RENARD (S. I.). Saint Robert Bellarmin, apologiste de l'Église. — FRANÇOIS JANSEN (S. I.). Science et moyen âge. — A. PÉREZ GOYENA (S. I.). Le mouvement théologique, en Espagne (1929-1930). — E. HOCEDEZ (S. I.). Sacrements et magie. — E. LA-

MALLE (S. I.). Une ancienne dévotion populaire, l'aïeule du Christ.

Nederlandsche Katholieke Stemmen 1931. — *** Verklaring van het Doorl. - Episcopaat. — Dr. H. VAN DER MEULEN (C. ss. R.). Leergezag der encycliek « Casti connubii ». - Aartsbroederschap en Aartsbroederschap. — P. DAMASUS (O. M. Cap.). Geestelijke Leiding van oudere meisjes. - A. MERTENS (C. ss. R.). Beatus venter qui te portavit et ubera quae suxisti. — I. L. IANSEN (C. ss. R.). Het Ziekenapostolaat. — C. DE KLERK (C. ss. R). Over de Inwoning van den H. Geest. — H. Pr. BEIJERSBERGEN (S. J.). Een vraag over het territorium, in hetwelk een particularis suspensio van Kracht is.

PARS ALTERA

MONUMENTA

48. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Bulla " Deus scientiarum „ 24 maii 1931

DE UNIVERSITATIBUS ET FACULTATIBUS STUDIORUM ECCLESIASTICORUM.

(A. A. S., 1 iul. 1931, XXIII, 241)

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Docendi mandatum datum Ecclesiae.

Deus scientiarum Dominus, (1) cum Ecclesiae suae divinum commiserit mandatum docendi omnes gentes, (2) eam sine dubio magistram constituit divinae veritatis falli nesciam atque adeo praecipuam totius humanae doctrinae patronam atque altricem. Ecclesiae enim est sacra hominibus praecepta tradere, quae ipsamet a Dei Revelatione repetit atque deducit; quoniam autem fides et humana ratio non solum « inter se dissidere nunquam possunt », sed, perspectâ eorum omnimodâ concordiâ, « opem quoque sibi mutuam ferunt », nullo non tempore Ecclesia Christi sui officii esse duxit humanarum artium et disciplinarum culturam iuvare atque promovere; (3) quod sane bene multa ac luculentissima testantur litterarum monumenta. Etenim, post primam Ecclesiae aetatem, in qua Spiritus Sanctus ipse per se, charismatum suorum abundantia, eam christifidelibus doctrinam suppeditabat, quae in iis forte desideraretur secundo post Christum natum saeculo praeclarae iam Smyrnae, Romae, Alexandriae, Edessae christianae sapientiae domicilia floruere. Quo saeculo exeunte atque vertente tertio, illustria

Inde studium Ecclesiae iuvandi, promovendi humanas artes et disciplinas Historica asserti demonstratio.

e primis saeculis et Patrum aetate,

(1) *I Sam.*, II, 3.
(2) Matt., XXVIII, 19; Marc., XVI, 15.
(3) Conc. Vatic. Constit. *De fide catholica*, cap. 4.

illa Alexandriae, Caesareae, Antiochiae *didascaleia* exorta sunt, ex quibus suam hauserunt scientiam, ut praestantiores tantummodo nominemus, Clemens Alexandrinus, Origenes, S. Dionysius Magnus, Eusebius Caesariensis, S. Athanasius, Didymus Caecus, S. Basilius Magnus, S. Gregorius Nazianzenus, S. Gregorius Nyssenus, S. Cyrillus Alexandrinus, S. Ioannes Chrysostomus, Theodoretus. Qui Patres et Scriptores Ecclesiastici, una cum S. Ephraem, S. Hilario Pictaviensi, S. Ambrosio, S. Hieronymo, S. Augustino, aliisque illius aetatis fere innumeris Ecclesiae doctoribus et magistris, in civili hominum consortione, veluti scientiarum optimates ab omnibus habebantur. Exacta vero magnorum Patrum aetate, sollerti potissimum monachorum Episcoporumque opera, scholae non paucae conditae sunt, opitulantibus quidem iis qui rem publicam tunc temporis moderabantur. Ac sine dubio civilis omnium cultus et ecclesiastica doctrina, hoc saeculorum intervallo, idem veluti unum efficiebant, quod e litterariis ludis, prope cathedrales aedes atque coenobia constitutis — in commune bonum copiose profluebat.

e scholis claustralibus

et obscurissima, ut aiunt, mediae aetatis parte.

In ea namque mediae aetatis parte, quae obscurissima dici solet, cum litteras ingenuasque artes novi barbarorum incursus permiscere ac submergere minitarentur, hae, ab omnibus derelictae ac misere pessumdatae, apud Catholicae Religionis templa atque monasteria, in unum scilicet, quod daretur, perfugium atque asylum, tuto se receperunt. Atque Concilia annis DCCCXXVI et DCCCLIII Romae habita eam sanciebant legem, quasi lucem in tenebris, qua « in universis episcopiis, subiectisque plebibus, et aliis locis in quibus necessitas occurrisset, omnis cura et diligentia haberetur, ut magistri et doctores constituerentur, qui studia litterarum liberaliumque artium assidue docerent ».

Quod si Romana Ecclesia, hac procellosa aetate, prisca humani cultus documenta neutiquam tutata esset, haud dubie hominum genus eos in perpetuum litterarum thesauros amisisset, quos antiqua tradiderant tempora.

e fundatis vel promotis « generalibus Studiis »,

Studiorum autem Universitas, gloriosum illud mediae aetatis institutum, quod eo tempore « Studium » vel « Generale Studium » vocabatur, Ecclesiam habet iam inde ab initio liberalissimam matrem atque patronam. Etenim, si non omnes ab Ecclesia Catholica suum duxerunt exordium Universitates, nihilo setius exploratum omnino est fere omnia antiquitatis Athenaea Romanos Pontifices aut conditores, aut saltem habuisse fautores atque duces.

Qua de re, id certo omnibus admirationem movet quantum

Apostolica haec Sedes ad sacrae profanaeque doctrinae profectum contulerit, etiamsi unum saeculum consideretur. In quinquaginta et duabus Universitatibus ante annum MCCCC per litteras conditis, haud minus viginti novem per Romanos tantummodo Pontifices, ac decem praeterea per Imperatoris vel Principum documenta simulque per Apostolicas Constitutiones creatae fuere. Celeberrima autem Athenaea, quae, ut alia praetereamus, Bononiae, Parisiis, Oxoniae, Salmanticae, Tolosae, Romae, Patavii, Cantabrigae, Pisis, Perusii, Florentiae, Papiae, Olisipone, Senis, Gratianopoli, Pragae, Vindobonae, Coloniae, Heidelbergae, Lipsiae, Monte Pessulano, Ferrariae, Lovanii, Basileae, Cracoviae, Vilnae, Graecii, Vallisoleti, Mexici, Compluti, Manilae, Sanctae Fidei, Quiti, Limae, Guatimalae, Calari, Leopoli atque Varsaviae constitutae sunt, ab hac Almae Urbis Ecclesia principium vel certe incrementum ceperunt. *datis exemplis*

Haud raro quidem rei publicae moderatores Ecclesiae regimini atque tutelae Universitates scholasque non paucas pedetentim subduxerunt, attamen Ecclesia, quanquam sua expers libertate omniumque rerum, quibus affluebat, copiâ, nihilominus, pro sibi insita natura, eiusmodi sapientiae veluti coenacula docendique instituta condere atque fovere nunquam destitit. Ob huiusmodi nempe munus, quod Ecclesia divinitus obtinet, Catholicae Religionis praecones omni prorsus ope contendunt ut prope ea, quae in barbaris regionibus construunt sacella, scholae etiam aperiantur; atque inibi non modo sacras, sed profanas quoque disciplinas pro viribus tradunt, itemque peculiaria scientiae civilisque cultus adiumenta invehunt, ad rudes illas gentes primis litterarum elementis agrorumque colendorum arte imbuendas. Quod si aliquando commenticiae cuiusdam progressionis iactatores, ad regiones illas penetrantes, quas Iesu Christi legati cruce et aratro nobilitarunt, conditas ibi scholas christianis principiis praeceptisque exuere enitentur, iidem infitiari haud poterunt Ecclesiam violatas a se litterarum sedes primum constituisse. *e zelo missionariorum pro schol is in missionibus,*

Neque solum in sacrarum Missionum regionibus hominum cultum promovet Ecclesia, sed etiam, immo impensius, in iis nationibus in quibus plus semel ipsa benificentiae suo patrimonio despoliata est. Videre igitur est eius opera prosperas studiorum Universitates nostro quoque tempore exoriri, ut ea quae Mediolani Sacro Iesu Cordi dicata est, ut Parisiensis, Insulensis, Andegavensis, Lugdunensis, Tolosana in Gallia, ut Noviomagensis in Hollandia, Lubiinensis in Polonia, Berytensis in Syria, Vashingtoniensis in Foederatis Americae Civitatibus, *atque etiam ubi spoliata fuit suo patrimonio, fundatis nostro tempore Universitatibus,*

Quebecensis, Marianopolitana, Octaviensis in Canadensi regione, S. Iacobi in Chilensi Republica, Sciangaiensis et Pekinensis in Sinis, Tokiensis in Iaponia, aliaeque non paucae.

e cura sua de bibliothecis condendis asservandisque.

Illud praeterea luculenter ostendit Ecclesiam hominum cultum atque doctrinam impense fovisse, quod magnam semper de bibliothecis condendis asservandisque curam habuit. A Caesariensi enim Bibliotheca ad Ambrosianam usque et Vaticanam quot manu scriptos codices, quot libros typis impressos haec sancta mater Ecclesia summa cum industria collegerit nemo sane enumerare poterit. Atque in comperto est prima iam christiani nominis aetate sacros pastores, ingruente periculo, bonorum suorum iacturam aequo animo passos esse, sed una cum sacrificalibus vasis scientiae volumina diligentissime servasse.

Ecclesia non timet nisi veritatis ignorationem.

Quapropter omni prorsus fundamento destituitur falsa ea quorundam criminatio, Ecclesiam hominum mentibus ignorantiae caliginem offundere; quandoquidem Catholica Religio non insectatores metuit, qui eam martyrii gloria redimire possint, non haereses, quae suum sacrae doctrinae depositum accuratius illustrari iubeant, sed id unum timet: veritatis ignorationem; cum pro certo habeat adversarios, dummodo eius praeceptis atque rationibus, alieno a praeiudicatis opinionibus animo, diligenter studeant, minime eam esse malevola simultate prosecuturos, quemadmodum secundo iam saeculo de Christiani nominis osoribus Tertullianus asseverabat: « Desinunt odisse qui desinunt ignorare ». (1)

Peculiare studium Ecclesiae de ecclesiasticis Universitatibus et facultatibus, quae centum numero superant.

At si Decessores Nostri, vertentibus saeculis, neque curis pepercerunt neque laboribus, ut disciplinarum studia liberalesque artes alerentur quam maxime, utque omne genus magisteria multis locis instituerentur, peculiarem tamen voluntatem studiumque praecipuum in divinae doctrinae incrementum contulerunt, quippe quae ad caussam sibi divinitus creditam potissimum conducat. (2) Iamvero Nos, gravissimi a Deo Nobis demandati muneris probe conscii, actuosissime ad sacras praesertim disciplinas animum adiecimus Nostrum, pro viribus contendentes, ut ecclesiasticae Universitates Facultatesque, sicut praecipua dignitate sua, ita etiam studiorum subtilitate scientiarumque splendore inter cetera omnia Athenaea in primis eniteant. Siquidem, vixdum ad supremi Pontificatus cathedram evecti, officii Nostri duximus eam apparare legem, qua altioris huiusmodi disciplinae Institutis, plus centum ubique gentium

(1) *Ad Nationes*, I, 1.
(2) S. Thomas, *Summa Theol.* P. I, q. 1, a. 5.

conditis, finis assequendus clarius proponeretur, docendi methodus accuratius praescriberetur, unius denique formae constitutio definiretur, minime tamen peculiaribus posthabitis rerum locorumque rationibus, ita quidem ut eadem praesentibus necessitatibus omnino respondere valeant.

Peculiaris necessitas hodierna scientiae sacrae.

Omne genus errores, nostris potissimum temporibus, sapientiae specie fucari solent, quo magis ab omnibus credantur, cum doctrinae lumen plurimum possit multorum animos allicere. Pernecesse igitur est eos christifideles, qui scientiarum pervestigationi aptiores se praebeant, ac potissimum delectos sacrorum alumnos, fusis ad Patrem luminum precibus (1) memoresque illius sententiae « in malevolam animam non introibit sapientia », (2) penitus in sacras disciplinas et in eas, quae quomodocumque cum iisdem cohaereant, animum intendere atque ita id omne adipisci, ut possint, occasione data, catholicam veritatem rite docere et contra adversariorum incursus ac fallacias strenuissime tutari.

Quam spem Pontifex concipiat de sacris disciplinis optime ordinatis.

Equidem, pro Nostra parte pro Nostraque facultate, nihil Nobis reliqui faciemus, ut sacrae disciplinae, sicut olim in publicis studiorum Universitatibus primas ferebant, ita nunc quoque, potiorem locum teneant, cum id ditissimus postulet, quem impertiuntur, veritatis thesaurus, et salutaris ille impulsus, quem in catholica confirmanda fide, in errorum tenebris profligandis, in omnium moribus ad evangelica praecepta conformandis pro natura sua exercent. Ita enim auspicato continget, ut omnes homines, de tenebris in admirabile lumen fidei vocati, (3) ad agnitionem veritatis veniant, (4) et omnis intellectus, adiuvante Dei gratia, in captivitatem redigatur in obsequium Christi. (5)

Inde constitutum Consilium de ordinandis studiorum ecclesiasticorum Universitatibus et Facultatibus.

Quibus Nos propositis rationibusque permoti, prope Sacram Seminariorum Studiorumque Universitatum Congregationem peculiare constitutum voluimus Consilium ex viris rerum intellegentia et usu praestantibus, cui quidem incumberet rebus omnibus studere atque consulere, quae ad studiorum ecclesiasticorum Universitates et Facultates ordinandas perficiendasque pertinerent — missis interim quae postea cum de aliis institutionibus tum praesertim de Pontificia Romana a S. Thoma Aqui-

(1) Iac. I, 17.
(2) *Sap.* I, 4.
(3) *I Petr.* II, 9.
(4) *I Tim.* II, 4.
(5) *II Cor.*, X, 5.

nate Academia, quam peculiari prosequimur cura, magis magisque promovenda adiungere opportunum videbitur.

Elaboratae leges et normae ex certa scientia promulgantur.

Quod quidem Consilium, post diuturnam diligentemque operam, adiutum sane a lectissimis variarum nationum doctoribus, laudabili omnino sollertia concreditum sibi munus, sub auspicio ac ductu Nostro, feliciter explevit. Quapropter Nos, optata Nostra tandem ad effectum adducentes, omnibus mature perpensis, ac suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, certa scientia ac de Apostolicae potestatis plenitudine has, quae sequuntur, leges et normas decernimus atque statuimus, easdemque ab omnibus, ad quos pertinent, observari iubemus.

TITULUS I

I.

Normae generales.

Normae generales

Quid Universitates et Facultates studiorum ecclesiasticorum.

ART. 1. — Universitates et Facultates studiorum ecclesiasticorum eae sunt, quae auctoritate Sanctae Sedis ad disciplinas sacras vel cum sacris conexas tradendas et excolendas instituuntur, cum iure conferendi gradus academicos.

Earum finis.

ART. 2. — Universitatum et Facultatum studiorum ecclesiasticorum finis est: auditores disciplinis, quae sacrae vel cum sacris conexae sunt, secundum doctrinam catholicam altius instituere; eos ad fontium cognitionem, ad investigationis laborisque scientifici usum atque ad magisterium exercendum instruere; denique iisdem disciplinis excolendis provehendisque quam maxime consulere.

Quaenam censeantur facultates studiorum ecclesiasticorum;

ART. 3. — § 1. - Facultates studiorum ecclesiasticorum censentur: Theologicae, Iuridicae, Philosophicae, aliae denique omnes, quae ad finem, de quo in art. 2, a Sancta Sede instituantur.

quaenam erecta Instituta in Urbe praeterea comprehenduntur.

§ 2. — Nomine Universitatum vel Facultatum comprehenduntur etiam haec Instituta a Sancta Sede in Urbe erecta:

Pontificium Institutum Biblicum, Pontificium Institutum Studiorum Orientalium, Pontificium Institutum Utriusque Iuris, Pontificium Institutum Archaeologiae Christianae, Pontificium Institutum Musicae Sacrae.

Erectio et suprema moderatio ubique reservatur S. C. de Seminariis et Studiorum Universitatibus,

ART. 4. — Canonica erectio et suprema moderatio cuiusvis Universitatis et Facultatis studiorum ecclesiasticorum, in locis quoque et Institutis quae Sacris Congregationibus pro Ecclesia Orientali et de Propaganda Fide subiecta sunt, atque etiam

Facultatum quae sunt pro Religiosis Familiis quibuslibet, reservantur Sacrae Congregationi de Seminariis et Studiorum Universitatibus.

quae statuta cum ratione studiorum approbat.

ART. 5. — Statuta una cum Ratione studiorum uniuscuiusque Universitatis vel Facultatibus indigent approbatione Sacrae Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus.

Ius conferendi gradus canonicos cum effectibus canonicis his solis competit.

ART. 6. — Solis Universitatibus vel Facultatibus canonice erectis et ad normam huius Constitutionis approbatis ius est conferendi gradus academicos qui effectus canonicos habeant, salvo praescripto art. 36 § 2.

Quot gradus academici.

ART. 7. — § 1. - Gradus academici tres sunt: Baccalaureatus, Licentia seu Prolytatus, Laurea seu Doctoratus.

§ 2. — Quaevis Facultas confert Licentiam et Lauream; liberum est singulis Facultatibus conferre etiam Baccalaureatum.

E quibusnam disciplinis.

§ 3. — Gradus academici e disciplinis praecipuis Universitatum vel Facultatum, in quibus conferuntur, appellationem trahunt.

Quid baccalaureatus?

ART. 8. — Baccalaureatus est gradus academicus ex quo cognoscitur eum qui hoc gradu donatur tale suae doctrinae specimen dedisse, ut idoneus censeatur ad curriculum persequendum pro gradibus academicis superioribus.

Quid licentia?

ART. 9. — Licentia est gradus academicus ex quo cognoscitur eum qui hoc gradu donatur praestitutum studiorum curriculum absolvisse et tale suae doctrinae specimen dedisse, ut idoneus haberi possit ad docendum in scholis quae gradus academicos non conferunt.

Quid laurea?

ART. 10. — § 1. - Laurea est gradus academicus ex quo cognoscitur eum qui hoc gradu donatur tale suae doctrinae et peritiae specimen dedisse, ut idoneus haberi possit, salvo praescripto art. 21, ad docendum etiam in Universitate vel Facultate.

Consectaria?

§ 2. - Laurea peculiaria iura confert, quae in can. 1378 C. I. C. recensentur.

Quid Laurea in re bliblica?

§ 3. - Laurea in Re biblica, apud Pontificiam Commissionem Biblicam vel Pontificium Institutum Biblicum acquisita, eadem clericis parit iura eosdemque canonicos effectus ac Laurea in sacra Theologia.

Quid si facultas ecc a sit in civili Universitate?

ART. 11. — Ad hanc Constitutionem accommodandae sunt etiam Facultates studiorum ecclesiasticorum in civilibus Universitatibus erectae, ratione habita Conventionum quae a Sancta Sede cum variis nationibus initae sunt et adhuc vigent.

Servandae ordinationes S. C.

ART. 12. — Ad hanc Constitutionem rite exsequendam serventur Ordinationes Sacrae Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus.

II.

Personae et regimen.

TITULUS II

De personis et regimine

1. Auctoritates. Officiales.

1. — *Auctoritates Academicae — Officiales*

Praecipuae auctoritates.

ART. 13. — § 1. - Universitatis vel Facultatis regimen exercent Auctoritates Academicae, quarum praecipuae sunt: Magnus Cancellarius, Rector Magnificus vel Praeses, Facultatum Decani.

Quid Officiales?

§ 2. — Auctoritates Academicas in Universitate vel Facultate regenda et administranda adiuvant Officiales.

De Magno Cancellario.

ART. 14. — § 1. - Universitati vel Facultati praeest Magnus Cancellarius, qui nomine Sanctae Sedis rebus omnibus, quae ad regimen ac studia pertinent invigilat.

§ 2. - Magnus Cancellarius est Praelatus Ordinarius a quo Universitas vel Facultas iure pendet, nisi Sancta Sedes expresse alium constituerit.

De Rectore, Decanis, Consilio.

ART. 15. — Universitas regitur a Rectore Magnifico, singulae eius Facultates a Decanis, Facultas vero quae una sit a Praeside. His autem Auctoritatibus, pro locorum consuetudine et singularum Universitatum vel Facultatum natura, ad res scientificas, disciplinares, oeconomicas administrandas unum vel plura adsunt Consilia.

Nominatio vel confirmatio Rectoris et Praesidis.

ART. 16. — Rector et Praeses a Sacra Congregatione de Seminariis et Studiorum Universitatibus nominantur aut saltem, sicubi ex iure peculiari ad alios eorum nominatio pertineat, eiusdem Sacrae Congregationis confirmatione indigent.

Definitiones statutorum de Auctoritatibus.

ART. 17. — Universitatis vel Facultatis Statuta definiant: num, praeter Magnum Cancellarium, Rectorem Magnificum vel Praesidem, Facultatum Decanos, habeantur aliae Auctoritates; quomodo hae et praeterea quomodo Decani Facultatum, Consilia, Officiales constituantur et quamdiu munere fungantur; quae singulorum sint officia ac iura.

Quid de coniuncto clericorum Seminario vel Collegio?

ART. 18. — Si Universitas vel Facultas cum clericorum Seminario vel Collegio coniuncta sit, Statuta clare et efficaciter provideant, ut illius rectio academica ab huius vita et disciplina rite distinguatur.

2. — *Professores*

2. Professores quot: quot genere.

ART. 19. — § 1. - In unaquaque Universitate vel Facultate iustus sit Professorum numerus. Habeantur in primis Professores ordinarii, seu qui pleno ac firmo iure in Professorum Collegium sunt cooptati.

§ 2. - Praeter Professores ordinarios sint quoque extraordinarii, seu qui, etsi debitis dotibus ornati, nondum omni ac pleno iure gaudent.

§ 3. - Pro opportunitate etiam alii assumi possunt Professores, qui ad certum tempus munere fungantur tradendi aliquam disciplinam.

Definitiones Statutorum de Professoribus.

ART. 20. — Statuta Universitatis vel Facultatis decernant:

a) quot, saltem, pro numero et momento disciplinarum debeant esse Professores et quot ex iis ordinarii;

b) quot sint Professorum ordines et quae cuiusque ordinis officia et iura, ratione habita iustarum consuetudinum et traditionum;

c) a quibus, quomodo, quibus condicionibus Professores cuiusque ordinis nominentur ac promoveantur.

Requisita in Professoribus.

ART. 21. — Ut quis in Professorum Collegium legitime cooptetur, requiritur ut:

1° doctrinae copia et bonis moribus et prudentia praefulgeat;

2° Laurea congruenti praeditus sit;

3° certis documentis, praesertim libris vel dissertationibus scriptis, se ad docendum idoneum probaverit;

4° professionem Fidei emiserit secundum formulam a Sancta Sede approbatam, ad normam can. 1406 § 1, 8° C. I. C. et Decreti Supremae Sacrae Congregationis S. Officii d. d. 22 Martii 1918;

5° missionem canonicam docendi, post impetratum *Nihil obstat* Sanctae Sedis, a Magno Cancellario acceperit.

Sanctiones poenales.

ART. 22. — Si quis Professor vel doctrinam laeserit vel a vitae integritate defecerit, pro gravitate culpae ad normam Statutorum puniatur et, si res ferat, missione canonica docendi a Magno Cancellario privetur.

3. — *Auditores*

Auditorum divisio.

ART. 23. — Auditores dividuntur in eos qui ad gradus academicos contendunt et eos qui ad gradus academicos non contendunt.

Condicio ascriptionis in Universitatem.

ART. 24. — Ut quis in Universitatem vel Facultatem ascribi possit, exhibeat oportet,

si sit clericus: litteras commendatitias Praelati sui Ordinarii, servatis ceteris praescriptionibus ecclesiasticis quae forte sint;

si sit laicus: competentis Auctoritatis ecclesiasticae litteras testimoniales de vita et moribus.

Condicio adscriptionis ad gradus.

ART. 25. — Ut quis in Universitatem vel Facultatem ad gradus academicos adipiscendos ascribi possit, afferre debet praeter ea quae in art. 24 praecipiuntur, authentica testimonia, ex quibus appareat eum:

1° curriculum medium studiorum classicorum rite absolvisse;

2° *a)* pro Facultate Theologica: studiis mediis classicis rite peractis, saltem per biennium universae Philosophiae scholasticae studuisse et praescripta examina superasse;

b) pro Pontificio Instituto Biblico: consecutum esse Licentiam in sacra Theologia;

c) si sit clericus, pro Facultate Iuris Canonici, Pontificio Instituto Studiorum Orientalium, Pontificio Instituto Utriusque Iuris, Pontificio Instituto Archaeologiae Christianae, Pontificio Instituto Musicae Sacrae: cursum philosophico-theologicum ad normam can. 1365 C. I. C. complevisse.

Excluditur pluralitas.

ART. 26. — Nemo simul ascribi potest in plures Facultates ad gradus academicos in illis assequendos.

Transitus ab una ad aliam Universitatem vel facultatem.

ART. 27. — Ab una Universitate vel Facultate ad aliam transire licet, servatis Ordinationibus Sacrae Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus.

Sanctio poenalis.

ART. 28. — Auditor qui aliqua ratione deliquerit, meritis poenis ad normam Statutorum puniatur et in casibus gravioribus ab Universitate vel Facultate excludatur.

TITULUS III

III.

De ratione studiorum

Ratio studiorum.

1. — *Methodus generalis docendi*

1. *Generalis methodus.*

ART. 29. - Methodus in singulis Universitatibus vel Facultatibus talis adhibeatur, sive in disciplinis seligendis, et ordinandis sive in argumentis proponendis et explicandis, qualis requiritur ut auditorum mentes ad finem, iisdem Universitatibus vel Facultatibus propositum, cohaerenter excolantur.

Principium.

Nominatim :

Applicatio

a) In *Facultate Theologica* principem locum teneat sacra Theologia. Haec autem disciplina methodo cum positiva tum scholastica tradenda est; ideo veritatibus fidei expositis et ex sacra Scriptura et Traditione demonstratis, earum veritatum natura et intima ratio ad principia et doctrinam S. Thomae Aquinatis investigentur et illustrentur.

ad Fac. theologicam ;

b) In *Facultate Iuris Canonici* tam historia et textus legum ecclesiasticarum quam earundem ratio et nexus modo scientifico exponantur.

Iuris Can.;

c) In *Facultate Philosophica* Philosophia scholastica tradatur, eaque ita ut auditores plena cohaerentique synthesi doctrinae ad methodum et principia S. Thomae Aquinatis instituantur. Ex hac autem doctrina diversa philosophorum systemata examinentur et diiudicentur.

Philosophicam ;

d) *In Pontificio Instituto Biblico* disciplinae, quae ad sacram Scripturam utcumque illustrandam conducunt, ita tradantur, ut sacrarum Litterarum auctoritas cum humana tum divina vindicetur, atque sensus verbi divinitus inspirati ad mentem Ecclesiae indagetur et explicetur.

Inst. Biblicum ;

e) In *Pontificio Instituto Studiorum Orientalium* disciplinae, quae ad intellegendas condiciones religiosas totius vicini Orientis conducunt, ita ex ipsis fontibus illustrentur, ut auditores etiam non catholici plenam veritatem de unius Catholicae Ecclesiae missione divina percipiant.

Inst. Studiorum Orientalium ;

f) In *Pontificio Instituto Utriusque Iuris*, fontibus investigatis, iuridico apparatu adhibito atque legibus inter se collatis, sive in lure canonico sive in lure civili, cum romano tum vigenti, solida tradatur institutio.

Inst. Utriusque Iuris ;

g) In *Pontificio Instituto Archaeologiae Christianae* ita in antiqua monumenta christiana studio historico-critico inquira-

Inst. Archaeologiae Christ. ;

tur, ut auditores ad doctrinam, instituta, vitam pristinae Ecclesiae per tutam certioremque illorum monumentorum interpretationem illustranda idonei efficiantur.

Inst. Musicae Sacrae.

h) In *Pontificio Instituto Musicae Sacrae* disciplinae methodo historico-critica et theoretico-practica ita tradantur, ut auditores, secundum normas Motu Proprio Pii Pp. X *De Musica Sacra* d. d. 22 Novembris 1903, et Constitutione Pii Pp. XI *Divini Cultus Sanctitate* d. d. 20 Decembris 1928 editas, historia, scientia, peritia sive cantus gregoriani sive compositionis sacrorum concentuum sive organi pulsandi, in usum maxime et decus sacrae Liturgiae, instituantur.

Exercitationes praeter lectiones.

ART. 30. — § 1. - In singulis facultatibus, praeter lectiones, fiant exercitationes, quibus auditores scientificam investigandi methodum et artem proponendi etiam scriptis ea quae studio assecuti sint, sub Professorum ductu addiscant.

Disputationes scholasticae in fac. Theologica et Philosophica.

§ 2. - In Facultate Theologica et Philosophica habeantur disputationes scholasticae, quibus auditores doctrinam penitus cognoscere, dilucide exponere, efficaciter tueri assuescant.

2. Studiorum curriculum.

2. — *Studiorum curriculum*

Requisiti anni.

ART. 31. — Studiorum curriculum absolvitur:

a) in Facultate Theologica annis quinque;

b) in Facultate Iuris Canonici annis tribus;

c) in Facultate Philosophica annis quattuor;

d) in Pontificio Instituto Biblico annis tribus;

e) in Pontificio Instituto Studiorum Orientalium annis tribus;

f) in Pontificio Instituto Utriusque Iuris annis quattuor;

g) in Pontificio Instituto Archaeologiae Christianae annis tribus;

h) in Pontificii Instituti Musicae Sacrae *sectione* Cantus gregoriani annis tribus, *sectione* Compositionis sacrorum concentuum annis quinque, *sectione* Organi annis quattuor.

Ratio habenda aliorum graduum academicorum vel studiorum alibi peractorum

ART. 32. — Statuta Universitatis vel Facultatis decernant quae ratio habenda sit graduum academicorum qui in aliis disciplinis acquisiti sint, atque studiorum alibi, praesertim in clericorum Seminariis vel Collegiis, peractorum ad curriculum opportune contrahendum, spectatis Ordinationibus Sacrae Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus.

3. — *Disciplinae tradendae et examina*

3. Disciplinae et examina

ART. 33. — § 1. - Disciplinae dividuntur in: *Disciplinarum divisio.*

principales, quae essentialiter requiruntur ad finem Facultatis assequendum;

auxiliares, quae ad principales bene tractandas necessariae sunt;

speciales, quae disciplinas, sive principales sive auxiliares, complent quodammodo atque perficiunt.

§ 2. — In singulis Facultatibus, pro suis cuiusque peculiaribus traditionibus et pro locorum rationibus, praeter disciplinas principales et auxiliares, etiam aliquot ex specialibus tradantur vel peculiares cursus de quaestionibus maioris momenti ex disciplinis sive principalibus sive auxiliaribus instituantur. Quae speciales disciplinae vel peculiares cursus apte in sectiones distribui possunt. *Speciales disciplinae vel peculiares cursus.*

§ 3. — Auditoribus ad gradus academicos contendentibus praescribuntur omnes disciplinae principales et auxiliares ac praeterea una alterave ex specialibus aut aliquot cursus peculiares, ad normam Statutorum Universitatis vel Facultatis. *Quaenam praescripta auditoribus.*

ART. 34. — Ad validitatem graduum academicorum examina subeunda sunt de omnibus et singulis disciplinis ad normam art. 33 § 3 praescriptis. *Examina.*

TITULUS IV

IV.

De collatione graduum academicorum

Collatio graduum academicorum.

ART. 35. — Gradus academici in Universitatibus vel Facultatibus studiorum ecclesiasticorum nomine Summi Pontificis regnantis et, Sede vacante, nomine Sanctae Sedis conferuntur. *Quo nomine conferantur gradus.*

ART. 36. — § 1. — Gradus academici ab Academiis vel Collegiis vel Institutis cuiuscumque generis quae scholas proprias non habent, conferri nequeunt, salvo praescripto § 2. *Sine scholis propriis non conferuntur gradus.*

§ 2. — Pontificia Commissio de Re Biblica, ex Litteris Apostolicis Pii Pp. X *Scripturae Sanctae* d. d. 23 Februarii 1904, Licentiam et Lauream in Re biblica conferre potest, ad normam tamen, congrua congruis referendo, praescriptorum art. 24, 25 1°, 2° *b*), 26, 38, 39, 40, 43 *d*), 44, 45 *d*), 46, 52. *Exceptio pro Pont. Commissione Biblica.*

ART. 37. — Firmis praescriptis art. 24, 25, 26, 32, 36, ut quis ad gradus academicos consequendos admitti possit, ne- *Requisita assiduitas in scholis.*

cesse est ut scholas de omnibus disciplinis, ad normam art. 33 § 3 praescriptis, rite frequentaverit in Facultate canonice erecta et approbata.

Professio Fidei.

ART. 38. — Qui gradibus academicis donandi sunt professionem fidei emittant secundum formulam a Sancta Sede approbatam, ad normam can. 1406 § 1, 8° C. I. C. et Decreti Supremae Sacrae Congregationis S. Officii d. d. 22 Martii 1918.

Licentia Laureae praeponenda.

ART. 39. — Nemo Laurea donetur, nisi Licentiam antea consecutus sit.

Laurea ad honorem.

ART. 40. — Universitates vel Facultates Lauream *ad honorem* conferre nequeunt, nisi ex peculiari concessione singulis in casibus a Sancta Sede impetranda.

1. *Baccalaureatus.*

1. — *Baccalaureatus*

Quo anno studiorum confertur.

ART. 41. — Baccalaureatus conferri non potest:

a) in sacra Theologia ante expletum annum secundum ab incepto studiorum curriculo;

b) in Iure canonico ante expletum annum primum;

c) in Philosophia ante expletum annum secundum;

d) in Re biblica ante expletum annum primum;

e) in Studiis orientalibus ante expletum annum primum;

f) in utroque Iure ante expletum annum secundum;

g) in Archaeologia christiana ante expletum annum primum;

h) in Cantu gregoriano ante expletum annum primum, in Compositione sacrorum concentuum ante expletum annum tertium, in Organo ante expletum annum secundum.

Examina praevia.

ART. 42. Firmo praescripto art. 37, qui ad Baccalaureatum contendit, talibus examinibus de disciplinis superiore tempore traditis subiciatur, ut liqueat num ad curriculum persequendum ad normam art. 8 idoneus sit.

2. *Licentia.*

2. — *Licentia*

Quo studiorum anno confertur.

ART. 43. — Licentia conferri non potest:

a) in sacra Theologia ante expletum annum quartum ab incepto studiorum curriculo;

b) in Iure canonico ante expletum annum secundum;

c) in Philosophia ante expletum annum tertium;

d) in Re biblica ante expletum annum secundum:

e) in Studiis orientalibus ante expletum annum secundum;

f) in utroque Iure ante expletum annum tertium;

g) in Archaeologia christiana ante expletum annum secundum;

h) in Cantu gregoriano ante expletum annum secundum, in Compositione sacrorum cencentuum ante expletum annum quartum, in Organo ante expletum annum tertium.

Examen praevium.

ART. 44. — Firmo praescripto art. 37, qui ad Licentiam contendit, subiciatur examini peculiari, ex quo appareat eum sibi comparasse doctrinam ad normam art. 9.

3. — *Laurea*

3. *Laurea*

Quo anno confertur.

ART. 45. — Laurea conferri non potest:

a) in sacra Theologia ante expletum annum quintum ab incepto studiorum curriculo;

b) in Iure canonico ante expletum annum tertium;

c) in Philosophia ante expletum annum quartum;

d) in Re biblica ante expletum biennium post Licentiam;

e) in Studiis orientalibus ante expletum annum tertium;

f) in utroque Iure ante expletum annum quartum;

g) in Archaeologia christiana ante expletum annum tertium;

h) in Cantu gregoriano ante expletum annum tertium, in Compositione sacrorum concentuum ante expletum annum quintum, in Organo ante expletum annum quartum.

Praeter praevia examina, requisita dissertatio scribenda et defendenda,

ART. 46. — § 1. - Candidatus, omnibus praemittendis examinibus superatis et opera exercitationibus ad normam Statutorum Universitatis vel Facultatis data, ut Lauream assequi possit, debet praeterea:

1º exhibere dissertationem scriptam, quae eum investigationibus scientificis aptum esse demonstret et ad scientiae profectum conducat quaeque saltem ex parte, secundum Statuta Universitatis vel Facultatis, typis edatur;

2º hanc ipsam dissertationem coram Auctoritatibus Academicis et Professoribus Universitatis vel Facultatis palam defendere.

et aliud experimentum

§ 2. — Universitas vel Facultas, praeter dissertationem et dissertationis defensionem, aliquod aliud statuat experimentum a candidato coram dandum.

V.
Res didacticae et oeconomicae.

TITULUS V

De rebus didacticis et oeconomicis

1. *Aedificium.*

1. — *Aedificium*

ART. 47. — Quaevis Universitas vel Facultas auditoria habeat non solum scholis et exercitationibus unice destinata, sed etiam, tam amplitudine quam numero, disciplinis tradendis atque auditorum frequentiae respondentia.

2. *Bibliotheca et adiumenta scientifica.*

2. — *Bibliotheca et adiumenta scientifica*

ART. 48. In unaquaque Universitate vel Facultate bibliotheca adsit ad Professorum auditorumque usum accommodata, in ordinem redacta, opportunis catalogis instructa, quae Universitatis vel Facultatis disciplinis tam tradendis quam discendis atque exercitationibus servire possit.

ART. 49. — Universitas vel Facultas, pro peculiari suo fine, institutis et laboratoriis scientificis ac rebus omnibus quae pro scholis requiruntur praedita sit.

3. *Honoraria et tributa.*

3. — *Professorum et Officialium honoraria atque auditorum tributa*

ART. 50. — § 1. - Professoribus honoraria pendantur vitae honeste, pro amplissimi muneris dignitate, sustentandae et sui status necessitatibus consentanea.

§ 2. - Officialibus digna remuneratio concedatur.

ART. 51. — Omnibus qui Universitati vel Facultati stabiliter servierint, cum a munere, iusta de causa, cessaverint, honoraria emerita ita statuantur, ut vitam decenter agere possint.

ART. 52. — Statuta Universitatis vel Facultatis decernant quid auditores pro admissione, ascriptione annua, examinibus, diplomate persolvere debeant.

TITULUS VI

VI.

Normae transitoriae

Normae transitoriae.

ART. 53. Universa haec Constitutio valere incipiet a primo die anni academici 1932-1933; articuli vero 4, 35, 36, 38, 39, 40 a primo die anni academici 1931-1932.

Initium obligationis.

ART. 54. — Studia et examina, quae in Universitatibus vel Facultatibus ad gradus academicos consequendos ante annum academicum 1932-1933 secundum leges usque adhuc vigentes facta sint, valida habentur. Reliqua vero studia et examina a primo die anni academici 1932-1933, etiam auditoribus qui curriculum iam antea inceperint facienda sunt ad normam huius Constitutionis et Sacrae Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus Ordinationum.

Secundum quasnam normas facienda examina et studia.

ART. 55. — Facultates Theologicae canonice erectae pro iis qui, curriculo philosophico-theologico ad normam can. 1365 C. I. C. expleto, aliquas disciplinas theologicas altius pleniusque excolere intendunt, manere permittuntur, donec Sanctae Sedi aliud visum fuerit; interim tamen Statuta sua, quantum salvo peculiari earum fine fieri potest, ad hanc Constitutionem et Sacrae Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus Ordinationes accommodare debent.

Quid de studiis peculiaribus post exactum curriculum peragi iam solitis?

ART. 56. — Omnes Universitates vel Facultates studiorum ecclesiasticorum a Sancta Sede iam erectae et approbatae, comprehensis his de quibus in art. 55, Statuta sua, ad hanc Constitutionem et Sacrae Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus Ordinationes accommodata, ante diem trigesimum mensis Iunii anni 1932 eidem Sacrae Congregationi exhibere debent, simul cum relatione de vita academica et oeconomica superioris triennii.

Statuta accommodata tradenda S. Congregationi.

ART. 57. — Si qua Universitas vel Facultas praescripto art. 56 non obtemperaverit, ius vel privilegium gradus academicos conferendi ipso facto amittet.

Sanctio istius praescripti.

ART. 58. — Vigentes in praesenti contra hanc Constitutionem leges vel consuetudines, sive universales sive particulares, etiam specialissima et individua mentione dignae, abrogantur. Item privilegia a Sancta Sede ad haec usque tempora personis sive physicis sive moralibus concessa, quae eiusdem Constitutionis praescriptis contraria sint, omnino revocantur.

Abrogatio contrariorum.

Fides transumptis. Volumus denique ut praesentium Litterarum exemplis etiam impressis, sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel in officio constituti munitis et nomine alicuius notarii publici subscripto, eadem prorsus adhibeatur fides, quae hisce Litteris haberetur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent.

Clausulae. Quae autem per hanc Nostram Constitutionem statuimus, decrevimus, ediximus, mandavimus, rata omnia et firma consistere ac permanere auctoritate Nostra volumus et iubemus. contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Dies (24 mens. Maii, 1931). Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo trigesimo primo, die vicesima quarta mensis Maii, in Festo Pentecostes. Pontificatus Nostri anno decimo.

Fr. ANDREAS Card. FRÜHWIRTH, *Cancellarius S. R. E.*

CAIETANUS Card. BISLETI, *Sacrae Congreg. de Seminariis et Studiorum Universitatibus Praefectus.*

Ioseph Wilpert, *Decanus Collegii Protonotariorum Apost.*

Vincentius Bianchi-Cagliesi, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. XLIV, n. 22. - M. Riggi.

ANNOTATIONES (1)

Constitutionem Apostolicam de Universitatibus et Facultatibus studiorum Ecclesiasticorum maximi esse momenti nemo est qui si rem vel aliquantulum consideret, plane non videat. Ecclesia enim, inter munera sibi propria, illud profecto munus habet ut homines doceat, suamque doctrinam in omnes ubique homines diffundat, atque ita diffundat ut ab omnibus fideliter accipiatur, clare intelligatur, immutabiliter retineatur; cumque haec Ecclesiae doctrina, etsi revelatione accepta, intime tamen cum scientiis naturali lumine acquisitis connectatur, semper cordi habuit Ecclesia artium litterarumque omnium quae ad sacram doctrinam illustrandam vel defendendam valeant, pro suis viribus incrementum fovere atque amplificare. Quam

(1) Ordinationes S. Congregationis differuntur in proximum fasciculum.

ob rem constituta sunt studia ecclesiastica quibus sacra doctrina in peculiaribus athenaeis excoleretur, omnibus etiam profanis eruditionibus fulta atque illustrata quae ad rem spectarent. Haec sunt athenaea, sive ecclesiasticorum studiorum Universitates seu Facultates, quibus Constitutio Apostolica « *Deus scientiarum Dominus* », finem et methodum atque communem quamdam formam praescribit.

De quo praestantissimo documento cum nobis nunc non sit in animo proprium et verum commentarium conscribere, satis nobis erit primo finem intentionemque legis ac eius praecipua capita ostendere, et deinde formam documentorum cum quibusdam adnotationibus breviter describere. Nec ea est mens nostra ut quae ad rem moralem vel iuridicam spectant inquiramus, sed ut hisce in scriptis Constitutionis formam ac mentem in universum tantum consideremus.

I. — Intentio legis et capita eius praecipua.

Nullus alius profecto poterat esse finis Constitutionis quam qui aperte proponitur, scilicet: nova incrementa studiis ecclesiasticis inducere. Non quod studia ecclesiastica nunc languescere putarentur, cum potius ex impulsu Leonis XIII ad studium S. Thomae promoventis necnon Pii X contra modernistas agentis vegetiore quadam vita florere videantur. Sed, ut sunt res humanae, ipsa sacra studia ad perfectiorem rationem ut tendant opus est.

Primum omnium, omnes Universitates seu Facultates nova hac Constitutione supremae moderationi Congregationis de Seminariis ac Studiorum Universitatibus subiiciuntur. In posterum omnes Universitates atque Facultates quae gradus academicos conferre volunt ab hac S. Congregatione Studiorum dependebunt (*Const. art. 4 et 5*) et quidem ita ut ab eadem Congregatione

opportunitas alicuius novae Facultatis diiudicanda sit, ab eaque Universitatis regulae approbandae, quin etiam illud insuper statuitur ut tertio quoque anno Universitas omnis Sacrae Congregationi de rebus academicis et oeconomicis referat, in hunc sane finem: ut ipsa supremum moderamen in studiis atque constitutionibus exercere valeat. Hinc non pauca profluent emolumenta: progressus alicuius mundi plagae facilius ad omnes, vel saltem ad multos extendentur; minore incommodo etiam ab una in aliam Universitatem tum Magistri tum discipuli transire poterunt, aptius etiam labores dividentur, et sacra Congregatio ad quam tot relationes pervenient illuminata directione omnes iuvare poterit.

Haec suprema unitas regiminis necessarias diversitates nullo modo abrogat, ut iam evidentissime probat libertas quae in rebus non paucis Universitatibus ipsa Constitutione relinquitur cum tamen Sacrae Congregationi semper liberum erit in particularibus adiunctis, secundum diversas locorum et temporum condiciones, rectiones suas generales applicare.

Praecipua deinde reformationis capita tria esse videntur, quae ad progressum praesentium studiorum condicionum non parum valebunt; pertinent nempe ad auditorum admissionem ad Universitatem; — ad dissertationem pro Laurea impositam — ad cohaerentiam et unitatem studiorum.

1. — *Admissio ad Universitatem*

Et in primis cautum est ne iuvenes clerici qui ad cursus philosophiae scholasticae audiendos accedant, sufficienti praeparatione careant, ut linguas classicas et etiam scientias naturales aut mathematicas sufficienter calleant, ne accidat ut iuvenes, studiis sacris peractis, forte etiam laurea insigniti necessaria generali cultura deficiant. Ab Universitatibus igitur documentum

aut ecclesiasticum aut civile, quo alumni se studia secundaria opportune confecisse demonstrent, requirendum erit; quapropter si talis praeparatio praemissa nondum fuerit, illam Universitas iniungere iure meritoque debebit. Ita demum fiet ut facilius cursus studiorum peragantur, homogeneitas quaedam inter diversos alumnos obtineatur et in scientiis naturalibus et physicis talia percurrenda veniant quibus aptiores ad cursus cosmologiae et psychologiae exsequendos discipuli evadant.

2. — *Dissertatio.*

In posterum ad lauream adipiscendam dissertatio seu thesis, ut aiunt, alicuius momenti erit scientifice conscribenda ac publice defendenda. Quod ut recte aestimetur, consideranda est praesens rerum conditio. Iam quidem apud omnes fere ecclesiasticas Facultates, thesis quaedam vel dissertatio ad lauream obtinendam requirebatur, at secundum normas prorsus diversas. Revera, duplex in ecclesiasticis athenaeis dabatur modus lauream conferendi, qui uterque sua commoda et incommoda prae se ferebat. Multis in locis, totum fere examen consistebat in redactione ac defensione theseos seu dissertationis, quae in puncto aliquo peculiari doctrinali vel historico versabatur. Sed hac methodo candidati aptitudo ad laborem scientificum dignosci quidem potest, at minus eius generalis formatio philosophica, theologica, iuridica perpenditur, nec satis efficaciter excluditur periculum, ne canditatus, « specialisatione » quae dicitur, nimis festinanter coepta, illam generaliorem in principiis philosophicis et theologicis formationem neglegat, quae ad errores detegendos et impugnandos et ad quaestiones particulares diiudicandas tanti momenti in Ecclesia est.

Alibi autem thesis ad Lauream diversis modis requisita quidem iniungebatur, minus tamen essentialis habebatur; pars enim praecipua erat examen orale de universa philosophia vel theologia vel de universo iure subeundum; quo quidem specimine de seria totius doctrinae cognitione examinatores iudicium ferre poterant. Verum hac alia methodo ex ipso specimine requisito non sufficienter apparet canditatum particulare quoddam studium aggressum esse et sufficienti consuetudine in inquisitionibus scientificis peragendis esse instructum. Qua de causa nostris praecipue temporibus, cum in plerisque Universitatibus civilibus, ad Lauream obtinendam dissertatio requiratur, laurea a quibusdam ecclesiasticis Athenaeis collata minoris pretii ac praestantiae aestimabatur.

Cum vero hi duo modi, quamquam si abstracte considerantur satis diversi apparent, non tamen inter se contradictorii sint, amica quaedam utriusque compositio, qua respectiva incommoda vitarentur ac commoda servarentur, in praxi plerumque tentabatur ac obtinebatur. Quod autem a diversis diversimode quaerebatur, hoc nova Constitutio, nempe utramque methodum organice connectere, praestare intendit, atque tandem aliquando illas infructuosas lites de praestantia unius prae altera e medio tollere.

Etenim, quanquam a principio studiorum usque ad finem neutra pars plenae et perfectae formationis negligitur, ante Licentiam tamen omnia eo tendunt ut commoda illa, quae ad universalem in tota doctrina institutionem pertinent, in tuto ponantur; post vero Licentiam, nempe in ordine ad ipsam Lauream, ii praesertim fines assequendi proponuntur, qui peculiaribus inquisitionibus (« specialisatione ») obtinentur. Essentialis est igitur praescriptio ut « nemo Laurea donetur, nisi Licentiam antea consecutus sit » (*Const. art. 39*). Licentia enim non confertur nisi

facto examine ex quo appareat candidatum « praecipuam Facultatis disciplinam universe callere ». Quare hoc examen in Theologia sit: *de universa sacra Theologia;* in Iure canonico: *de universo Codice iuris canonici;* in Philosophia: *de universa Philosophia scholastica* ». (*Ord. art. 38*).

Ac « in Facultate Theologica, Iuris Canonici, Philosophica disciplinae principales totae tradendae sunt in scholis » (*Ord. art. 20*). Ad Lauream vero obtinendam candidatus debebit « exhibere dissertationem scriptam, quae eum investigationibus scientificis aptum esse demonstret et ad scientiae profectum conducat ». *(Const. art. 46 § 1, 1)*. Atque « ultimo curriculi anno scholae paucae sint; exercitationes autem continuentur quidem, ita tamen ut amplum temporis spatium dissertationi pro Laurea praeparanda relinquatur ». *(Ord. art. 25)*.

Dissertatio post tot studia et exercitationes conscripta, tot etiam mediis et auxiliis adhibitis quibus moderna Universitas gaudet, ad incrementum studiorum ac scientiae profectum certo certius valebit multum conferre.

3. — *Studiorum interna unitas.*

Tanquam tertium praesentis Constitutionis fundamentale caput consideranda videtur cohaerentia illa studiorum, qua procuratum est ut diversae disciplinae, in unaquaque Facultate discendae vel etiam in diversis, se invicem adiuvarent atque ad unum finem ordinarentur. Quae cohaerentia seu unitas studiorum manifesto apparet ex iis, quae ad lauream theologicam consequendam praecipiuntur, quam nemo ante expletum septimum annum studiorum in Facultate peractorum assequi potest, ex quibus septem annis, duo studiis theologicis praemittendi sunt ad philosophiam

scholasticam addiscendam, quattuor impendendi studiis theologicis ad Licentiam consequendam, quintus autem, si non plures, ad dissertationem pro Laurea praeparandam et conficiendam (*Const. Ap. Art. 45*). Saepissime autem continget ut simile commodum omnium studiorum in unum finem coordinatorum in assequenda etiam laurea philosophiae et iuris canonici persentiatur.

Verum quidem est Lauream in philosophia ante theologiam obtineri quidem posse, ac Lauream in Iure canonico laicis sine curriculo ordinario philosophiae ac theologiae conferri posse (*Ord. art. 26, 2⁰ c*); at clerici ad Lauream in philosophiam contendentes non raro, rationibus externis commoti, prius studia teologica absolvere et ad sacerdotium pervenire malent, quam sese studiis philosophiae academicis (universitariis) dent, ideoque in ipso philosophiae studio copia doctrinae quam in curriculo theologico acquisiverunt, non parum adiuvabuntur. Ad Facultatem autem Iuris canonici clerici nonnisi ante expletum philosophiae et theologiae cursum, prout in Seminariis peragi solet admittuntur (*Const. art. 25, c*), ex quo fiet ut candidati ad Lauream non accedant nisi ampla ac cohaerenti doctrinae copia muniti, et post curriculum sat longum, etsi forte non universitarium, studiorum superiorum.

Ad haec studia praevia tandem accedunt illa quae pressius ad doctrinam iuridicam acquirendam ordinantur, idque ita ut in Pontificio Instituto Utriusque Iuris curriculum absolvatur annis quattuor (*Const. art. 31, f*), in Facultate autem Iuris cononici annis tribus, (*art. 31, b, Const.*), in quibus tamen non numeratur annus primus Institutionum Iuris canonici, qui communis est cum Facultate theologica (*Ord. art. 27, I, 1, f*). Quo tandem fit ut clerici Laurea in Iure canonico non donentur, ante quartum annum studiorum Iuris.

Laicis quoque, ut in Facultate Iuris Canonici inscribantur, examen imponitur (quod proinde curriculum harum disciplinarum supponit) Institutionum Canonicarum et principiorum aliarum disciplinarum quae necessariae sunt ut quis in Ius Canonicum introducatur, quales sunt philosophia moralis, Ius naturale, theologia fundamentalis. *(Ord. art. 26, 2⁰, c).*

Nec forte ulla exsistit alia studiorum ordinatio quae hac nova studiorum ecclesiasticorum constitutione plenius satisfaciat necessitatibus ac commodis sacrae institutionis atque super eam cohaerentia et unitate studiorum praestet.

II. — **Brevis descriptio documentorum.**

Quibus summis capitibus rite consideratis, *Constitutio « Deus scientiarum Dominus »* ita clara ac simplex apparet, ut nobis nunc sufficere possit eam brevissime in compendium redigere, ea puncta passim indicantes quae uno vel altero titulo, pro opportunitate notare iuvabit.

Nova igitur Constitutio est actus Summi Pontificis, die festo Pentecostes subscriptus, et die 1 Iulii promulgatus. Iterata solemni assertione iuris Ecclesiae in doctrina tradenda, factaque memoria beneficiorum ab Ecclesia in rebus ad altiora studia pertinentibus praeterito tempore et etiam nostra aetate praestitorum, Summus Pontifex, « missis interim, ait, quae postea cum de aliis institutionibus tum praesertim de Pontificia Romana a S. Thoma Aquinate Academia, quam peculiari prosequimur cura, magis magisque promovenda adiungere opportunum videbitur », intentionem suam declarat proponendi suprema sua auctoritate omnibus studiorum ecclesiasticorum Universitatibus et Facultatibus studiorum finem, methodum, unitatem. — Sequitur series 58 articulorum. — Cum hoc documento alterum a S. Congregatione Studiorum emissum ac una cum ipso

publice editum intime connectitur, nempe *Ordinationes ad Constitutionem Apostolicam « Deus Scientiarum Dominus » de Universitatibus et Facultatibus studiorum ecclesiasticorum rite exsequendam,* datum die 12 iunii et approbatione S. Pontificis confirmatum. Hae autem ordinationes articulos Constitutionis determinant atque explicant, ad casus magis peculiares descendunt, ac quadraginta novem articulis quinque primos titulos Constitutionis illustrant. Haec omnia consequitur triplex appendix: 1^0) descriptio proposita disciplinarum specialium et cursuum peculiarium quae discipulis ad gradum contendentibus eligenda sunt ad normam art. 27 Ordinationum et 33 Constitutionum, prout infra dicetur; 2^0) normae ad statuta conficienda quae ab Universitatibus et Facultatibus S. Congregationi exhibenda sunt ut approbentur; et 3^0) normae pro relatione tertio quoque anno mittenda.

In hac brevi nostra descriptione, utrumque documentum, ut iam supra fecimus, prae oculis habebimus.

Titulus Primus - NORMAE GENERALES

Finis Universitatum et Facultatum claris ac significantibus verbis declaratur: auditoribus altiorem institutionem tradere, eos scientificis inquisitionibus assuefacere, disciplinarum progressum promovere *(Const. art. 2)*. Tres praecipuae facultates recensentur aliis minime exclusis: Theologica, Iuris canonici et Philosophica; tres gradus numerantur *(Const. art. 3 § 1)*: Baccalaureatus, Licentia, Laurea. Laurea autem candidatum idoneum haberi posse ad docendum etiam in Facultate seu Universitate testatur; Licentia eum ad docendum idoneum haberi posse testatur, non tamen in Facultate; Baccalaureatus candidati idoneitatem testatur ad curriculum persequendum pro gradibus academicis superioribus. *(Const. art. 7-10)*.

Ad Instituta specialia quod attinet, quaeque sub

nomine Universitatum seu Facultatum includuntur, *(Const. art. 3, § 3)* satis erit animadvertere ea quantum fieri potest, iisdem generalibus praescriptionibus submitti. Huiusmodi autem sunt Instituta Pontificia: Biblicum, Studiorum Orientalium, Utriusque Iuris, Archaeologiae christianae, Musicae Sacrae. « Pontificium Institutum Utriusque Iuris » est illustre *Pont. Athenaeum Seminarii Romani pro studiis iuridicis* (apud S. Apollinarem) nunc novo titulo, novisque finibus ac praerogativis ornatum *(Const. art. 3, § 2; art. 29, f)*,

Sub eodem titulo Ordinationes praescribunt quid praestandum sit ut Facultas quaedam approbetur *(Ord. art. 8)* ac statuunt ut relatio academica et oeconomica tertio quoque anno ad S. Congregationem mittatur *(Ord. art. 4)*.

Titulus Secundus - De personis et regimine

Universitatis vel Facultatis auctoritates secundum Const. Apost. sunt: - Magnus Cancellarius (quiest Ordinarius a quo Athenaeum iure pendet); - Rector Magnificus (aut Praeses, cum Athenaeum una tantum facultate constet), qui a S. Congregatione designandus, vel saltem approbandus est; - tandem Facultatis Decanus.

Cum mens sit Constitutionis, prout pluries inculcatur *(cfr. ex. gr. art. 15 C.)*, proprias traditiones et consuetudines locorum et regionum, praesertim in Athenaeis iam exsistentibus esse servandas, explicite ipsa Constitutio art. 17 libertatem relinquit ut praedictis Auctoritatibus aliae addantur, quae facile etiam in novo rerum ordine suum locum invenient, quaeque quidem magno auxilio iis esse poterunt, in regimine sive totius Universitatis sive singularum Facultatum, prout ipsae traditiones vel consuetudines vel Athenaeorum peculiares condiciones vel necessitates exigere videantur. Sic retineri vel constitui potest inter Auctoritates Vice Rector vel Secretarius generalis, vel aliae Auctoritates

quocumque appellentur nomine, prout mos est in quibusdam Universitatibus. Auctoritates autem adiuvantur in regimine a Consiliis et Officialibus.

Professores in tres classes dividuntur: sunt nempe: ordinarii, extraordinarii, alii ad tempus assumpti. Auditores in duas dispescuntur: qui ad gradus contendunt, quique non contendunt.

Ordinationibus munera auctoritatum dilucide determinantur et additur, in rebus quae maioris momenti sunt, pro necessitate consilia esse interroganda (*Ord. art. 9*). Diligenter monetur ne Professores ita lectionibus vel alienis muneribus onerentur ut necessariae praeparationi lectionum et inquisitioni scientificae vacare non possint.

Titulus Tertius - De ratione studiorum

Hic titulus particulari consideratione dignus est quippe qui agat de principiis magis internis et essentialibus quibus studia academica reguntur.

1°) *Methodus docendi.*

Hodie nemo dubitat quin pars positiva theologiae sit quam diligentissime excolenda et testimonia S. Scripturae atque traditionis catholicae solide explicanda, ut Constitutio meminit, (*art. 29*) et ipsi discipuli ad fontes tractandos instituendi sint. Hoc tamen non sufficit, sed secundum methodum et principia S. Thomae natura et connexio veritatum revelationis necessario penetranda est (*ibid. art. 29 a*).

In iure canonico una cum historia textus legum tradetur earum ratio earumque connexio (*ibid. b*) « In Pontificio Instituto Utriusque Iuris, fontibus investigatis, iuridico apparatu adhibito atque legibus inter se collatis, sive in Iure canonico sive in Iure civili, cum romano tum vigenti, solida tradatur institutio ». (*Const. art. 29 f).* In philosophia ne doctrina inopportuna eruditione suffocetur, quae tantum ad opiniones descri-

bendas valeret, sed ad synthesin completam atque cohaerentem pervenire contendatur, ac ex doctrina S. Thomae diversa systemata examinentur ac diiudicentur. *(c)*

In singulis Facultatibus, habendae sunt « exercitationes, quibus auditores scientificam investigandi methodum et artem proponendi etiam scriptis ea quae studio assecuti sint, sub Professorum ductu addiscant » (*Const. art. 30, § 1*). Insuper, « in Facultate Theologica et Philosophica habeantur disputationes scholasticae, quibus auditores doctrina penitus cognoscere, dilucide exponere, efficaciter tueri assuescant ». (*Ibid. § 2*) Nil clarius ac fortius hoc textu.

2°) *Materia docenda.*

Divisio autem disciplinarum tradendarum sic declaratur, nempe: « In *principales,* quae essentialiter requiruntur ad finem Facultatis assequendum; *auxiliares,* quae ad principales bene tractandas necessariae sunt; *speciales,* quae disciplinas, sive principales sive auxiliares complent quodammodo atque perficiunt ». (*Const. art. 33, § 1*).

Inter has disciplinas speciales, aut etiam inter cursus particulares, qui in aliqua disciplina vel principali vel auxiliari versabuntur, candidatus unam vel duas eligere debet, quas ad examina afferat. (*Const. a. 33, Ord. a. 27*). Haec innovatio felicem hunc effectum habebit, ut excitentur Universitates ad cathedras speciales erigendas, quibus iustus auditorum numerus facilius invenietur.

Elenchus proponitur harum disciplinarum et cursuum peculiarium in appendice I prout dictum est pag. 306. Verum monetur in ipsa appendice non esse mentem S. Congregationis omnes disciplinas in quibus electio potest fieri proponere, nec earum divisionem vel appellationem praescribere. Referuntur deinde di-

sciplinae prout a quibusdam proponuntur et appellantur. Rursus ex hoc apparet mentem esse Pontificis et Congregationis, cum multa praescribuntur quidem, in ceteris relinquere libertatem quae omnino necessaria est ad verum progressum scientiarum et studiorum.

De theologia morali hoc notare iuvat: in Facultate Theologica, pertinet ad disciplinas principales (*Ord. art. 27, I., 1, c*); tradenda est in lingua latina sicut Codex iuris canonici et Ius romanum (*Ord. art. 21*). Ordinationes pro unaquaque Facultate disciplinas principales et auxiliares seu disciplinas obligatorias quas dicunt recensent. In Theologica Facultate, inter disciplinas *principales* notemus historiam et inter *auxiliares* asceticam et quaestiones theologicas quae Orientales praesertim respiciunt; in Philosophica, inter disciplinas *auxiliares* notemus quaestiones scientificas, intime cum philosophia connexas, et explicationes textuum Aristotelis et S. Thomae. Inter disciplinas *speciales,* in prima appendice propositas, in Theologica Facultate notemus doctrinam theologicam alicuius Patris vel Doctoris, theologicam mysticam, sacram eloquentiam, missiologiam, artem sacram ; in Philosophica aestheticam et paedagogiam. Inter disciplinas *auxiliares* in Facultate Iuris canonici ponuntur: Institutiones iuris romani, Ius concordatarium (ubi viget Concordatum), Elementa iuris civilis vigentis, Historia iuris canonici. (*Ord. art. 27, II, 2*). Inter *speciales* disciplinas in eadem Facultate, notentur: Ius missionum, Diplomatia ecclesiastica, Ius ecclesiasticum orientale, etc. (*Appendix I, 2*).

Primo quidem intuitu, existimare quis poterit nimis multas esse disciplinas obligatorias, et timere ne discipulus rerum pondere opprimatur. Sed si tum eiusdem verba meminerimus, non omnes disciplinas cum eadem amplitudine tractationis requiri inveniemus. Auxiliares enim disciplinae non tractabuntur nisi quantum intellectio principalium postulat; praeterea inter principales quaedam non nominantur nisi propter affinitatem quam cum alia servant et quia cum eadem veluti unam disciplinam

ita efformant, ut etiam ab uno professore doceri possint. Ex. gr. cum legitur (*Ord. art. 27, I, e*) sub eadem littera, quasi de una tantum disciplina ageretur: *Historia ecclesiastica, Archeologia christiana, Patrologia,* intelligendum est; Historia ecclesiastica una cum Archeologia et Patrologia. Sufficit proinde in schola historiae ecclesiasticae a diversis professoribus vel etiam ab eodem ea tantum exponi quae necessaria sunt ut historia ecclesiastica bene tractetur: qui est proprius conceptus disciplinarum auxiliarium. Cum praecise cautum sit ne nimis oneretur mens discipulorum, qui, pluribus intenti, principales disciplinas non sufficienti penetratione addiscerent. Unde iure art. 30 Ordinationum iubetur ne horae scholarum « tot sint numero ut auditores ultra modum onerentur ».

Titulus Quartus - DE COLLATIONE GRADUUM ACADEMICORUM

Haec profecto habenda est pars centralis, cuius intentionem atque essentiales praescriptiones supra fuse declaravimus; reliqua sive in Constitutione sive in Ordinationibus particularitates exsecutionis practicae respiciunt nec ullam specialem difficultatem faciunt.

Titulus Quintus - DE REBUS DIDACTICIS ET OECONOMICIS

Quoad aedificia et bibliothecas, quoad honoraria et tributa professorum et Universitatis personarum omnia clara sunt et aperta; omnibusque gaudium erit tam iustas praescriptiones codice digestas invenire.

Tantum animadvertamus quod auditoria debent non solum esse hygienica et commoda, sed etiam decora (*Ord. art. 44*); bibliotheca debet habere aulam consultationis in quam ingredi possint professores et discipuli (*a. 45*); constitutio beneficiorum scholasticorum, quae Bursae studiorum dicuntur, sedulo commendatur (*art. 49 § 4*).

Titulus Sextus - NORMAE TRANSITORIAE

Exsecutio praesentis legis ad annum 1932-33 assignatur et normae temporaneae traduntur anno 1931-32 observandae.

Inter quas notabimus quosdam articulos iam ab anno academico 1931-32 vim suam habere incipere (*sc. Art. 4, 35, 36,*

38, 39, 40). Ex his speciali mentione dignus est art. 36. Duplex enim hucusque veluti classis habebatur eorum penes quos potestas erat conferendi gradus academicos. Erant in primis athenaea quae scholas proprias habent; praeter haec erant alia instituta, Academiae, collegia, commissiones, Superiores familiarum religiosarum, aliae personae morales, vel physicae quae, etsi propriis scholis carebant, sub quibusdam condicionibus lauream nec non alios gradus academicos concedere poterant. His omnibus, quae in secunda classe recensentur, una excepta Pontificia Commissione de Re publica, ius promovendi ad gradus academicos vi huius Constitutionis adimitur idque iam ab anno academico proxime insequenti (*Const. Apost. Art. 36 cf. 6*). Aliis quae suas habent scholas, praescribitur ut infra annum statuta sua conficiant Constitutioni et Ordinationibus conformia, quae, nisi eadem exhibeant S. Congregationi ante diem proximum 30 iunii, a iure acquisito statim decident. S. Congregatio statuta suo examini subiiciet, et peracto examine ius poterit confirmare vel adimere. Verum haec quoque instituta anno 1931-32 lauream concedere nequeunt nisi candidatus prius licentiam sit adeptus: clarum tamen est ad licentiam et lauream tradendam non esse servanda quae in nova Constitutione praecipiuntur, sed utrumque gradum concedi posse secundum statuta propria uniuscuiusque facultatis hucusque vigentia.

Haec sufficiant, quae forte ad facilius intelligenda iuvare valebunt capita generalia novae Constitutionis. Studiorum ecclesiasticorum ordinatio quam Summus Pontifex fieri decreverat, omni cum prudentia ac sapientia praeparata est. Sub superiori directione E.mi Cardinalis Caietani Bisleti, Sacrae Congregationis Studiorum Praefecti, et sub impulsu atque activa praesidentia Excellentissimi Domini Ernesti Ruffini, eiusdem Congregationis Secretarii, viri delecti ex diversis nationibus, regionibus, scholis, lumina sua in commune attulerunt, consultis etiam plus quam 150 aliis viris quorum iudicium utile visum est.

Spes igitur certa est hanc Constitutionem unum ex maximis beneficiis huius gloriosi Pontificatus exstituram esse atque incrementum decusque ecclesiasticis studiis miro modo allaturam.

CAROLUS BOYER S. I.

PARS ALTERA

MONUMENTA

49. — Sacra Congr. de Seminariis et Studiorum Universitatibus

Ordinationes 12 iun. 1931

AD CONSTITUTIONEM APOSTOLICAM « DEUS SCIENTIARUM DOMINUS » DE UNIVERSITATIBUS ET FACULTATIBUS STUDIORUM ECCLESIASTICORUM RITE EXSEQUENDAM.

(A. A. S., 1 iul. 1931, XXIII, 263.)

Ordinationum occasio et vis.

Sacra Congregatio Seminariis et Studiorum Universitatibus praeposita, ad normam art. 12 Constitutionis Apostolicae « *Deus scientiarum Dominus* » d. XXIV Maii anno MDCCCCXXXI datae, Ordinationes quae sequuntur Universitatibus et Facultatibus studiorum ecclesiasticorum tradit easdemque religiose servandas praescribit.

TITULUS I. I.

Normae generales

Normae generales

(Const. Apost., art. 1-12)

Quaenam exhibenda a petentibus canonicam erectionem cum iure conferent gradus.

ART. 1. — Cum a Sacra Congregatione de Seminariis et Studiorum Universitatibus petitur ut Universitas vel Facultas canonice erigatur cum iure conferendi gradus academicos,

1° ostendatur ob locorum et temporis rationes opportunum esse novam Universitatem vel Facultatem erigi et spem certam fore, ut erigenda Universitas vel Facultas veram afferat utilitatem;

2° demonstretur haberi posse omnia quae requiruntur, ut Universitas vel Facultas vitâ scientificâ floreat:

a) iustum Professorum numerum ad normam art. 19 Constitutionis Apostolicae,

b) auditoria, bibliothecam, supellectilem, sicut in art. 47-49 Constitutionis Apostolicae et in art. 44-46 harum Ordinationum praescribitur,

c) pecuniae summam quae necessitatibus Universitatis vel Facultatis sufficiat;

3º exhibeantur:

a) Statuta cum *Ratione Studiorum* Constitutioni Apostolicae et his Ordinationibus congruentia,

b) aedium descriptio,

c) accepti et expensi annui accurata propositio.

Requisita concessioni primae; concessioni stabili.

ART. 2. — Sacra Congregatio ius conferendi gradus academicos non ante concedet, quam ea quae requiruntur ad effectum perducta sint; neque ius illud in modum stabilem confirmabit, nisi nova Universitas vel Facultas vitae suae academicae Constitutioni Apostolicae et his Ordinationibus congruentis per aliquot annos experimentum dederit.

Consilium de statutis.

ART. 3. — Ad Statuta conficienda ante oculos habeantur Normae quae *Appendice II*, his Ordinationibus adiuncta, continentur.

Relatio triennalis ad S. C.

ART. 4. — Singulae Universitates vel Facultates canonice erectae et approbatae tertio quoque anno ad Sacram Congregationem de Seminariis et Studiorum Universitatibus relationem de statu suo tam academico quam oeconomico, secundum Normas his Ordinationibus *Appendice III* adiunctas, mittere debent.

II.

Personae et regimen.

TITULUS II

De personis et regimine

(*Const. Apost.*, art. 13- 28)

1. Auctoritates, Officiales.

1. — *Auctoritates Academicae — Officiales*

(*Const. Apost.*, art. 13-18)

Magnus Cancellarius.

ART. 5. — *Magnus Cancellarius*

1º doctrinae orthodoxiam tutatur;

2º providet ut praescripta Sanctae Sedis fideliter observentur;

3º Sacrae Congregationi de Seminariis et Studiorum Universitatibus nomina proponit eorum qui ad Rectoris vel Praesidis officium exercendum apti habeantur, aut ab eadem confirmationem petit eius qui Rector vel Praeses ad normam art. 16 Constitutionis Apostolicae ab aliis nominatus sit;

4° professionem fidei Rectoris vel Praesidis, secundum formulam a Sancta Sede approbatam, ad normam art. 1406 § 1, 8° C. I. C. et Decreti Supremae Sacrae Congregationis S. Officii d. d. 22 Martii 1918, accipit;

5° Professoribus legitime nominatis missionem canonicam confert eosdemque hac missione ad normam art. 22 Constitutionis Apostolicae privare potest;

6° examinibus ad Lauream consequendam, de quibus in art. 46 § 1, 2° et § 2 Constitutionis Apostolicae, de iure praesidet;

7° documentis authenticis Licentiae et Laureae primo loco subscribit vel suo nomine ab alio subscribendum curat;

8° Sacram Congregationem de Seminariis et Studiorum Universitatibus de rebus gravioribus, quae ad Universitatem vel Facultatem pertinent, certiorem facit, eique tertio quoque anno accuratam relationem, de qua in art. 4 harum Ordinationum, exhibet.

ART. 6. — *Rector* vel *Praeses*

Rector vel Praeses.

1° exsequitur praescripta Sanctae Sedis et Statuta Universitatis vel Facultatis;

2° accipit professionem fidei secundum formulam a Sancta Sede approbatam omnium Professorum Universitatis vel Facultatis, ad normam can. 1406 § 1 n. 8° C. I. C. et Decreti Supremae Sacrae Congregationis S. Officii d. d. 22 Martii 1918, itemque eorum qui, examine superato, academicis gradibus donandi sunt;

3° curat ut Professores in docendo Rationem Studiorum rite approbatam accurate sequantur;

4° convocat Universitatis vel Facultatis Consilia, eisque praesidet;

5° auditores ad Universitatem vel Facultatem admittit, eorum studiis et moribus prospicit eosque, si quid culpae commiserint, meritis poenis ad normam art. 28 Constitutionis Apostolicae plectit;

6° examinibus, ad normam art. 42 et 44 Constitutionis Apostolicae subeundis, si intersit, praesidet;

7° documentis authenticis Baccalaureatus primo loco et ceterorum graduum academicorum secundo loco subscribit;

8° ad Magnum Cancellarium de studiis, disciplina, rebus pecuniariis refert;

9° quotannis ad Sacram Congregationem de Seminariis et Studiorum Universitatibus summaria ad rem *statisticam* perti-

nentia, secundum schemata ab eadem Sacra Congregatione redigenda, mittit.

Facultatis Decanus.

ART. 7. — *Facultatis Decanus*

1° vigilanter custodit doctrinam in propria Facultate tradendam;

2° praeest conventibus Facultatis, nisi ipse Rector intersit;

3° refert ad Rectorem quae a Facultate proponuntur;

4° quae ab Auctoritatibus superioribus statuuntur, in Facultate exsequenda curat;

5° de iure praeest examinibus de quibus in art. 34 Constitutionis Apostolicae, salvis art. 5, 6° et art. 6, 6° harum Ordinationum.

Officiales maiores et minores.

ART. 8. — *Officiales* pro muneris sui gravitate in maiores et minores dividuntur.

Interroganda Consilia.

ART. 9. — Rector Magnificus, Praeses, Decani in rebus, quae maioris momenti sunt, sua cuiusque Consilia interrogare debent;

2. Professores.

2. — *Professores*

(*Const. Apost.*, art. 19-22)

Cavenda de Professoribus.

ART. 10. — Qui praesunt Universitati vel Facultati caveant, ne cui Professori munus concredant tradendi disciplinas inter se dispares, neve quemquam numero scholarum ita onerent, ut a debita earum praeparatione et a labore scientifico prohibeatur.

ART. 11. — Professoribus non licet onera vel officia obire, quibus a munere docendi rite implendo impediantur.

3. Auditores.

3. — *Auditores*

(*Const. Apost.*, art. 23-28)

Admissio auditorum qui ad gradus non contendunt.

ART. 12. — Universitatis vel Facultatis auditores, qui quacumque de causa ad gradus academicos non contendunt, admitti possunt sive ad omnes scholas frequentandas sive ad aliquas tantum, quas sibi elegerint, firmo tamen praescripto art. 24 Constitutionis Apostolicae.

Quid comprehendat curriculum stud. classicorum.

ART. 13. — Curriculum medium studiorum classicorum, de quo in art. 25, 1° Constitutionis Apostolicae, praeter convenientem institutionem religiosam et linguas litterasque latinas, graecas, patrias, quae disciplinae praecipuae sunt, complecti debet etiam Historiam naturalem, Mathesim, Physicam, Chimiam,

Geographiam, Historiam civilem, et quidem tantum quantum in eo qui ad studia academica accedit requiri solet, secundum normas Sacrae Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus.

Documenta de eo afferenda.

ART. 14. — Curriculum medium studiorum classicorum rite peractum esse documentis authenticis Auctoritatis ecclesiasticae vel civilis probari debet, firmo iure Universitatis vel Facultatis imponendi examen, quandocumque documenta allata non sufficere censeantur.

Studium supplendum insufficiens alibi peractum.

ART. 15. — Si quis alumnus e schola media sive civili sive ecclesiastica venerit, in qua una vel plures disciplinae, de quibus in art. 13, omnino non sint aut saltem non satis sint traditae, earum studium supplere atque in examine satisfacere debet, secundum Statuta Universitatis vel Facultatis.

Requisitum biennium Philos. scholasticae.

ART. 16. — § 1. - Biennium Philosophiae scolasticae, quod ex art. 25, 2° *a*) Constitutionis Apostolicae prorsus requiritur ut quis in Facultate Theologica gradus academicos appetere possit, complectitur studium Logicae, Cosmologiae, Psychologiae, Criticae seu Criteriologiae, Ontologiae, Theologiae naturalis, Ethicae et Iuris naturalis, Historiae philosophiae.

Ubi absolvi debeat.

§ 2. - Biennium, de quo in § 1, rite absolvi debet, curriculo medio studiorum classicorum confecto, in Facultate Philosophica vel in aliqua schola superiore ad Philosophiam scholasticam docendam destinata et ab Auctoritate ecclesiastica ad hoc opprobata.

Quid qui illud aliter absolverit ?

§ 3. - Qui legitimis documentis probaverit se cursum Philosophiae scholasticae aliter ac in § 2 praescribitur absolvisse, in Facultatem Theologicam ascribi non potest, nisi in illius disciplinae studium saltem per annum in Facultate Philosophica vel in schola, de qua in eadem § 2, incubuerit et in examine de omnibus Philosophiae scholasticae partibus satisfecerit.

Quinam et quomodo transitus permissi.

ART. 17. — § 1. - Ab una Universitate vel Facultate ad aliam transire licet etiam ad eadem studia continuanda, ea tamen condicione ut nemo ad Licentiam admittatur, quin tempore curriculi peracti omnes disciplinas ad normam art. 33 § 3 Constitutionis Apostolicae praescriptas rite absolverit.

§ 2. - Transitus, de quo in § 1, fieri potest tantum initio anni academici aut, ubi annus academicus in semestria dividitur, initio singulorum semestrium; ne fiat tamen nisi iusta de causa.

§ 3. - Firmis praescriptis § 1 et § 2, Universitatibus vel Facultatibus ius est iis qui ab aliis ad se transierint rationem et ordinem studiorum statuendi.

III.

TITULUS III

Ratio studiorum.

De ratione studiorum

(Const. Apost., art. 29-34)

1. Generalis methodus.

1. — *Methodus generalis docendi*

(Const. Apost., art. 29-30)

Conformatio ad Angelicum Doctorem.

ART. 18. — § 1. - Quae in art. 29 *a*) et *c*) Constitutionis Apostolicae de institutione ad Angelici Doctoris rationem, principia, doctrinam statuuntur sancte serventur, ad normam Litterarum Encyclicarum Leonis Pp. XIII *Aeterni Patris* d. d. 4 Augusti 1879 et Pii Pp. XI *Studiorum Ducem* d. d. 29 Iunii 1923.

Pars positiva cum fontibus.

§ 2. — In parte disciplinarum *positiva* auditores ita instituantur, ut non solum ipsam doctrinam probe addiscant, sed etiam fontes singulis disciplinis proprios legesque eosdem interpretandi cognoscant atque laboris scientifici subsidia et adiumenta cum fructu adhibere assuescant.

Methodus scholastica in quaestionibus speculativis.

§ 3. - In quaestionibus *speculativis* sive Theologiae sive Philosophiae adhibeatur methodus quam scholasticam vocant, non neglecta, tam in proponendis argumentis quam in afferendis, disputandis, solvendis difficultatibus, forma *syllogistica*. Hac autem methodo auditorum mentes ita excolantur, ut apti paratique efficiantur non solum ad falsa systemata erroresque antehac exortos diiudicandos et refutandos, sed etiam ad discernendas et ex veritate aestimandas sententias novas quae forte in disciplinis theologicis vel philosophicis exoriantur.

Principales disciplinae demonstrandae numero lectionum et professorum;

ART. 19. — Disciplinarum principalium, quae Universitatis vel Facultatis veluti summam constituunt, gravitas et excellentia etiam ex numero lectionum et professorum eluceant.

tradendae totae in scholis in fac. theol. iuris can. et philosoph.

ART. 20. — In Facultate Theologica, Iuris Canonici, Philosophica disciplinae principales totae tradendae sunt in scholis.

Qua lingua docendum. Locutionum technicarum vis intellegenda.

ART. 21. — Sacra Scriptura, Theologia dogmatica, Theologia moralis, Philosophia scholastica, Codex iuris canonici et Ius romanum tradantur lingua latina. Professores autem operam dent ut auditores vim locutionum *technicarum* plene et accurate intellegant.

Principia methodica exponenda. Institutio alcunnorum.

ART. 22. — In exercitationibus, de quibus in art. 30 § 1 Constitutionis Apostolicae, professoris est principia methodica propriae scientiae exponere, nisi id in cursu peculiari fiat, et

eorundem rectae applicationi invigilare, ita ut singuli discipuli ad legendos et interpretandos fontes, ad tractandas et diiudicandas quaestiones peculiares et praesertim ad scribendum, etiam in lingua vernacula, de selectis scientiae argumentis instituantur.

Quo anno exercitationes in choandae.

ART. 23. — Exercitationes initium sumere debent: in Facultate Theologica et Philosophica saltem a *tertio* curriculi anno, in Facultate Iuris Canonici saltem a *secundo*, in Pontificio Instituto Utriusque Iuris a *secundo*, in Pontificio Instituto Biblico, in Pontificio Instituto Studiorum Orientalium, in Pontificio Instituto Archaeologiae Christianae, in Pontificio Instituto Musicae Sacrae iam inde ab anno *primo*.

Disputationis scholasticae ratio.

ART. 24. — In disputationibus scholasticis, de quibus in art. 30 § 2 Constitutionis Apostolicae, aliquis ex auditoribus thesim a Professore indicatam, eodemque vel alio Professore moderante, exponet, demonstrabit atque vindicabit a difficultatibus, quas condiscipuli antea designati, et post hos, pro opportunitate, etiam alii opposuerint.

Paucae scholae ultimo anno.

Art. 25. — Ultimo curriculi anno scholae paucae sint; exercitationes autem continuentur quidem, ita tamen ut amplum temporis spatium dissertationi pro Laurea praeparandae relinquatur.

2. - *Studiorum curriculum*
(*Const. Apost.*, art. 31-32).

2. Studiorum curriculum.

Modus contrahendi studia iis qui iam studia peregerunt: in Facult. theologica;

ART. 26. — Ut studiorum curriculum ad normam art. 22 Constitutionis Apostolicae contrahatur, haec quae sequuntur in primis serventur:

1° *In Facultate Theologica:*

qui, studiis mediis classicis rite peractis, Philosophiae scholasticae per biennium operam dederint ad normam art. 16 harum Ordinationum et deinde quadriennium theologicum ad normam can. 1365 C. I. C. rite absolverint, ad quartum curriculi annum, praemisso examine, admitti possunt.

in Fac. iuris can.

2° *In Facultate Iuris Canonici:*

a) qui quidriennium theologicum in aliqua Facultate Theologica canonice erecta et approbata rite peregerint, admitti possunt, nullo facto examine, in primum curriculi annum;

b) qui quadriennium theologicum extra Facultatem Theologicam rite absolverint, ut in Facultatem Iuris Canonici ascribi possint, superare debent examen de Institutionibus iuris canonici;

c) qui quadriennium theologicum, de quo sub litt. *a*) et *b*), non peregerint, in Facultatem Iuris Canonici ascribi non possunt, nisi in examine de principiis Philosophiae moralis, Iuris naturalis, Theologiae fundamentalis ac de Institutionibus iuris canonici rite satisfecerint;

d) qui lauream in Iure civili consecuti fuerint, curriculum Facultatis Iuris Canonici biennio conficere possunt, firma pro laicis obligatione examinis praescripti sub litt. *c*).

in Fac. Philosophica.

3° *In Facultate Philosophica :*

a) qui, studiis mediis classicis rite peractis, biennium philosophicum absolverint in schola superiore Philosophiae scholasticae, ab Auctoritate ecclesiastica ad hoc approbata, cui tamen non sit ius conferendi gradus academicos, recipi possunt, facto examine, in tertium annum Facultatis Philosophicae;

b) qui cursum Philosophiae scholasticae extra scholam, de qua sub litt. *a*), peregerint, curriculum Facultatis Philosophicae triennio conficere possunt.

3. — *Disciplinae tradendae et examina*

(*Const. Apost.* art. 33-34)

3. Disciplinae tradendae et examina.

ART. 27. — Disciplinae principales et auxiliares ab omnibus Universitatibus et Facultatibus tradendae hic subiciuntur, facta singulis Universitatibus et Facultatibus potestate aliquot alias disciplinas omnibus auditoribus praescribendi.

De subiecta Appendice.

Pro Facultate Theologica, Iuris Canonici, Philosophica in *Appendice I*, his Ordinationibus adiuncta, recensentur, in modum exempli, complures disciplinae speciales et cursus peculiares atque indicantur aliquot eorum sectiones ad normam art. 33 § 2 Constitutionis Apostolicae.

I. — FACULTAS THEOLOGICA

Disciplinae facultatis theologicae.

1. — *Disciplinae Principales :*

b) Theologia fundamentalis; — *b*) Theologia dogmatica; — *c*) Theologia moralis; — *d*) Scriptura sacra (i. e. Introductio et Exegesis Veteris et Novi Testamenti); — *e*) Historia ecclesiastica, Patrologia, Archaeologia christiana; — *f*) Institutiones iuris canonici.

2. — *Disciplinae auxiliares :*

a) Lingua hebraica et graeco-biblica; — *b*) Institutiones systematico-historicae Liturgiae; — *c*) Ascetica; — *d*) Quaestiones theologicae ad Orientales maxime spectantes.

3. — *Disciplinarum specialium* et *cursuum peculiarium* exempla vid. in *App. I, n. 1.*

II. — Facultas Iuris Canonici

Disciplinae fac. Iuris can.

1. — *Disciplinae Principales :*

a) Introductio in scientias iuridicas (Ius naturale, Philosophia iuris); — *b*) Normae Generales — *Liber I Codicis I. C.;* — *c*) De Personis — *Liber II Codicis I. C.*; — *d*) *De Rebus* — *Liber III Codicis I. C.;* — *e*) De Processibus — *Liber IV, Codicis I. C.;* — *f*) De Delictis et Poenis — *Liber V Codicis I. C.*; — *g*) Ius publicum ecclesiasticum.

2. — *Disciplinae auxiliares :*

a) Institutiones iuris romani ; — *b*) Ius concordatarium (*ubi viget Concordatum*); — *c*) Elementa iuris civilis vigentis; *d*) Historia iuris canonici (fontes, instituta, scientia).

3. — *Disciplinarum specialium* et *cursuum peculiarium* exempla vid. in *App. I, n. 2.*

III. — Facultas Philosophica

Disciplinae facultatis philosophiae.

1. — *Disciplinae principales :*

a) Philosophia scholastica, exponenda secundum omnes suas partes (Logica, Cosmologia, Psychologia, Critica seu Criteriologia, Ontologia, Theologia naturalis, Ethica et Ius naturale), praemissa Introductione generali; — *b*) Historia philosophiae.

2. — *Disciplinae auxiliares :*

a) Psychologia experimentalis; — *b*) Quaestiones scientificae cum Philosophia coniunctae ex Biologia, — Anthropologia, — Mathesi, — Physica, — Chimia; — *c*) Interpretatio textuum selectorum ex Aristotele et S. Thoma Aquinate.

3. — *Disciplinarum specialium* et *cursuum peculiarium* exempla vid. in *App. I, n. 3.*

IV. — Pontificium Institutum Biblicum

Disciplinae Pont. Instituti Biblici.

1. — *Disciplinae principales :*

a) Quaestiones graviores Introductionis generalis et specialis in sacram Scripturam ; — *b*) Exegesis pericoparum selectarum ex sacris Litteris ; — *c*) Theologia biblica ; — *d*) Cursus altiores de linguis biblicis (hebraica, aramaica, graeco-hellenistica); — *e*) Lingua aliqua orientalis (praeter hebraicam

et aramaicam). Linguae autem inter quas selectio fieri potest, in primis sunt hae: syriaca, accadica et sumerica, arabica, aegyptiaca antiqua.

2. — *Disciplinae auxiliares:*

a) Historia biblica; — *b*) Geographia biblica; — *c*) Archaeologia biblica.

3. — *Disciplinae speciales* et *cursus peculiares* in propriis Statutis recensentur.

Disciplinae Pont. Instituti Stud. Orientalium.

V. — Pontificium Institutum Studiorum Orientalium

1. — *Disciplinae principales:*

a) Theologia fundamentalis et dogmatica cum doctrinis Orientalium dissidentium comparata; — *b*) Patrologia orientalis; — *c*) Liturgiae orientales; — *d*) Historia ecclesiastica orientalium; — *e*) Ius canonicum orientale.

2. — *Disciplinae auxiliares:*

a) Introductio in studia orientalia christiana; — *b*) Archaeologia Orientis christiani; — *c*) Una ex his linguis: aethiopica, arabica, armena, coptica, georgiana, graeca antiqua et recentior, palaeoslavica, rumena, russica, syriaca, turcica.

3. — *Disciplinae speciales* et *cursus peculiares* in propriis Statutis recensentur.

Disciplinae Pont. Instituti utriusque iuris.

VI. — Pontificium Institutum Utriusque Iuris

Praeter disciplinas Facultatis Iuris Canonici proprias

1. — *Disciplinae principales:*

a) Ius romanum; — *b*) Ius publicum internum comparatum; — *c*) Ius poenale comparatum; — *d*) Ius processuale comparatum; — *e*) Ius privatum comparatum; — *f*) Ius internationale.

2. — *Disciplinae auxiliares:*

a) Oeconomia socialis; — *b*) Notiones statisticae; — *c*) Medicina legalis; — *d*) Historia iuris romani; — *e*) Historia iuris civilis, praesertim iuris communis.

3. — *Disciplinae speciales* et *cursus peculiares* in propriis Statutis recensentur.

Disciplinae Pont. Instituti Archaeologiae Christianae.

VII. — Pontificium Institutum Archaeologiae Christianae

1. — *Disciplinae principales:*

a) Historia, Liturgia, Hagiographia Ecclesiae antiquae;

— *b*) Architectura et Historia aedificiorum sacrorum Ecclesiae antiquae; — *c*) Descriptio et Historia coemeteriorum christianorum primae aetatis; — *d*) Iconographia sacra Ecclesiae antiquae (pictura, sculptura, artes minores); — *e*) Epigraphia Ecclesiae antiquae.

2. — *Disciplinae auxiliares:*

a) Introductio critica in fontes historiae Ecclesiae antiquae; — *b*) Methodologia studiorum de monumentis christianis; — *c*) Institutiones romanae primorum Ecclesiae temporum; — *d*) Technologia de antiquis monumentis effodiendis servandisque.

3. — *Disciplinae speciales* et *cursus peculiares* in propriis Statutis recensentur.

VIII. — Pontificium Institutum Musicae Sacrae

Disciplinae Pont. Instituti Musicae sacrae.

A) *Cantus gregorianus*

De cantu;

1. — *Disciplinae principales:*

a) Theoria gregoriana generalis; — *b*) Aesthetica, altior Theoria, Palaeographia gregoriana; — *c*) Institutiones sacrae liturgiae; — *d*) Exercitationes cantus gregoriani.

2. — *Disciplinae auxiliares:*

a) Historia musicae, cantus gregoriani, legislationis ecclesiasticae de musica sacra; — *b*) Solmisationis variae species; — *c*) Ars recte canendi; — *d*) Ars gregorianos concentus moderandi; — *e*) Harmonia et Contrapunctum; — *f*) Ars pulsandi organum et « pianoforte » quod *complementare* dicitur; — *g*) Ars consociandi organum cum cantu gregoriano.

3. — *Disciplinae speciales* et *cursus peculiares* in propriis Statutis recensentur.

B) *Compositio sacrorum concentuum*

De Compositione;

1. — *Disciplinae principales:*

Praeter disciplinas de quibus sub litt. *A*) 1-*a*), *c*), *d*)

a) Harmonia, Contrapunctum, Fuga; — *b*) Ars componendi secundum varias musicas formas.

2. — *Disciplinae auxiliares:*

Praeter disciplinas de quibus sub litt. *A*) 2-*a*), *b*), *c*), *f*), *g*)

a) Musicologia; — *b*) Polyphonia sacra secundum normas veterum summorumque auctorum; — *c*) Ars chorum moderandi; — *d*) Ratio iudicandi de musicis compositionibus; — *e*) Ars symphonica (*Strumentazione*).

3. — *Disciplinae speciales* et *cursus peculiares* in propriis Statutis recensentur.

De organo.

C) *Organum*

1. — *Disciplinae principales:*

Praeter disciplinas de quibus sub litt. *A*) 1-*a*), *c*), *d*) et *B*) 1-*a*)

a) Ars pulsandi organum quod *principale* dicitur; — *b*) Ars consociandi ex improviso organum cum cantu gregoriano; — *c*) Ars componendi in organo modos musicos secundum antiquum ac recentiorem stilum.

2. — *Disciplinae auxiliares:*

Praeter disciplinas de quibus sub litt. *A*) 2-*a*), *b*), *c*), *g*) et *B*) 2-*b*), *d*) — Historia, Structura, Aesthetica organi - Illustriores musicae cum organo auctores - Ratio docendi artem pulsandi organum.

3. — *Disciplinae speciales* et *cursus peculiares* in propriis Statutis recensentur.

Selectio disciplinarum specialium.

ART. 28. — Disciplinae speciales seligantur pro cuiusque Universitatis vel Facultatis traditionibus et regionis necessitatibus, ad principia doctrinae catholicae in varias vitae intellectualis provincias efficacius diffundendas.

Requisita assiduitas et sanctio.

ART. 29. — § 1. - Auditores scholas omnes disciplinarum, quae in art. 33 § 3 Constitutionis Apostolicae praescribuntur, frequentare debent. Si quis auditor ab iis ita afuerit (cum vel sine causa), ut omnes absentiae simul sumptae tertiam partem anni aut semestris academici adaequent, annus ille aut semestre numero praescripto non comprehendetur, salvis poenis quibus, si culpam commiserit, vi Statutorum Universitatis vel Facultatis obnoxius esse poterit.

Participatio exercitationum.

§ 2. - Exercitationibus, quae Statutis Universitatis vel Facultatis ad normam art. 30 § 1 Constitutionis Apostolicae praescribuntur, auditores ad gradus academicos contendentes non solum interesse, sed communi cum sodalibus labore et propriis commentationibus operam dare debent.

Horae scholarum quot?

ART. 30. — Horae scholarum ne tot sint numero, ut auditores ultra modum onerentur et tempore, quod studio privato, exercitationibus, examinibus parandis impendendum est, priventur.

Optio permissa de examinibus.

ART. 31. — § 1. - Examina, de quibus in art. 34 Constitutionis Apostolicae, possunt esse, pro singulis disciplinis, sive unica sive plura, modo universam materiam complectantur.

§ 2. - Examina, de quibus in § 1, possunt fieri aut solum coram aut etiam scripto.

ART. 32. — Statutis Universitatis vel Facultatis definiatur, qua ratione examinatores suum de candidato iudicium significare debeant. *Significatio iudicii.*

ART. 33. — In iudicio ultimo de candidatis ad singulos gradus academicos ratio habeatur omnium suffragiorum quae ii in diversis experimentis, sive scripto sive coram factis, tulerunt. *Ratio suffragiorum habenda pro iudicio ultimo.*

ART. 34. — Ad omnia examina coram subeunda Professoribus et auditoribus liber patet aditus. *Liber aditus ad examina.*

TITULUS IV

IV.

De collatione graduum academicorum

Collatio graduum.

(*Const. Apost.*, art. 35-46)

(*Const. Apost.*, art. 35-42)

ART. 35. — Firmo praescripto art. 40 Constitutionis Apostolicae, potestas conferendi Lauream *ad honorem* tum tantum a Sancta Sede postulari poterit, cum Magnus Cancellarius et duae saltem partes Professorum ordinariorum Universitatis vel Facultatis in id consenserint. *Requisita ad postulandam Lauream ad honorem.*

ART. 36. — § 1. - Documenta authentica de collatis gradibus academicis mentionem faciant iuris conferendi gradus academicos, quod Universitas vel Facultas a Sancta Sede impetravit. *Forma documentorum.*

§ 2. - Documentis, de quibus in § 1, ab omnibus, ad quos secundum praescripta art. 5, 7° et 6, 7° harum Ordinationum et peculiaria Universitatis vel Facultatis Statuta pertinet, subscribatur; eademque sigillo Universitatis vel Facultatis signentur.

1. — *Licentia*

(*Const. Apost.*, art. 43-44)

ART. 37 § 1. — Ut quis ad examen Licentiae admittatur, requiritur ut omnibus scholis et exercitationibus a Statutis Universitatis vel Facultatis, ad normam art. 30 et 33 § 3 Constitutionis Apostolicae atque art. 22 et 29 § 1 harum Ordinationum *Requisita examini Licentiae.*

praescriptis, interfuerit et praeterea ut, ad normam art. 29 § 2 earundem Ordinationum, aptitudinis ad laborem scientificum dederit experimentum etiam scriptum.

§ 2. — Experimentum, de quo in § 1, in aliqua schola exercitationum dandum et a Professore ad quem pertinet diiudicandum est.

Examina de universa re;

ART. 38 § 1. — Qui ad Licentiam contendit in Facultate Theologica, Iuris Canonici, Philosophica, etsi iam annua vel semestria examina superaverit, subiciendus est examini peculiari ex quo appareat eum praecipuam Facultatis disciplinam universe callere. Quare hoc examen in Theologia sit: *de universa sacra Theologia* (Theologia fundamentali, dogmatica, morali speculativa); in Iure canonico: *de universo Codice iuris canonici*, ratione simul habita legum ecclesiasticarum praecedentium; in Philosophia: *de universa Philosophia scholastica.*

Quae sit in Pontificiis Institutis, de quibus in art. 3 Constitutionis Apostolicae, materia examinis peculiaris, ad normam art. 44 Constitutionis eiusdem subeundi, eorum Statutis definiatur.

saltem per horam;

§ 2. – Peculiare examen, de quo in § 1, coram dandum est et sit saltem per horam.

quattuor suffragium ferentes.

§ 3. — Professores, qui in experimento, de quo in § 2, suffragium ferant, sint saltem quattuor.

Examen scriptum.

ART. 39. — Salvo praescripto art. 37, ad assequendam Licentiam, praeter examen coram subeundum, de aliqua saltem disciplina e principalibus examen etiam scripto faciendum est.

Requisita assequendae Laureae.

2. — *Laurea*

(Const. Apost., art. 45-46)

De dissertatione scribenda, exhibenda,

ART. 40. — Statutis Universitatis vel Facultatis de dissertatione definiatur:

1° quomodo componenda sit,

2° quando et quot exemplaribus sit Universitati vel Facultati exhibenda.

probanda,

ART. 41. — § 1. - Argumentum dissertationis approbandum est a Professore disciplinae ad quam dissertatio pertinet, de consensu Rectoris vel Praesidis Universitatis vel Facultatis.

§ 2. — Dissertatio examinanda et diiudicanda est a duobus saltem Professoribus rerum, de quibus agitur, peritis. Prius autem quam a censoribus dissertatio approbata sit, Prolyta seu Licentiatus ad eam palam defendendam admitti nequit.

§ 3. — Dissertationis defensio sollemniter fiat, invitatis, praeter Auctoritates ecclesiasticas, etiam aliis doctrina atque vitae condicione praestantibus. *defendenda.*

§ 4. — Dissertationem oppugnare possunt, praeter censores, de quibus in § 2, et nonnullos Professores ad id designatos, etiam alii qui adsunt.

§ 5. — Professores qui in dissertationis defensione, de qua in § 3, et in experimento ad normam art. 46 § 2 Constitutionis Apostolicae subeundo suffragium ferant, sint saltem quinque. *Quinque saltem suffragium ferant.*

ART. 42. — Examen coram faciendum, de quo in art. 46 § 2 Constitutionis Apostolicae, vel versabitur in definito numero thesium, quae artius sive cum rebus in dissertatione tractatis sive cum disciplinis quibus candidatus peculiariter operam dederit conectuntur; vel erit lectio palam habenda de argumento delecto ex disciplinis quibus candidatus in primis studuerit. *De Examine orali.*

ART. 43. — Universitas vel Facultas exemplar singularum dissertationum approbatarum ad Sacram Congregationem de Seminariis et Studiorum Universitatibus et ad omnes Universitates vel Facultates studiorum ecclesiasticorum canonice erectas et approbatas, saltem propriae nationis, mittere debet. *Exemplaria mittenda.*

TITULUS V

V.

De rebus didacticis et oeconomicis

(*Const. Apost.*, art. 47-52)

Res didacticae et oeconomicae.

1. — *Aedificium*

(*Const. Apost.*, art. 47)

1. Aedificium.

ART. 44. — Auditoria sint satis ampla, aëri pervia, decora, ad leges hygienicas et ad consuetudines scholarum in singulis regionibus vigentes accommodata.

2. — *Bibliotheca et adiumenta scientifica*

(*Const. Apost.*, art. 48-49)

2. Bibliotheca et adiumenta scientifica.

ART. 45. — § 1. - Quaevis Universitas vel Facultas bibliotheca *consultationis* instruatur, in qua inveniantur opera sacra et profana praecipua, ad laborem scientificum tam Professorum quam auditorum necessaria.

§ 2. — Diligenter providendum et certâ pecuniae summâ depositâ cavendum est, ut bibliotheca non solum primo constituatur, sed etiam singulis annis voluminibus tam antiquis quam recens scriptis atque praecipuis *periodicis* secundum naturam Universitatis vel Facultatis augeatur.

§ 3. — Bibliothecae leges et normae tales statuantur, ut necessitatibus Professorum et auditorum quam maxime consulatur, simulque auditores a periculo vel temporis inutiliter terendi vel damni in fide vel moribus patiendi sedulo praeserventur.

§ 4. — Si singula instituta et laboratoria scientifica suam quodque bibliothecam non habeant, saltem curandum est ut accessus ad bibliothecam omnibus communem facile pateat.

Laboratoria scientifica.

ART. 46. — § 1. - Instituta ac laboratoria scientifica secundum rerum usum et necessitates aetatis nostrae adiumentis omnibus instruantur.

§ 2. — Nulli disciplinae ea desint quibus, pro sua quaeque natura, opus habet ad res suas accurate explanandas et illustrandas, ut sunt tabulae geographicae et historicae, summaria statistica, instrumenta scientifica.

3. Honoraria professorum et officialium; tributa auditorum.

3. — *Professorum et Officialium honoraria atque auditorum tributa* (*Const. Apost.*, art. 50-52)

Observandae de honorariis consuetudines.

ART. 47. — Universitatis vel Facultatis Statutis definiatur quanta Professoribus et Officialibus pro diversis eorum gradibus pendenda sint honoraria. Qua in re ratio habeatur legitimarum consuetudinum in singulis regionibus vigentium et iustarum legum quas similia Athenaea sive publica sive privata sequuntur.

ART. 48. — § 1. - In statuendis quae ad normam art. 51 Constitutionis Apostolicae ratione muneris depositi addicenda sunt, generatim ea serventur quae in singulis regionibus pro casibus similibus statui solent.

§ 2. — Statutis Universitatis vel Facultatis accurate definiatur secundum quas regulas et normas singulis emerita honoraria addicantur.

Securitas de solutione honorariorum emeritorum.

§ 3. — In regulis et normis, de quibus in § 2, clare significetur qua cautione oeconomica Universitas vel Facultas fidem interponat fore, ut emerita honoraria certo solvantur.

De contributione auditorum et bursis studiorum.

ART. 49. — § 1. - In definiendo quantum auditores ad Universitatis vel Facultatis sumptus conferre debeant, serventur

normae in aliis Athenaeis similibus vigentes, ratione tamen habita communis condicionis oeconomicae auditorum.

§ 2. — Universitas vel Facultas opportunis modis provideat, ne tributorum lege via graduum academicorum illis praecludatur, qui claro ingenio praediti spem faciunt se Ecclesiae valde utiles esse futuros.

§ 3. — Quibus condicionibus tributorum solutio auditoribus aut plene remitti aut in posterum differri possit, simili modo definiatur ac in aliis eiusdem regionis Athenaeis.

§ 4. — Universitas vel Facultas enitatur ut, quantum fieri potest, eae pecuniae augeantur ex quibus auditorum, qui id merentur, indigentiae succurratur, atque peculiaria constituantur beneficia scholastica, quae vulgo *Bursae studiorum* appellantur, in auditores optimos alendos et sublevandos eroganda.

Divulgatio beneficiorum scholasticorum.

§ 5. — Universitas vel Facultas singulis annis pervulget quae et quibus condicionibus beneficia scholastica auditoribus conferantur.

Confirmatio SS i

Quas Ordinationes omnes et singulas Ss.mus D. N. Pius divina Providentia Pp. XI ratas habuit, confirmavit, evulgari iussit, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Dies (12 iun. 1931, festum SS. Cordis).

Datum Romae, ex aedibus S. Callisti, die XII mensis Iunii, in festo Sacratissimi Cordis Iesu, anno MDCCCCXXXI.

C. Card. BISLETI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

E. RUFFINI, *Secretarius.*

APPENDIX I.

Disciplinae speciales et cursus peculiares secundum art. 27 Ordinationum

Exempli causa subiecta de disciplinis specialibus et cursibus peculiaribus,

(*Quae hic exempli causa subiciuntur, neque numero neque nominibus definita sunt, cum et augeri et dividi et diverso modo appellari possint*).

in Fac. theologica,

1. - *Facultas Theologica*

Historia sacra Veteris et Novi Testamenti; — Theologia biblica Veteris et Novi Testamenti; — Quaestiones selectae de Inspiratione et Hermeneutica, ratione praesertim habita relationis ad Theologiam fundamentalem et dogmaticam; — Exegesis praecipuorum textuum dogmaticorum Veteris et Novi Tes-

tamenti; — Doctrina theologica alicuius Patris vel Doctoris Ecclesiae; — Quaestiones selectae ex Patrologia; — Interpretatio textuum selectorum SS. Patrum et S. Thomae Aquinatis; — Quaestiones selectae ex Theologia dogmatica speculativa; — Quaestiones selectae ex Theologia morali speculativa; — Quaestiones recentiores Apologeticae; — Mariologia; — Theologia pastoralis; — Theologia mystica; — Theologia liturgica; — Quaestiones selectae ex Archaeologia christiana; — Eloquentia sacra; — Catechetica; — Paedagogia; — Historiographia ecclesiastica; — Historia religionis; — Historia dogmatum; — Historia conciliorum; — Historia theologiae, in primis scholasticae eiusque methodi; — Historia et Fontes theologiae moralis; — Historia et Fontes iuris canonici; — Historia liturgiae; — Historia missionum; — Missiologia; — Ars sacra; — Linguae antiquae ad disciplinas Facultatis utiles.

SECTIONES: *Biblica, Dogmatica, Historica, Moralis, Iuridica.*

in Fac. iuris can.,

2. - *Facultas Iuris Canonici*

Ius ecclesiasticum orientale; — Ius liturgicum; — Ius missionum; — Ius romanum; — Diplomatia ecclesiastica; — Oeconomia socialis; — Notiones statisticae; — Medicina legalis; — Iurisprudentia ecclesiastica; — Praxis processualis canonica; — Methodologia historico-iuridica; — Epigraphia iuridica; — Diplomatica et Palaeographia iuridica; — Historia iuris romani; — Historia diplomatiae ecclesiasticae.

SECTIONES: *Dogmatica, Practica, Historica.*

in Facult. Philosophica.

3. - *Facultas Philosophica*

Quaestiones selectae ex singulis partibus philosophiae; — Aesthetica; — Moralis socialis et Sociologia; — Expositio doctrinae alicuius ex praecipuis philosophis cum interpretatione textuum selectorum; — Ius gentium; — Paedagogia; — Philosophia scientiarum; — Biologia generalis; — Anthropologia; — Mathesis superior; — Physica theorica; — Chimia generalis; — Methodologia historica; — Historia unius alteriusve partis philosophiae.

SECTIONES: *Metaphysica, Ethica, Sociologica, Scientifica, Historica.*

APPENDIX II

Normae conficiendi statuta.

Normae ad quas, secundum art. 3 Ordinationum, Universitatis vel Facultatis " Statuta „ conficienda sunt

Statuta Universitatis vel Facultatis, praemissa brevi eiusdem historia, declarare debent:

1. — Quem finem Universitas vel Facultas prosequatur; ex quibus scholis constet; quos gradus academicos conferat.

2. — Quis sit Magnus Cancellarius; ex quibus et quomodo eligatur Rector Magnificus vel Praeses et quamdiu munere fungatur.

3. — Quomodo nominentur Decani ceteraeque, si quae sint, Auctoritates Academicae atque Officiales tam maiores quam minores; quamdiu officio fungantur; quae sint eorum munera; ob quas rationes munus suum deponere possint; quae sint eorum honoraria ordinaria et emerita.

4. — Quae consilia habeantur; quomodo consiliarii nominentur; quamdiu in officio permaneant et quae eorum sint munera et iura.

5. — Quae inter Universitatem vel Facultatem ex una parte et clericorum Seminaria vel Collegia ex altera sint rationes; quomodo inter illam et ista distinctio servetur et mutuum auxilium foveatur.

6. — Qui sint Professorum ordines et quot saltem in ordinem Professorum ordinariorum cooptari debeant; quomodo singulorum ordinum Professores nominentur; quae sint normae petendae vel dandae missionis canonicae; qua ratione ab uno ad alium ordinem ascendere possint; quamdiu officio fungantur; quae singulorum ordinum sint munera et iura; quae in singulis sint annua honoraria et horum statis temporibus amplificationes; quae sint honoraria emerita; quibus poenis et quando professores plecti possint.

7. Quaenam auditorum sint genera; quaenam documenta et quae condiciones ante ascriptionem requirantur; quae pecuniae sint solvendae; quibus condicionibus tributa remitti possint; quae sint condiciones ut quis ex alia Universitate vel Facultate recipi possit; quibus poenis et quando auditores plecti possint.

8. — Quae sit studiorum ratio cum elencho disciplinarum principalium et auxiliarium et specialium atque etiam cursuum peculiarium pro unaquaque Facultate et pro singulis gradibus

academicis consequendis; quae disciplinae pro singulis curriculi annis praescriptae sint; quae disciplinae speciales seu cursus peculiares ab auditoribus seligi possint; quot horis in hebdomada singulae disciplinae et cursus tradantur; quae exercitationes, instituta et laboratoria scientifica singulis curriculi annis ab auditoribus frequentari debeant; quae praescribantur examina et quae sint condiciones necessariae ad singulos gradus academicos adipiscendos; quomodo Professores iudicium suum de candidatis proferant; quae documenta graduum academicorum concedantur.

9. — Quae bibliothecae, instituta ac laboratoria scientifica habeantur et quibus normis generalibus haec omnia regantur.

10. — Quodnam patrimonium habeat Universitas vel Facultas, quomodo id administretur eiusdemque reditus impendantur; cuiusnam iudicio annua ratio accepti et expensi tam praeventiva quam consumptiva, quae dicuntur, subsit; quaenam inspectiones sive ordinariae sive extraordinariae ad pecuniae in scrinio asservatae tutelam habeantur.

APPENDIX III

Normae relationis triennalis.

Normae pro " Relatione triennali „ ad Sacram Congregationem de Seminariis et Studiorum Universitatibus, secundum art. 4 Ordinationum, mittenda.

Quattuor partes distinguantur; *scientifica, didactica, moralis, oeconomica.* De singulis haec referri debent:

1. — Incrementa quae scholis, bibliothecis, institutis et laboratoriis scientificis allata sint; quid Universitas vel Facultas ad scientiarum incrementum contulerit; quae opera vel dissertationes sive a Professoribus, sive ab aliis, auspice tamen Universitate vel Facultate, edita sint.

2. — Quae calendaria et scholarum programmata Universitas vel Facultas secuta sit.

3. — Quae sive ad Professorum sive ad auditorum statum spectent.

4. — Ratio accepti et expensi superioris triennii.

SUPPLENDUM

De Calendario in missionibus, de quo p. 143*, conferenda est responsum S. Rit. Cong. 23 mart. 1929, quod reperietur in primo fasc. t. XXI, anni 1932.

INDEX SCRIPTORUM HUIUS VOLUMINIS

R. Bidagor S. I., *Prof. iuris can. in Pont. Univ. Gregoriana,* 60* ss.; 258 ss.

C. Boyer S. I., *Prof. theol. dogm. in Pont. Univ. Gregoriana,* 298 ss.

Felix M. Cappello S. I., *Prof. iuris can. in Pont. Univ. Gregoriana,* 20* ss.; 74* ss.; 125* ss.; 140 ss.; 151 ss.

E. Jombart S. I., *Prof. iuris can.,* 15*; 16* ss.

Mich. Mostaza S. I., *Prof. iuris can. in Pont. Univ. Gregoriana,* 118* ss.

Dr. Triebs, *Ex professore iuris can., officialis curiae Berolinensis,* 93* ss.

A. Vermeersch S. I., *Prof. theol. mor. et scientiae soc. in Pont. Univ. Gregoriana,* 1* ss.; 5* ss.; 9*; 10*; 12* ss.; 81* ss.; 84* ss.; 88* ss.; 91*; 136*; 138* ss.; 140*; 142*; 143*; 144*; 146*; 147*; 42 ss.; 129; 144; 148 ss.; 211 ss.; 242 ss.; 255.

G. Vromant S. C. I. M., *Prof. iuris can.,* 108* ss.

I. Zeiger S. I., *Prof. iuris can. in Pont. Univ. Gregoriana,* 37* ss.

Summa Dissertationum, Quaestionum et Casuum

Dissertationes.

	Pag.
De Canone 1125 eiusque vi extensiva	1*
De virtute requisita in religioso laico	5*
Absolutio censurae data ex ignorantia personae cui reservabatur	15*
Nova matrimonii definitio?	37*
I. De diversis matrimonii elementis	42*
II. Natura amoris coniugalis	46*
III. De habitudine amoris coniugalis ad matrimonii essentiam	49*
IV. Conclusio	53*
De dolo et eius effectibus in admissione ad noviciatum et professione religiosa.	
I. De dolo eiusque effectibus	60*
II. De peculiari doli ratione in admissione in noviciatum et professione	65*
Conclusio	71*
III. De non nullis quaestionibus	72*
De interpretatione canonum 1990-1992 C. I. C. Actionem summariam de nullitate matrimonii esse processum iudicialem veri nominis demonstratur.	
I. Historia can. 1990	93*
II. Statutum can. 1990 et 1992	96*
III. Controversa quaestio	97*
IV. Actio iudicialis esse probatur	98*
V. Diluuntur difficultates	105*
VI. Conclusio	107*
De Dispensatione ab interpellationibus in ordine ad privilegium fidei. Applicationes practicae canonis 1125.	
I. De Constitutione Pauli III	108*
II. De Constitutione S. Pii V	111*
III. De Constitutione Gregorii XIII	115*
De simonia confidentiali in Codice Iur. Can.; deque requisitis in quovis delicto simoniae ex parte actus ad poenas canonicas incurrendas.	
I. Simonia confidentialis	118*
II. Requisita ex parte actus ad delicti simoniae poenas	121*
Quaestiones canonicae de ordinatione, domicilio, et incardinatione.	
I. De Ordinatione	125*
II. De Domicilio	130*
III. De Incardinatione	133*
Canon 542, 2° et dispensatio ab irregularitate	136*
De legali polygamia simultanea	138*

Quaesita varia.

Quaenam sint privatae, quaenam publicae paenitentiae	9*
Quaesitum de valido vel invalido matrimonio ob praesumptionem legalem	10*

Pag.

Quaesita varia de potestate Ordinarii loci seu Episcopi
I. De Canonico Assistente ut Caeremoniario 12*
II. De facultate Ordinarii delegandi benedictionem 14*
III. De dispensatione a ieiunio propter concursum populi 14*
Quot scholarum horae in cursu Theologico sint requisitae. 16*
Quaestiones de matrimonio.
I. Utrum annon conformes ad normam can. 1903 et 1987 dicendae sint duae sententiae de nullitate matrimonii latae, si eiusdem nullitas declarata fuerit ex diverso capite . 20*
II. Quomodo intelligenda sint verba : « *cum omnia sunt parata ad nuptias* », can. 1045 § 1°. 28*
Quaestiones de matrimonio.
I. Quinam dicendus in Ecclesia catholica baptizatus ad normam can. 1070, § 1° . . 74*
II. Quinam censeantur ab acatholicis nati ad normam can. 1099, §2, ideoque a canonica forma celebrationis matrimonii immunes. 77*
Pro quibusnam applicare missam liceat 81*
De Personae moralis exstinctione et resurrectione
I. De exstinctione personae moralis 84*
II. De resurrectione personae moralis 86*
De Aurora in Italia 87*
De honore liturgico Episcopi nominati 140*
De canone 1245 § 2 . . . . . 142*
De Calendario in Missionibus 143*
De religiosorum absentia secundum can. 606 § 2. . . . . . 144*
De comitando funere 146*

Casus.

Casus de Religiosis 36*
*Solutio casus de Religiosis propositi pag. 36** 90*
Casus de Missionibus 91*
*Solutio casus de Missionibus propositi pag. 31** 147*
Casus de medicis 148*

Index analyticus Monumentorum

SS. D. N. Pius Pp. XI.

Pag.

17. Bulla *Anno vertente* erectionis et regiminis Pont. Coll. Neerlandici Piani de Urbe (26 oct. 1930) 118
3. Epistola saeculo elapso a manifest. B. M. V. de nomismate prodigioso (22 nov. 1930) . 80
2. Sermo ad E.mos Patres Cardinales in pervigilio Nativ. D. N. I. C. (21 dec. 1930) . 68
Latina versio potiorum partium 76
1. Litt. enc. *Casti connubii*, de matrimonio christiano (31 dec. 1930) . . . . .
Annotationes. 42
19. Motu proprio *Apostolicae* de plumbeo sigillo Cancellariae Apostolicae innovando (18 ian. 1931) 128
Annotationes 129
16. Nuncium radiophonicum (12 febr. 1931) 113
18. Epistola Apostolica septimo exeunte saeculo ab Antonii Patavini obitu decretisque eidem sanctorum caelitum honoribus (1 mart. 1931). 120
36. Litt. enc. *Quadragesimo anno*, de ordine sociali instaurando (15 maii 1931) . . 165
Annotationes 211
48. Bulla *Deus scientiarum*, de universitatibus et facultatibus studiorum ecclesiasticorum. (24 maii 1931) 281
Annotationes 298

Acta summatim relata.

8. A. Breve de indulg. tradentibus discentibusque catechismum concessis (11 mart. 1930) 91
B. Bulla de circumscriptione nova dioecesium in Romania (5 iun. 1930) . . . 91
C. B. Catharina Thomas, Sancta (12 iun. 1930) 91
D. B. Lucia Filippini, Sancta (22 iun. 1930). 91
E. B. Theophilus a Curte, Sanctus (23 iun. 1930) 91
F. B. Ioannes de Brébeuf et Socii, Sancti (29 iun. 1930) 91
G. Litterae de Dioecesibus, Vicariatibus, Praefecturis Apostolicis et Missionibus . 92
H. Litterae de ecclesiis 93
28. A. B. Robertus Bellarminus, Sanctus (29 iun. 1930) 155
B. Breve de pronuntiatione B. V. Immaculatae sub titulo *Apparecida* principalis Brasiliae patrona (16 iul. 1930) 155
C. Breve declarans S. Ioannem de Deo et S. Camillum infirmariorum patronos (28 aug. 1930) 155
D. Litterae apostolicae de celebratione XV saeculi a Concilio Ephesino (25 dec. 1930) 155
E. Epistola ad E.mum C. Pompilj de quinquagesimo appetente natali sacerdotii eius (15 dec. 1930) 155
F. Bulla de nova dioecesium in Statu Borussico circumscriptione (13 aug. 1930) . . 156
G. Litterae de Dioecesibus, Vicariatibus, Praefecturis Apostolicis et Missionibus . 156
H. Litterae de Ecclesiis 156
42. A. Bulla de translatione sedis episcopalis (1 aug. 1930). 262
B. Breve declarans B. M. V. «*della Guardia*» oppidi Borghetto S. Spirito patronam (24 aug. 1930) 262
C. Breve de pronuntiatione B. M. V. sub titulo « *de Lujan* » principalis Argentinae Reipublicae patronae (8 sept. 1930) 262
D. Litterae de Dioecesibus, Vicariatibus, Praefecturis Apostolicis et Missionibus . 262
Litterae de Ecclesiis 262

S. C. S. Officii. *Pag.*

4. Decretum damnans Sac. Turmel eiusque opera proscribens (8 nov. 1930) . . . 82
5. Decretum quinque libros P. Roué proscribens (21 nov. 1930) 85
22. Decreta libros G. Dellhora et L. Dennefeld proscribentia (18 nov. et 16 dec. 1930) . 138
37. Decreta libros P. Lekeux et Van de Velde proscribentia (6-14 mart. 1931) . . . 240
Decretum methodum educationis sexualis et theoriam « eugenicam » damnans (21 mart. 1931) 241
Annotationes 242

S. C. Consistorialis.

Acta summatim relata
9. Decreta dismembrationis et unionis (28 mart.-23 mai 1930). 93

S. C. pro Ecclesia Orientali

Acta summatim relata.
10. Decretum de administratione Ordinariatus Canadensis (24 mai 1930) 93
29. Monita circa Sacerdotem Ioan. Boross et Patrem Dom. Cheruseri 156

S. C. de Sacramentis.

38. Instructio de scrutinio Ordinandorum (27 dec. 193). 245
Annotationes 255

S. C. Concilii.

6. Resolutio de Missa pro populo in festis suppressis (19-31 iul. 1930) 86
Annotatio 88
23. Responsum de distributione, in Italia, redituum intercalarium (20 nov. 1930) . . 140
Annotationes 140
39. Decretum de sacrarum campanarum usu (20 mart. 1931). 256
40. Resolutio de tributo pro administratione dioecesana (20 mart. 1931) 257
Annotationes 58

S. C. de Religiosis.

Acta summatim relata.
11. Approbationes Institutorum vel Constitutionum 93

S. C. de Prop. Fide

Acta summatim relata
30. I. Nominationes 157
II. Approbationes Statuti et Constitutionum 157

S. C. Rituum.

24. Responsum de usu Pontificalium, nominatim de colore pileoli (20 ian. 1660) . . 143
Annotatio 144
Acta summatim relata
12. Causae beatificationis et canonizationis (18 iun. 1930). 96
31. Causae beatificationis et canonizationis (10 dec. 1930) 157
43. Causae beatificationis et canonizationis (18 iun. 18 iul. 1930 et 8 febr. 1931). . . 263

S. C. Caeremonialis.

20. Decretum de titulo Excellentiae Reverendissimae (31 dec. 1930) 130
Annotationes 131
21. Decretum de sacris ritibus ab E.mis DD. PP. Cardinalibus Romae peragendis (2 dec. 1930) 131
Annotatio 133

S. C. de Sem. et Stud. Univ.

49. Ordinationes ad Const. Apos. « Deus scientiarum » de Universit. et facul. Studiorum ecclesiasticorum rite exsequendam (12 iun. 1931) 331

S. Poenit. Apost. *Pag.*

25. Decreta de indulgentiis:
I. Invocatio ad B. M. V. indulgentiis ditatur (20 nov. 1930) 145
II. Indul. plen. pro Divini Officii recitatione ad Moniales extenditur (5 dec. 1930) . 145
Annotatio. 146
26. Decretum de Marialis Rosarii recitatione apud Byzantinos Slavicos (31 ian. 1931) . 146
Annotatio. 147
45. Decretum circa indulgentias Viae Crucis ab infirmis iucrandis (25 mart. 1931) . . 260
Annotatio. 261

S. R. Rota.

Acta summatim relata
32. Tabulae synopticae causarum anno 1930 158

Pont. Com. Cod. Int.

27. I. Responsa de concessione indulgentiarum et de legitimatione prolis (6 dec. 1930) . 147
Annotationes 148
II. Responsa de ecclesiae consecratione, de substitutione chorali et de consultoribus dioecesanis (29 ian. 1931) 150
Annotationes 151

Pont. Com. pro Russia

Acta summatim relata
44. Approbationes Constitutionum 263

Dataria Apostolica.

7. Normae servandae ab Ordinariis in impetranda ab Apostolica Sede collatione beneficiorum (11 nov. 1930) 89
Annotationes 90

Secretaria Status.

Acta summatim relata
33. Notificatio de ambitu muneris Deleg. Ap. Constantinopolitani 159

Provisio Ecclesiarum.

13. Decretis S. C. Consistorialis 96
34. Decretis S. C. Consistorialis 160
45. I. Decretis S. C. Consistorialis 263
II. Decretis S. C. de Prop. Fide 264

Nominationes.

14. A. Brevibus Apostolicis 97
B. Decretis S. C. de Prof. Fide 97
46. A. Brevibus Apostolicis 264
B. Decretis S. C. de Prof. Fide 265

Necrologium.

15. 98
35. 161
47. 265

Bibliographia . . . . . 99. 162. 266.

MONUMENTORUM

INDEX CHRONOLOGICUS

N. B. *Loci in quibus monumenta* plene *exscripta reperiuntur, numeris* crassioribus *designantur: numeris* italicis *indicantur loci ubi quaedam ad verba allegantur.*

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numerus
1537	1 iun.	Constitutio	Paulus III	1*	
1545-1563		SS. XXIV	Conc. Trid.	*3. 7. 12. 13. 28. 41*	
»		SS. VI, c. 11	»	*18*	
»		SS. XXIV, c. 5	»	*27*	
»		SS. XXIV, c. 7	»	*28*	
1557	27 nov.	Constitutio	Paulus IV	118*	
1564	17 oct.	»	Pius IV	118*	
1569	1 iun.	»	S. Pius V	118*	
1571	2 aug.	»	S. Pius V	1*	
1585	26 ian.	»	Gregorius XIII	1*. 2*. 4*	
1634	2 nov.	Decretum	S. C. Rituum	89*	
1649	20 mart.	Declaratio	S. C. Concilii	151	
1653	31 mai.	Const. Apost.	Innocentius X	*19*	
1659	27 sept.	Decretum	C. S. Rituum	143. 144	
1660	20 ian.	Responsum	»	**143**	24
1679	2 mart.	Decretum	S. C. S. Officii	7	
»	2 mart.	Reprobatio	Innocentius XI	46	
1732	3 iun.	Litt. Decr.	Gregorius IX	*127*	
1741	29 aug.	Constitutio	Benedictus XIV	119*	
»	3 nov.	»	»	21*. 26*. 27*. 91*	
1756	15 febr.	Instructio	S. C. de Prop. Fide	113*	
1773	26 ian.	Decretum	Clemens XIV	260	
1789	11 iul.	Rescriptum	Pius VI	*11*	
1806	14 ian.	Declaratio	S. C. de Prop. Fide	46. 109*. 112*. 113*	
1818	10 apr.	Breve	Pius VII	88	
»	18 oct.	Responsum	S. C. Rituum	88	
1826	16 sept.	Declaratio	S. C. Concilii	151	
1836	8 iun.	Responsum	S. C. S. Officii	113*	
1848	26 aug.	»	S. C. Concilii	93*. 98*	
1855	4 iul.	»	S. C. S. Officii	113*	
1858	5 sept.	Declaratio	»	109*. 112*	
1866	29 aug.	Responsum	»	111*. 115*	
1869	12 oct.	Constitutio	Pius IX	121*	
1870		SS. III, c. 2	Conc. Vat.	*32*	
»		SS. III, c. 4	»	33	
1871	22 mart.	Responsum	S. C. S. Officii	111*. 115*	
»	22 nov.	»	»	113*. 114*	

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numerus
1875	7 apr.	Responsum	S. C. S. Officii	82*	
1878	28 dec.	Litt. Enc.	Leo XIII	166	
1879	4 iul.	Declaratio	S. C. Rituum	141*	
»	4 aug.	Litt. Enc.	Leo XIII	318	
1880	10 feb.	»	»	2. 9. 25. 29. 30. 34. 40. 44. 165.	
1881	29 iun.	»	»	165. 200	
1882	29 nov.	Responsum	S. C. S. Officii	116*	
1884	31 mai.	Decretum	»	19	
1885	1 nov.	Litt. Enc.	Leo XIII	165. 191	
1886	23 iun.	Breve	»	155	28 c
1888	20 »	Litt. Enc.	»	166	
1889	5 »	Decretum	S. C. S. Officii	94*. 95*. 96*	
1890	10 ian.	Litt. Enc.	Leo XIII	166	
1891	15 mai.	»	»	4. 38. 167. 168. 169. 172. 173. 174. 179. 180. 181. 182. 183. 185. 191. 203.	
1892	7 iul.	Responsum	S. C. S. Officii	83*	
»	27 »	»	»	83*	
1894	14 feb.	»	»	95*	
»	20 iun.	Litt. Apost.	Leo XIII	170	
1895	2 mai.	Epistola	»	122	
»	24 iul.	Decretum	S. C. S. Officii	19	
1896	10 iun.	»	»	95*. 105*	
1898	4 mai.	»	»	19. 59	
1901	18 ian.	Litt. Enc.	Leo XIII	170	
»	27 mart.	Decretum	S. C. S. Officii	95*	
1902	30 mai.	Decreta	S. C. Caerem.	132	
1903	22 nov.	Motu proprio	Pius X	292	
»	8 dec.	»	»	170	
1904	23 feb.	Litt. Apost.	»	293	
1907	2 aug.	Decretum	S. C. Concilii	117*	
1908	25 mai.	»	S. C. S. Officii	82	
1909	5 iul.	»	»	82. 83	
1910	7 mart.	»	»	83	
»	12, 13 mart.	Responsum	S. C. de Sacram.	148	
»	22 april.	Decretum	S. C. Rituum	144*	
»	2 mai.	»	S. C. Caerem.	141*	
»	3 oct.	Declaratio	S. C. Consist.	153	
1911	1 ian.	Decretum	S. C. de Relig.	91*	
»	2 »	»	S. C. S. Officii	83	
1912	1 febr.	Declaratio	S. C. de Relig.	91*	
»	21 iun.	Decretum	S. C. S. Officii	95*	
»	24 sept.	Litt. Enc.	Pius X	175. 212. 234	
1913	28 oct.	Decretum	S. C. Rituum	143*	
1914	1 nov.	Litt. Enc.	Benedictus XV	170	
»	20 dec.	Decretum	S. C. Concilii	212	
1915	20 mart.	Rescriptum	S. C. Rituum	144*	
1916	3 apr.; 3 iun.	Responsa	S. Poen. Ap.	17. 56	
1918	17 febr.	Responsum	P. Com. C. Int.	86	
»	22 mart.	Decretum	S. C. S. Officii	289. 294. 315	
1919	17 aug.	Responsum	P. Com. C. Int.	126*. 129*	
»	16 oct.	Interpretatio	»	97*. 104*. 105*	
»	28 dec.	Decretum	S. C. Concilii	86	
1920	25 iul.	Instructio	S. C. de Prop. Fide	117*	
1921	21 mart.	Responsum	P. Com. C. Int.	29*	
1922	1 apr.	»	S. C. S. Officii	76	

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numerus
1922	22 nov.	Decretum	S. C. S. Officii	17	
»	23 dec.	Litt. Enc.	Pius XI	170. 177. 178. 208.	
1923	22 mai.	Declaratio	P. Com. C. Int.	103*	
»	29 iun.	Litt. Enc.	Pius XI	318	
1924	27 apr.	Motu Proprio	»	90	
1926	30 »	Litt. Enc.	»	170	
»	16 mai.	Allocutio	»	*180*	
1928	20 dec.	Constitutio	»	292	
1929	1 mart.	Bulla	»	92	
»	12 »	Responsum	P. Com. C. Int.	15*. 143*	
»	5 iun.	Epistola	S. C. Concilii	176. 213. 215	
»	20 »	Instructio	»	257. 258	
»	20 iul.	Declaratio	P. Com. C. Int.	78*	
»	31 »	Responsum	S. C. Rituum	144	
»	3 aug.	Sententia	Signatura Apost.	99*	
»	1 dec.	Decreta	S. C. de Relig.	93.94	11
»	4 »	Breve	Pius XI	92	
»	20 »	Litt. Enc.	»	210	
»	21 »	Breve	»	93	
»	31 »	Litt. Enc.	»	6. *37*. 201	
1930	10 ian.	Breve	»	92	
»	11 »	»	»	92	
»	23 »	Sententia	S. C. S. Officii	83	
»	25 »	Brevia	Pius XI	92	
»	27 »	Decreta	S. C. de Relig.	94	11
»	14 febr.	Breve	Pius XI	92	
»	17 »	»	»	93	
»	17 »	Responsum	P. Com. C. Int.	78*. 80*	
»	19 »	Breve	Pius XI	92	
»	3 mart.	Decreta	S. C. de Relig.	94	11
»	11 »	Breve	Pius XI	91	8A
»	12 »	Decretum	S. C. de Relig.	94	11
»	25 »	»	S. C. de Prop. Fide	*157*	
»	28 »	»	S. C. Consist.	93	9
»	30 »	Brevia	Pius XI	92. 156.	
»	1 apr.	Breve	»	93	
»	20 »	Litt. Enc.	»	4	
»	29 »	Responsum	S. Poen. Apost.	146. 147	
»	7 mai.	Decretum	S. C. de Prop. Fide	*157*	
»	12 »	Decreta	S. C. de Relig.	94. 95	11
»	15 »	Decretum	S. C. de Prop. Fide	*157*	
»	17 »	Breve	Pius XI	93	
»	21 »	»	»	93	
»	23 »	Decretum	S. C. Consist.	93	9
»	24 »	»	S. C. pro Eccl. Orient.	93	10
»	31 »	Brevia	Pius XI	92. *156*	
»	5 iun.	Bulla	»	*91*	8B
»	12 »	»	»	*91*	8C
»	18 »	Decreta	S. C. Rituum	96. *263*	12
»	22 »	Bulla	Pius XI	*91*	8D
»	28 »	Breve	»	*156*	
»	29 »	Bulla	»	*155*	28A
»	29 »	Bullae	»	*91*	8E, F
»	30 »	Brevia	»	*262*	42

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numerus
1930	7 iul.	Breve	Pius XI	*156*	
»	12 »	Decreta	S. C. de Relig.	95	11
»	14 »	Breve	Pius XI	*262*	42
»	16 »	»	»	*155*	28B
»	18 »	Decretum	S. C. Rituum	*263*	43
«	19-31 »	Resolutiones	S. C. Concilii	**86**	6
»	23 »	Brevia	Pius XI	*156*	
»	1 aug.	Bulla	»	*262*	42A
»	13 »	»	»	*156*	28F
»	24 »	Breve	»	*262*	42B
»	28 »	»	»	*155*	28C
»	8 sept.	»	»	*262*	42C
»	15 »	»	»	*262*	42
»	7 oct.	»	»	*262*	42
»	23 »	Decretum	S. Poen. Apost.	145	
»	26 »	Bulla	Pius XI	**188**	17
»	28 »	Decreta	S. C. de Prop. Fide	*157*	30B
»	8 nov.	Decretum	S. C. S. Officii	**82**	4
»	11 »	Normae	Datar. Ap.	**89**	7
»	12 »	Decretum	S. C. de Prop. Fide	*157*	30B
»	15 »	Breve	Pius XI	*262*	42
»	20 »	»	»	*157*	30A
»	20 »	Responsum	S. C. Concilii	**140. 143**	23
»	20 nov.-5 dec.	Decreta	S. Poen. Apost.	**145**	25
»	21 nov.	Decretum	S. C. S. Officii	**85**	5
»	22 »	Epistola	Pius XI	**80**	3
»	28 »	Decretum	S. C. S. Officii	**138**	22
»	2 dec.	»	S. C. Caerem.	**131**	21
»	6 »	Responsum	P. Com. C. Int.	**147**	27
»	8 »	Decretum	P. Com. pro Russia	*263*	44
»	10 »	Decreta	S. C. Rituum	*157. 158*	31
»	15 »	Epistola	Pius XI	*155*	28E
»	16 »	Decretum	S. C. S. Officii	**139**	22
»	24 »	Sermo	Pius XI	**68**	2
»	25 »	Litt. Apost.	»	*155*	28D
»	27 »	Instructio	S. C. de Sacram.	**245**	38
»	31 »	Litt. Enc.	Pius XI	**47*. 1. 110*. 138*. 186. 242**	1
»	31 »	Decretum	S. C. Caerem.	**130**	20
1931	18 ian.	Motu proprio	Pius XI	**128**	19
»	29 »	Responsum	P. Com. C. Int.	**150**	27
»	31 »	Decretum	S. Poen. Apost.	**146**	26
»	8 febr.	»	S. C. Rituum	*263*	43
»	12 »	Nuncium rad.	Pius XI	**113**	16
»	1 mart.	Epist. Apost.	»	**120**	18
»	6 »	Decretum	S. C. S. Officii	**240**	37
»	14 »	»	»	**240**	37
»	20 »	»	S. C. Concilii	**256**	39
»	20 »	Responsum	»	**257**	40
»	21 »	Decretum	S. C. S. Officii	**241. 244**	37
»	25 »	»	S. Poen. Apost.	**260**	41
»	15 mai.	Litt. Enc.	Pius XI	**165**	36
»	24 »	Bulla	»	**282. 313**	48
»	12 iun.	Ordinationes	S. C. de Sem. et St. Un.	**313**	49

INDEX ONOMASTICUS

Numeri seriem paginarum indicant; asteriscus paginas prioris Partis significat.

Aertnijs-Damen C. SS. R. De subiecto applicationis Missae, 82*.

Carolus Alter. Episcopus Toletanus in America, 264.

d' Annibale, Card. Pro quibusnam missam applicare liceat, 81*.

Annuario Pontificio. Praelati « a flocculis », 131.

Silvio Antoniano. De christiana educatione, 243.

Archiv für kath Kirchenrecht. Resolutio S. C. Conc. 26 aug. 1848, De processu matrimoniali, 93*.

G. Arendt S. I. Praesumptio can. 1070 § 2 et 1014, 11*. 12*.

Badii. De dolo, 65*. 68*.

Ballerini-Palmieri S. I. Requisita ad poenas simoniae, 121* nota.

S. Rob. Bellarminus, Card. S. I. Matrimonii sacramentum permanens, 35. 66. — Sanctorum fastis accensetur, 155.

Ferdinandus Bernardi. Episcopus Andriensis, 264.

Bernhard Bartmann. Opus, 105.

Clem. Vict. Bastnagel. Opus, 100.

Fernand Beaudhuin. Opus, 104.

Arnoldo Bertola. Opus, 106.

M. Beth. Nova matrimonii notio, 38*, nota.

Vincentius Bianchi-Cagliesi. Protonotarius Ap. 298.

Bidagor S. I. De dolo in religione, Quaestiones, 60*-73*. — Annotationes in resol. S. C. Conc. de tributo pro administratione dioecesana, 258-260.

Fr. Bini. Ill. Ep. Vic. Ap. de Kartum 157, episc. Vallitànus, 160.

Caietanus Bisleti, Card. Praefectus S. C. de Seminariis et Studiorum Universitatibus, 298. — Dirigens novam studiorum ecclesiasticorum ordinationem, 312. 329.

Robertus Bompiani. Scribens de eugenica, 245.

Bonaventura a S. Ioseph. Episcopus Vijayapuramensis, 264.

Antonius Bonnici. Praeses Pont. Op. a Prop. Fidei in Melita insula, 265.

Ioannes Boross irregulariter extra suam dioecesim, 156.

B. Ioann. Bosco. Causa reassumpta, 263.

Paulus Bouque. Praef. Ap. de Foumban, 157.

Car. Boyer S. I. Annotationes in Bullam et Decr. S. C. quibus studia Universitatum et Fac. eccl. ordinantur, 298-312.

Broej-Plater Leo. Opus, 99.

Brugi. De fine matrimonii, 40*.

I. Bruno. Secr. S. C. Concilii, 88. 140. 257. — Secret. Commissionis Codici interpretando, 148. 151.

Buchow-Homeyer. Nova Matrimonii notio, 38* nota.

Bertholdus Bühl O. F. M. Ep.us Cartenensis, 160. Vic. Apost. de Chiquitos, 264.

Bulgariae rex. Eius matrimonium, 75. 79.

Paul Bureau, de remissiore actione confessariorum, 54, nota.

Cappello S. I. Vis can. 1125, 3*. — Quaenam sententiae dicendae conformes, 20*-26*. — Quid « omnia parata ad nuptias », 28*-35*. — Quinam dicendi baptizati in Ecclesia catholica, 74*-76*; ab acatholicis nati, 77*-79*. — De distributione redituum intercalarium, 143. — De resp. P. Commissionis Codici interpretando, 150-154. — De facult. presb. S. Iesu in missionibus, 117*

nota. — De obligatione sacerdotis redeundi in propriam dioecesim, 135* nota. — De acquisitione domicilii in aliena dioecesi ex intentione sacerdotis, 134* nota. — De Ep.° proprio ordinationis, 125*-130*. — Quid si domicilium videatur servatum in dioecesi unde clericus excardinatur, 130*-133*. — De iure Ep.i revocandi sacerdotem in suam dioecesim, 133*-136*.

Enc. *Casti Conubii*. De amore coniugali, 48*. — De polygamis, 110* nota. De eugenica, 244.

Caviglioli. De Simonia in Codice, 121* nota.

Cerato. De Simonia in Codice, 121* nota.

Chelodi. De Simonia confidentiali, 118* nota. — De Simoniae poenis in Codice, 122*.

Dominicus Cheruseri. Dimissus a Cong. Syromalabarensi F. F. Carmel. Tertii Ordinis, sine licentia quaerendi eleemosynas, duplici utens directione pro suo domicilio, 156.

Aston Chichester, Vicarius Apost. de Salisbury, 264.

Claeys Boúúaert-Simenon. Simonia punita in Codice, 122*.

Pont. Commissio Codici interpretando. *Responsa*. Can. 111, § 2. De Ep.o ordinationis, 126*. — Can. 323. De ecclesiae consecratione, 150. — Can. 349 § 2 n. 2. De indulgentiis quas Ep. concedat religiosis exemptis vel in eorum ecclesis, 147. — Can. 419. De substitutione chorali, 150. — Can. 423. De Consultoribus dioecesanis, 151. — Can. 969 § 2. De Ep.o ordinationis, 126*. — Can. 1116. De legitimatione prolis, 148. — Can. 1245, § 2. De requisito concursu populi, 15*. 143*. — Can. 1990. Quandonam nullus processus iudicialis requiratur, 104*-105*.

Aug. Comte. Inventor sociologiae, 214 nota.

Nicolaus Concetti O. E. S. A. Opus, 103.

SS. Congregationes Romanae.

— *Caeremonialis*, 31 dec. 1930. De titulo « Excellentiae » 130. — Decr. 2 dec. 1930. De sacris ritibus ab Em. RR. PP. Cardinalibus Romae peragendis, 131. — Decr. 2 maii 1910 permittens ep.o nominato usum pileoli violacei, 141*.

— *Concilii*, Resolutio 19-31 iul. 1930, de missa pro populo in festis suppressis, 86-88. — Resolutio 20 nov. 1930, de distributione in Italia redituum intercalarium, 140. — Resolutio 26 aug. 1848, de vi C. Ben. XIV « Dei miseratione » 93*-98*. — Decr. 20 dec. 1914, De Sindacalismo, 212 nota. — Litt. 5 iun. 1929 ius Ecclesiae vindicans in quaest. socialem, 213. — Decr. 20 mart. 1931, De sacrarum campanarum usu, 256. — Resolutio 20 mart. 1931, De tributo pro administratione dioecesana, 257. — Litt. circul. 20 iun. 1929 praecipientes erectionem in Italia Officii dioecesani pro admin. temporali, 258.

— *de Prop. Fide*. Decl. 14 ian. 1806, De neophytis polygamis, 46. 109*. 112*. — Instr. 15 feb. 1756 et resp. 14 ian. 1806 ad 1, De necessitate interpellationis, 113*. — Instr. 25 iul. 1920, ad 7, quinam parochi vel quasi tales in missionibus, 117* nota.

— *S. Officii*, damnans Turmel eiusque opera, 82-85. — damnans opera Roué, 85. — De iis quibus missa applicari licite possit, 82*. — damnans libros 138. 139. — 5 iun. 1889, 14 feb. 1894, et 27 mart. 1901, De summario processu nullitatis matrimonii, 94*. 95.* — Resp. 21 iun. 1912, De nullitate dispensationis sine cautelis promissis, 95*. 96*. — Decr. 10 iun. 1896, De declarando impedimento disparitatis cultus, 105*-107*. — Decl. 5 sept. 1858, extendens ad polyandriam concessionem de polygamia, 109*. 112*, nota. — Decl. 29 aug. 1866; 26 mart. 1871, De dispensatione ex facultatibus de P. F. 111*, nota. — Resp. 8 iun. 1836, urgens interpellationem, 113*; 4 iul. 1855 et 22 nov. 1871. De necessitate interpellationis, 113*. 114* nota. — Resp. 29 aug. 1866; 22 mart. 1871: Necessitas

recursus ad S. Sedem pro dispens. a disparitate cultus, 115*. — Resp. 29 nov. 1822 ad 1, De impossibili interpellatione, 116*. — damnans opus P. Lekeux, Th. Van de Velde, 240. 241. — Decr. 21 mart. 1931, De educatione sexuali et de « eugenica », 241. — Decr. 22 mart. 1918, De abiurando modernismo, 315.

— *Rituum*. Resp. 20 ian. 1660, De colore pileoli, 143. — Decr. 28 oct. 1913, supprimens privilegia sequendi calendarium cuiusdam Instituti religiosi, 143*. — Decr. 22 mart. 1910 temperans praecedens, 144*. — Rescriptum 31 mart. 1915 excipiens ecc.am cathedralem, 144*.

— *de Sacramentis*. Instr. 27 dec. 1930, De scrutinio ordinandorum, 245-255.

B. Conradi a Parzam O. M. Cap. Causa reassumpta, 158.

Edw. James Conran. Opus, 101.

M. John Costello. Opus, 101.

Chelodi. Praesumptio can. 1070 § 2 et 1014, 11* nota.

Ioseph Cogoni. Ep.us Nuorensis, 160.

Iulianus Conan. Archiep. Seleuciensis in Isauria, 160.

Cornaggia Medici. De fine matrimonii, 40*.

Creusen S. I. Vis retroactiva praesumptionum, 11*. — Quid scholae privatae supplentes publicas in studiis sacris, 17*. — Quid annus studiorum, 19*.

Dataria Ap.ca. Normae 11 nov. 1930, servandae Ordinariis in impetranda collatione beneficiorum a S. Sede, 89. 90.

S. De Angelis. Substitutus Secr. S. Poenitentiariae, 147.

H. Dehmel. Nova matrimonii notio, 38*.

Vinc. del Giudice. Opus, 100.

Aloysius Dell'Aversana. Ep.us Venusinus cum cathedr. Melphiensi et Rapollensi ad personam unitis, 263.

Franciscus De Filippis. Ep.us Verulanus, 264.

De Herdt. De coadiutore canonici, 151 nota.

Guilliermo Delhora. Liber proscriptus, 138.

A. De Meester. De Simoniae poenis in Codice, 121* nota.

Ludovicus Dennefeld. Liber et articulus proscripti, 139. Bene dispositus, 139 nota.

P. De Preter C. I. C. M. Opus, 103.

Aldeus Desmarais. Ep.us Ruspensis, 160.

De Smet. Praesumptio can. 1070 § 2 et 1014, 11* nota. — Quid, omnia parata ad nuptias, 29*, nota. — De usu facultatum S. C. de P. F., 111*, nota. — De legitime omissa interpellatione, 112* nota. Vel non, 113* nota.

G. Doyle. Opus, 105.

Henricus Dutoit. Ep.us Atrebatensis, 160.

Emilio Faggioli. Opus, 102.

A. William Ferry. Opus, 101.

Ven. S. D. Contardus Ferrini. Decretum de virtutibus, 263.

B. I. Fischer Card. Causa reassumpta, 263.

Andreas Frühwirth O. P. Card. et Cancellarius S. R. E., 298. De innovando plumbeo sigillo Cancellariae, 129.

Aloysius Fantozzi. Arch. Darensis, 160.

M. Fossati. Archiep. Taurinensis. 160.

Gasparri Card. « Omnia parata ad nuptias » 32* nota. — Praeses Pont. Commiss. interpretando Codici, 148. 151. — De successiva polygamia, 109*. — De Ep.o ordinante, 127* nota.

Franc. Gonzales. Ep.us Cuernavacensis, 263.

B. Ioannes Grande, Ord. Hosp. S. Ioann. de Deo. Causa reassumpta, 157.

Conradus Gröber. Ep.us Misnensis, 160.

de Guibert S. I. Opus, 106.

Georges Guitton S. I. Opus, 104.

Georgius Ioseph Haezaert, Praef. Apost. de Katanga septemtrionali, 265.

R. P. **Emmanuel Hainisch.** Praef. Ap. de Umtata, 157.

Hochland. De nova matrimonii ratione, 54, nota.

Em. Hölscher. Opus, 99.

G. Hoornaert S. I. Opus, 105.

Victor Hostachy M. S. Opus, 104.

Gaspar Hu. Praefect. Apost. de Lintsing, 265.

Aloisius Hudal. Membrum Consilii Sup. Pont. Op. a Prop. Fidei pro Austria, 265.

Iosephus Hurault. Ep.us Nanceyensis.
S. D. I. Bapt. a S. Michaële Arch., C. Passionistarum. Causae introductio, 158.
D. Jorio. Secretarius S. C. de Sacramentis, 252.
Il Diritto Ecclesiastico. De dolo, 65*.
Jombart S. I. De absolutione censurae, 15*. 16*. — Quot horae scholarum requiruntur in cursu Theologiae, 16*-20*.
H. von Keyserling. Nova matrimonii notio, 38*, nota.
Ioseph Klemann. Vicarius Apost. Magni Namaqualand, 264.
Konings C. SS. R. Dimissae a trib. civili mulieres censentur derelictae,109*.112*.
Michael N. Kremer. Opus, 101.
Laros. De nova matrimonii ratione, 54, nota.
La Taille S. I. Relatio inter gratiam sanctificantem et actuales gratias sacramentales, 50 nota.
L. Lauri. Card. Poenitentiarius Maior, 146. 261.
M. Lega, Card. Praefectus S. C. de Sacramentis, 252.
Lehmkuhl S. I. De subiecto applicationis missae, 82*.
M. Lekeux F. M. C. Opus damnatum, 240.
Liberatore S. I. De obiectiva valoris mensura, 238.
Lindsey. Nova matrimonii notio, 38*.
R. P. **Leo Louillet.** Praef. Ap. de Katanga septemtrionali, 157.
Alexius Lépicier, Card. Opus, 103.
M. A. Louvet. Opus, 105.
Lugo, Card. Virtus requisita in religioso, 5* nota. — De naturali iure dominii privati, 220.
Chrysanthus Luque. Ep.us Croënsis, 160.
S. Luzio. Regens S. Paenitentiariae, 147.
Gaudentius Mannelli. Episcopus Aquilanus, 264.
*** *Manuel de la J. O. C.*, 104.
Marc-Gestermann C. SS. R. De cooperatione abutenti matrimonio, 56. — De Simonia confidentiali, 118* nota. — De Simonia in Codice, 121* nota.
Archangelus Masotti O. F. M. Episcop. Turritanus, 264.
Mathias a S. Laurentio. Vicarius Apost. de Bluefields, 264.
Matthaeus Conte a Coronata O. M. C. Opus, 100. — Quisnam invitat ad funera, 146*.
Vincenzo Miceli. De fine matrimonii et Cod. civ. italici, 40*.
Monitore Ecclesiastico. Ordinatio seminariorum Italiae, 18*, nota. — Quid « omnia parata ad nuptias » 28*. — De subiecto applicationis Missae, 82*.
B. Thomas More. Causa reassumpta, 263.
Ed. de Moreau S. I. Opus, 103.
Mich. Mostaza S. I. De simonia confidentiali et simoniae poenis, 118*-125*.
B. Nardone. Secretarius S. C. Caeremonialis, 131. 132.
Noldin S. I. Simonia punita in Codice, 122*.
Ojetti S. I. De exstinctione personae moralis, 85*. — De Ep. ordinationis, 129* nota.
Iulianus Nowowiejski. Archiep. Silyensis, 160.
William H. O' Neill. Opus, 101.
*** *Ordo divini Officii pro 1931,* 106.
Albertus Ordonez. Ep.us Bolivarensis, 160.
Osservatore Romano referens et dividens encycl. litteras *Quadragesimo anno,* 165. — commentans decretum de educatione sexuali et de eugenica, 243.
Iosephus O' Sullivan. Ep. Carolinaepolitanus, 263.
S. Paenitentiaria Ap. Decreta 20 nov., 5 dec. 1930, De indulgentiis, 145. — 31 ian. 1931, De Marialis Rosarii recitatione apud Byzantinos Slavicos, 146. — Decr. 25 mart. 1931, levans condiciones viae crucis pro infirmis, 260.
Theodorus Pallaroni. Episcopus Sarsinatensis, 264.
Caietanus Pasotti. Superior Eccl. missionis de Rajaburi, 265.
Payen S. I. Vis universalis can. 1125, 3*, 4. — De polygamis, 110* nota. — De usu

facultatum Ordinariorum, 111* nota. — De legitime omissa interpellatione, 112* nota.

*** *Periodica de re morali*, etc. Quinam Ordinarii, 117*.

*** *Periodica responsa et quaestiones de Tatung*. De legitime omissa interpellatione, 112* nota.

Alexius Petrani. Opus, 102.

Pighi. De Simonia in Codice, 121* nota.

Granito Pignatelli di Belmonte, Card. Praef. S. C. Caeremonialis, 131. 132.

Pistocchi. Simonia punita in Codice, 122*.

Pius IX. Requisita ad poenas simoniae, ex C. *Apostolicae Sedis*, 12 oct. 1869, 121*.

Pius X primus voce syndicatus utens, 212 nota. — De syndicatibus mixtis, 234. — Actione contra modernistas promovens studia, 299.

SS. D. **Pius XI,** pastoralis de re sociali sollicitudo, 170 et 165-211. — De paedagogia christiana, 201. — Studens paci, 208*. — Commendans exercitia spiritualia, 210. — De mutabili proprietatis regimine, 219. — De syndicatibus mixtis, 234. — Enc. 29 iun. 1923, *Studiorum Ducem*, De S. Thoma, 318.

Pompilj, Card. Honoratus litteris ap.cis de Concilio Ephesino, 155, D.

Pruemmer O. P. Vis can. 1125, 3*. — De subiecto applicationis Missae, 82*. — De simonia confidentiali, 118* nota.

Putzer C. SS. R. Mulieres dimissae a trib. civili sunt etiam derelictae, 109*. 112*.

Petrus Rayappa. Episcopus Kumbakonamensis, 264.

Nouvelle Reuve théologique. Quid annus studiorum, 19,* nota. — De anglicano conventu in Lambeth, 54 nota.

Rivista internazionale di filosofia del diritto. De art. 107 Cod. civ. ital. et fine matrimonii, 40* nota.

Roberti. Quaenam sententiae dicantur conformes, 25* nota.

G. Robinot Marcy S. I. Opus, 104.

Rosmini. De maritali animorum unione 46*.

Paulus Roué. Opera proscripta, 85.

Augustinus Roy. Episc. Citharirenus, 160.

Ernestus Ruffini. Secretarius S. Cong. de Seminariis et Studiorum Universitatibus, 312. — Praesidens active coetui consultorum de ordinandis studiis ecclesiasticis, 312. 329.

Franciscus Sans Pascual. Praefect. Apost. de Chocó, 265.

Ioseph Belisarius Santistevan. Archiep. Synnadensis, 160.

Schönegger, S. I. Simonia punita in Codice, 122*.

Schwalm O. P. Definiens ius dominii, 218.

I. Serafini, Card. Praefectus S. C. Concilii, 140. 257.

Sever. Dispensans a polygamia, 140*.

Signatura Ap.ca. Litt. circulares 3 aug. 1929, De sententiis declarantibus nullitatem matrimonii, 99*.

Sinense Conc. primum, 113* nota.

Sole. De Simonia confidentiali, 118* nota — Simonia punita in Codice, 122*.

Cyprianus Spitoni. Opus, 106.

A. Subrizi. Notarius S. C. S. Officii, 85. 130. 240. 241.

Caelestinus Suhard. Arch. Rhemensis, 160.

I. Teodori. Secretarius S. Paenitentiariae, 146. 261.

B. **Teresia Marg. Redi** Carmel. excalc. Causa reassumpta, 157.

Fr. Ter Haar C. SS. R. Opus, 99.

P. Ioseph Ternes S. I. Opus, 100.

S. Thomas. Felicior vitae cursus utilis ad virtutem, 188. — Definiens ordinem, 190. — De origine dominii privati, 220

Ioannes Tihen. Ep. Bosanensis, 160.

A. Triebs. Praesumptio can. 1070 § 2 et 1014, 11* nota — De actione summaria de nullitate matrimonii, 93*-107*. — Quaenam impedimenta publica, 100*. — De natura matrimonii civilis, 105*. — Ep.us delegans processum summarium matrimonialem, 107*.

Gulielmus Tritschler. Ep. S. Ludovici Potosiensis, 263.

Turmel. Excommunicatus vitandus et degradatus, 82. — Varia opera damnata, 83. 84.

Ubach S. I. De subiecto applicationis, Missae, 83*.
Umberg I. A. S. I. Opus, 100.
Union internationale d'études sociales. Vulgans opus: *La Hiérarchie sociale et le Problème social depuis l'Encyclique,* 170 nota. 210 nota.
Raphael Vallejo Macoutez, Praeses Pont. Op. a Prop. Fidei in ditione Mexicana, 265.
I. G. Van Cauwenbergh. Ep. Synaütanus, 160.
Van de Velde. Opus de « perfecto » matrimonio, 66. Damnatur, 240.
A. Van Hove, De legibus eccl. 113* nota.
Ioseph Venturi. Episcop. Theatinus, 264.
Urbanus Ioannes Vehr. Episcopus Denveriensis, 264.
Fr. Verdier, Card. Honoratus epist. SS. D. ob saeculum elapsum a manifestatione B. M. V. de nomismate prodigioso, 80. — Eius Institutum laudatur, 80.
Vermeersch S. I. De congressu anglicano in Lambeth, 54. — De cooperante abutenti matrimonio, 56. — De praecavenda candidati simulatione, aut dissimulatione, 71*. — De dolo, 71*. — De subiecto applicationis Missae, 81*-84*. — De personae moralis exstinctione et resurrectione, 84*-88*. — De aurora in Italia, 88*-90*. — De responsis Pont. Comm. Codici interpretando, 147-150. — De extensione can. 1125. 108*. — De poena simoniae in Codice, 121* nota. — Dispensatio pro ingressu valetne pro ordinatione 136*. 137*. — De legali polygamia simultanea in Austria, 138*-140*. — Liturgicus honor Ep.i nominati, 140*-142*. — De can. 1245 § 2 142*. 143*. — De calendario in missionibus, 143* (retractandum). — De aestimatione absentiae religiosi, 144*. 145*. — De comitando funere, 146*. 147*. — Impugnans osores definitionis romanae de iure proprietatis, 217. — Scribens contra novatores catholicos in re sociali, 217. 219. — Annotationes in Enc. *Casti Conubii,* 42-68. In Enc. *Quadragesimo anno,* 211-239. — Annotationes in Instr. de scrutinio ordinandorum, 255. 256.
Vermeersch-Creusen S. I. De polygamis, 110.* 112* nota. — De Simonia confidentiali, 118* nota. — De Ep.o ordinationis, 128* nota.
Marius Vianello. Episcopus Fidentinus, 264.
Cam. Viglino. De fine matrimonii, 40*.
F. Viollet. Opus, 104.
Pasquale Vito. Opus, 102.
Iosephus Vogt. Ep.us Aquisgranensis, 263.
Vromant C. I. M. C. applicatio can. 1125, 108*-117*.
Franciscus Wal. Ep.us Thesiensis, 160.
Wernz S. I. De processu summario, 99*. — Unde simonia confidentialis, 118*.
Wernz-Vidal. S. I. Vis can. 1125, 3*. — Praesumptio can. 1070 § 2 et 1014, 11* nota. — Quaenam sententiae sint vere conformes, 25*, nota. — De dolo, 72* — De legitime omissa interpellatione, 111* nota; 112* nota — De Ep.o ordinationis, 128* nota. — De beneficio requisito pro incardinatione, 135* nota.
Iosephus Wilpert. Decanus Colleg. Proton. Apost. 298.
Ivo Zeiger S. I. De nova definitione matrimonii, 37*-59*.

MONUMENTORUM ET RERUM

INDEX ALPHABETICUS

Numeri = numeri paginarum

Asteriscus paginas prioris Partis designat

Linea interducta (—) = vocabulum in principio positum.

Abbas *nullius* (non Ep.us) valide ecclesiam non consecrat extra territorium, 150. 151.

Abortus directi reprobatio, 19. 20. 58. Reicitur excusatio de periculo matris, 19; de ratione eugenica, 20. 21. 60.— Quaenam partus acceleratio permitti potest, 59. 60.

Absentia religiosorum secundum can. 606 § 2, 144*. 145*.

Absolutio censurae ex ignorantia personae cui reservabatur, 15*.

Abstinentia dispensata ob concursum incolarum, 14*.

Acatholici. Quinam censentur ab *acatholicis* nati, 79*-81*.

Actio catholica appellanda in christiana matrimonii renovatione, 33. 34. 65. — Hortatio SS. D. ad iuvenes actionis cath. ut discant a S. Antonio, 127. — Eius partes in instaurando corpore sociali, 194.

Aetatis impedimentum obstat legitimationi per subsequens parentum matrimonii, 148-150.

Africae Delegatio Ap.ca, 92, 3.

Agricolarum et mediae condicionis hominum consociationes probantur, 175. 215.

Amicitia *libidinosa* reprobatur, 16. 62.

Amor *coniugalis* estne matrimonio essentialis? Amoris istius natura. Relatio ad essentiam, 42*-54*. — Vinculum iuridicum requiritur praeter amorem, 45*.

Anni 1930 quae Pontifex laeta, 68. 69; quae tristia habeat, 69. 70. 71.

S. Antonius Patavinus. Epistola Ap.ca de eo, 1 mart. 1931, 120-128. — Eius repudiatio rerum saecularium, 122. 123; castitas victrix et superna gaudia, 123; humilitas coniuncta cum animi vigore, 124; studium paupertatis, abnegationis, orationis, solitudinis, 124. 125; zelus apostolicus, 125, 126.

Aurora in Italia, 88*-90*.

Austria. Polygamia legalis simultanea, 138*-140*.

Baptizatus *in Ecc.a cath.*, quinam, 74*-77*.

Basilicae Minores, 93-156.

Beatificationis et Canonizationis Causae, 96. 157. 158. 263.

Benedicti XV Enc. *Ad Beatissimi*, 1 nov. 1914 de re sociali, 170.

Benedictio Ap.ca cum plenaria indulgentia conceditur Card. Pompili, 50 annos sacerdotis celebraturo, 155.

Benedictio sollemnis cum Sanctissimo, ad quam invitetur Cardinalis, 136.

Benedictiones reservatae possuntne ab Ordinario habitualiter delegari, 14*.

Beneficiorum *reservatorum* collatio. Normae Datariae, 11 nov. 1930, 89. 90. — Beneficii reditus intercalares in Italia distribuuntur secundum annum civi-

lem, 140. — Quodnam incardinat. 135*.
Brasilia. Patrona principalis B. Virgo Immaculata sub titulo « Apparecida », 155.
Bullae. Earum sigillum plumbeum, 128-130.
Byzantini-Slavici. Marialis Rosarii recitatio, 146. Extensio concessionis, 147.
Caeremoniarum *ap.carum* praefectus aut magistri audiendi antequam Cardinalis invitetur, 137.
Calendarium in Missionibus, 143*. 144*. — in ecclesia cathedrali, 144*.
S. Camillus de Lellis, patronus infirmariorum saecularium, eorumque associationum catholicorum, 155.
Campanarum *usus*, 256, 257.
Can. 111 § 2, 956 et 969, § 2, inter se collati, 128*. — Can. 323. Abbas *nullius* ecclesiam in alieno territorio non consecrat valide, 150. 151. — Can. 349 § 2 n. 2. Episc. indulgentias exemptis religiosis vel in earum ecclesiis dare potest, 147. 149. — Can. 419 § 1. Non applicatur ad coadiutores, 150. 152. — Can. 423. Nomine *Sacerdotes* ibi non veniunt religiosi vel saecularizati, 151. 153. 154. — Can. 542, 2° qua ratione tollitur irregularitas, 136*. 137*. — Can. 606. Absentia religiosorum, 144*. 145*. — Can. 1116 de legitimatione per subsequens parentum matrimonium, 148. 150. — Can. 1125 de polygamis etc. extensio ad alias regiones, 1*. 5*. — Can. 1125. Dispensatio polygamorum ab interpellatione, 108*. 117*. Extensiva interpetatio in Sinis, 113* nota. — Can. 1480, de reditibus « intercalariis » applicatio in Italia, 140. 143. — Can. 1990-92. De processu summario in causis nullitatis matrimonii, 93*. 107*.
Canadensis *Ordinariatus* graeco-ruthenus, 93.
Canonici assistentes Episco. 12* — 14*. — suntne inter clericos ecclesiae habendi, 146*. 147* — Computatio in Italia redituum intercalarium, 140-143.
Canonizationes, 91, 155.
Capitalis et **laboris** seu operae mutua necessitas 181. 182. Utriusque iniustae vindicationes, 182 — Quaenam iusta distributio, 182. 183. 221-223.
Cardinales quosnam sacros ritus in Urbe et quibus condicionibus peragere possint. Quandonam invitari possunt, 131-138.
Caritatis partes in sociali reformatione, 207. Instantissima unionis et conspirationis commendatio, 211.
Catholici *socialistae* esse nequeunt, 201, 202, 231. Redeant transfugae, 202, 203.
Cautiones in motrimonio mixto regis Bulgariae requisitae et datae sunt, 75. 76. 79.
Censurae reservatae absolutio ex ignorantia personae cui reservabatur, 15*.
Chorus. Quatenus canonici assistentes Episcopo a choro dispensantur et censentur praesentes, 12*-14*.
Cistercienses Abbates non comprehensi decreto S. C. Rit. 27 sept. 1659, de colore pileoli 143. 144.
Civilis matrimonii error, 24. — Civilis sententia divortii successivam polygamiam esse sinit, 109*.
Civilis *potestatis* partes in re sociali, 172. Sociales Leges, et nova iuris disciplinae sectio ad tuenda iura opificum nata ex Enc. *Rerum Nov.*, 172. 173. — Quid possit in dominia privata, 179. 180. — liberatio ab administrandis minoribus coetibus, ut sua propria melius curet, 189.
Clericus a quo ordinandus, 125*-133*. — Clerici domicilium, 131-135. — Potestne ab Episcopo suo revocari ex aliena dioecesi, 133*-136*.
Coadiutor non est vere canonicus, 151, nec potest per alium, substitutum, supplere, 150-152.
Collegii *Neerlandici* erectio et regimen, 118-120.
Concubinatus in matrimonium conversio, prudenter procuranda, 92*. 147*.
Concursus requisitus pro dispensatione ab abstinentia, 14*. 15*. 142*. 143*.
Confessarii monentur de suo officio in debellando onanismo, 17.

Confidentia in Deo et in anima naturaliter christiana, 208. 209.
Congum Belgicum. Delegatio Ap.ca, 92, G².
Consecratio ecc.ae non fit valide ab abbate *nullius* extra territorium, 150. 151.
Consilium estne ad valorem audiendum pro cooptatione in novicios, 91*.
Consociationes ortae post Enc. *Rerum Nov.* 171. 172-176. Eas condendi et ordinandi libertas, 191. Iis et minoribus communitatibus permittenda rerum suarum gestio, 189.
Consuetudo non praevalet legi si obstet finis, mens legislatoris, 143.
Consultores dioecesani non possunt esse religiosi, 151-154.
Contionatores. Quaenam a S. Antonio discant, 127.
Cooperatio materialis onanismo, 18. 56. — artibus neo-malthusianis, 148*.
Cultus popularis potius de temporalibus beneficiis sollicitus, 122.
Cursus *theologicus,* quot horas supponat, 16*-20*.
Defectus *natalium* quomodo dispensatur, 137*.
Definitio de intrinseca malitia onanismi, 17. 52-54.
Delegatio Ap.ca Congi Belgici, 92; Africae, 92. — Costantinopolitana, in omnibus ecclesiis cuiuslibet ritus munus exercet.
Delegatio *habitualis* pro benedictione reservata, 14*.
Deus scientiarum, Bulla 24 maii 1931 — De Universitatibus et Facultatibus studiorum ecclesiasticorum, 282-298. — Annotationes, 299-312.
— S. C. de Seminariis et studiorum Universitatibus ordinationes 12 iun. 1921, 313-332.
Dioecesana *administratio.* Tributum pro ea, seu taxa 2. p. c. quotidianas distributiones non gravat, 257-260.
Dioeceses. Varia. 91B. 92. 156. 262. Taxa 2 p. C. pro dioecesana administratione distributiones quotidianas non gravat, 257-260.
Disparitas cultus obstat legitimationi per subsequens parentum matrimonium, 148-150.
Dispensatio abstinentiae ob concursum incolarum, 14*. — ob causam non sacram, etc. 142*. 143*.
— ab interpellationibus, *vide Interpellationes.*
— ad ingrediendam religionem tollitne irregularitatem, 136*. 137*.
Distributiones quotidianae taxa 2 p. C. non gravantur, 257-260.
Divitiarum fames funestum exemplum, 205. Divitum officium, 220.
Divortii fautores, 26. 27. Reprobatio, 26-29. Divortium successivam polygamiam esse sinit, 109*.
Dolus. Descriptio, notio, 60*-62*. — Actio doli, 62*. 63*. — Effectus in contractus, 63*-65*. Effectus in admissione religiosi et professione, 65*-72*.
— Estne impedimentum *externum,* 72*. Quomodo probatur dolus? 73*. Quomodo sanatur invalida ob dolum admissio, 73*.
Domicilium clerici excardinati, 131*. 132*. — clerici residentis ad quinque annos in alia dioecesi, 133*-136*.
Ecclesia *catholica,* quinam in ea baptizati censentur, 74*-77*. — opus habet robustis militibus, sed nihil sibi timet, 210.
Ecclesiae et Status concors actio, 39. 40. — Ecclesiae etiam non definienti obtemperandum est, 33. Ecclesiae *ius* definiendi quae cuiusque sint iura et officia in re sociali, 167. 168, atque auctoritas in re sociali et oeconomica, 177. 178. 216. 217.
Encyclicarum litterarum *Casti Conubii* opportunitas et meritum, 42; divisio 43; expositio, 44-68.
Enc. *Mens nostra* de Exercitiis spiritualibus commendatio et confirmatio, 210.
Enc. *Quadragesimo anno* opportunitas et Consilium, 168. 169. 176. Divisio, 213. Titulus authenticus, 212. Vera eius ra-

tio, 230. Eius praecipua documenta, 231. Communia cum *Rerum Novarum*, 231. 232. Quaenam sint superaddita, 232-234. Quae propria et sua nos doceat, 234-236. Quo pacto voluerit dubia de Enc. *Rerum Nov.* solvere, 236. Officia communia quae imponat, 239.

Enc. « *Rerum Novarum* » 15 maii 1891 opportunitas, summa capita, auctoritas, beneficia ope Ecclesiae, potestatis civilis, eorum quorum interest, ita ut nominanda sit magna socialis ordinis charta, 149-176. Istarum litterarum praeparatio, 167. 213-216 — Quonam sensu dubia solvenda reliquerit, 236.

Ephesini Concilii commemoratio commendatur, 155.

Episcopus rogans canonicum assistentem in Pontificali functione, 12*.13*. — dispensans populum ab abstinentia, 14*. — non leviter invitandus ad sacros ritus peragendos, 137. — dat indulgentiis religiosis exemptis et in eorum domibus, 147-149. — proprius ordinationis, 125*-133*. Conciliatio can. 111, § 2 cum can. 956 et 969, § 2? Unus tantum esse potest proprius ordinationis, 132*. — *Nominatus*. Eius honores liturgici, 140*-142*. — Ep. calendarium, 144*. — Sedes episcopalis translata, 262.

Errores *de matrimonio*, 14-16. Eorum communis radix, 15. Proli contrarii errores, 16-21. Contrarii fidei, 21-23: Contrarii sacramento, 24-29.

" **Eugenica** „ 241, 242, 244, 245.

Excardinatio quonam collato beneficio habetur, 135*.

Exercitia spiritualia pro renovatione sociali commendantur, 210.

Festa suppressa obligantne ad celebrandum pro populo, etiamsi solo iure particulari erant praecepta, 86-88.

Funus. Invitatio ad comitandum, a quonam facienda, 146*. — Vexillum in funere, 146*.147.

Graeco-Ruthenus Ordinariatus Canadensis, 93.

Gratia sacramentalis. Notio. Docilitatem requirens, 13. 50.

Hispania. Missa pro populo applicanda in festis olim ex iure particulari praeceptis et nunc suppressis, 86-88.

Hortatio ut catholici in praesentibus adiunctis nihil intentatum relinquant, 210, 211. Valde coniuncti conspirent, 211.

Humilitas et imperium in passiones, 30, 31.

Ignorantia personae cui censura reservatur, 15*.

Illegimae matri et proli subveniendum, sed prius legitimae, 39.

Impedimenta matr. *aetatis* et *honestatis publicae* processum ordinarium requirunt, 101*.

Indulgentiae catechismum tradentibus et discentibus, 91. — invocationi: « Regina Apostolorum ora pro nobis », 145. — divini officii recitationi extensae ad moniales et pias mulieres in communitate viventes, 145-146, — recitationi Rosarii apud Byzantinos Slavicos, 146. 147. Quas Ep.us religiosis exemptis vel in eorum ecclesiis dederit, 147-149. — viae crucis ab infirmis lucrandae, 260.

Infirmarii *saeculares* utriusque sexus patronos obtinent S. Ioannem de Deo et S. Camillum de Lellis, 155.

Infirmi. Condiciones viae crucis pro ipsis, 260-261.

Internationalis collaboratio est necessaria in oeconomico discrimine, 192. — foederationis christianorum et socialistarum membra quot sint, 215 nota.

Interpellationes. Dispensandae ex can. 1125, 108*-117*. — Apparens exceptio ex responsis S. Officii, 113*. — Extensiva in Sinis facultatum interpretatio, 113* nota.

Interpretatio falsa II chess. III, 10 « Si quis non vult operari, etc., 183.

S. Ioannes de Deo, patronus infirmariorum saecularium eorumque associationum catholicarum 155.

Irregularitas e defectu natalium, tolliturne dispensatione ad ingrediendam religionem, 136*-137*.

Italia. Aurora in —, 88*-90*. — Reditus intercalares distribuuntur secundum annum civilem, 140-143; etiam in paroeciis ubi aliae normae vigebant. Nec praevalent consuetudo vel peculiaria statuta, 143. — Recens collegiorum et artium ratio, iudicatur, 192. 193. 226.

Iustitia socialis quid, 238. 239.

Laeta anni 1930 eventa a S. Pontifice numerata 68. 69.

Laicus religiosus. Virtus requisita, 5*-8*.

Lateranensia pacta, exemplum concordis actionis Ecclesiae et Status, 40. 41. — Contraria pactis studia acatholica, 71.

Legitimatio per subsequens parentum matrimonium impedita impedimento aetatis et disparitatis cultus, 148-150.

Leonis XIII insignia monumenta ordinis publici et socialis, 165. 166. 170. Ab eius aetate res mutatae, 194 ss.

Liberae *competitioni* succedit infelix potentatus. Quatenus liberum certamen sit approbandum, 197. 225.

Magnificentia laudabilis. Quid sit? 180. 220.

B. Maria Immaculata, patrona principalis Brasiliae, 155.

Massonica *secta.* Qui a sectariis nati sunt, censenturne nati ab acatholicis, 80*. 81*.

Matrimonium quatenus hodie praesumitur validum? 10*-12*. — quatenus sit Sacramentum permanens, 35. 66. 67.

— regis Boris quomodo permissum, 75. 76. 79.

— Definitio in Codice, 37*. A Modernis impugnatur, 38*. 39*. Impugnatur etiam a catholicis, 39*-42*.

— Fines. Quatenus finis procreationis est primarius et essentialis, 54*-59*.

— non legitimat prolem parentum qui aetate vel disparitate cultus a nuptiis arcebantur, 148-150.

— Processus *Summarius* de nullitate. Historice, 93*-97*. — Processus demonstratur esse iudicialis, non mere administrativus, 98*-107*. Utilitas thesis, 97*. 98*. 107*. Processus ordinarius requiritur de impedimento *aetatis* et *honestatis publicae,* 101*.

« **Sever Echen** » in Austria, 138*-140*.

Matrimonium. Sententiae conformes pro nullitate quaenam sint, 20*-28*. — Quandonam omnia ad nuptias parata censeantur, 28*-35*.

— Matrimonium in litt. *Casti Conubii* Litterae enc. de matrimonio christiano, 1-42. Divinitus institutum, 2. 44. Quatenus pendet a libero consensu, 3. 44. Coniungit animos, 3. 8. Quid potest vel non publica potestas, 3. 21. 45. Eius bona: proles, 4-7. 45; Fides, 7-10. 46-48; Sacramentum: indissolubilitas, 10-12; 48-50. Gratia Sacramentalis, 12-14. 50. Lege naturae procreatio reservatur matrimonio, 6. Nota castitatis familiaris consuetudo insigniri debet, 7. Mutuus coniugum amor quo spectat, 8. Componitur cum inferiore uxoris loco, 9. 48. Duplex primaria matrimonii ratio, 8. 47. Eius indissolubilitas cur, intra quosnam fines, 10. 11; 48. 49. quam bona, 12. 49. Individua ratio contractus et sacramenti, 13. 49. De gratia sacramentali, 13. 35. 50. 67. Falsae doctrinae de matrimonio, 14. 51; denuntiandae, 15. Radix errorum, 15. 51. Matrimonia *ad tempus, ad experimentum, amicale,* 16. 51. Onanismi coniugalis malitia, 17. 52. Peccata contra prolem, 17. 21; 55-61; contra fidem 21-24; 61-63, contra Sacramentum, 24. 63-65. Sacrum est omne matrimonium, 25. 63. Contra mixtas nuptias, 25. 26. 64. Contra divortia civilia, 26-29. 64.

— Remedia: restauratio ordinis divini, subiectio passionum per subiectionem Deo, 30; pietas coniugum, 31; cognitio legum matrimonii ac proin humilis ad Ecc.am non solum definientem sed dirigentem oboedientia, 32. 33. 65. diffusio sanae doctrinae, 33, 34; temperata sollicitudo eugenica, 34; temperatus usus coniugii cum firmissima voluntate servandi leges Dei et cooperandi gratiae, 34. 35; praeparatio vitae

coniugalis, 36. 37; prudens electio personae, 37; congruens condicio oeconomica, 37. 38; bonae leges, 39; concors actio Ecclesiae et civitatis, 39. 40.

Mechliniensis elenchus actuum Pontificum et Praesulum laudatur, 170. 234.

Medici cooperatio ad neomalthusianas artes, 148*.

Mexicanae res: pro his SS. P. orandum monet, 71.

Miraculosi B. M. V. nomismatis saecularis celebratio a Pontifice, 80. 81.

Missa applicanda pro populo in festis Hispaniae suppressis, 86-90. — Pro quibusnam applicare Missam licet? 81*-84*. — privata ad quam Cardinalis invitetur, 136. — de requie. Absolutio data postea a Cardinali, 137.

Missionarii. Ad eos missum nuntium radiophonicum a S. Pontifice, 115. — Quaenam a S. Antonio discant, 127.

Missiones nondum erectae in Praefecturam vel Vicariatum, 92. 93. 262. — Calendarium in missionibus, 143*. 144*.

Mixtae *nuptiae* improbantur, 25. 26. 64.

Mores *ordinandorum* quomodo ab Ordinariis scrutandi, 245-246.

Moribundus in art. mortis potestne non adiri ut puniatur eius obstinatio vel incuria 91* 147*.

Morum reformatio necessaria, 194. Hodierna damna moralia eorumque causa, 203-206. 227. — Quo pacto medendum malis, 206-209. 229-230.

Necessitas urgens conferens facultatem dispensandi. 33*.

Neerlandia. Erectio et regimen collegii, 118-120.

« **Neutri** » *syndicatus*, 175.

Noviciatus. Admissio in noviciatum ex dolo, 65*-72* — facta a solo Superiore, 91*. — interruptus ob egressum, 91*.

Nuncium radiophonicum 12 feb. 1931 missum, a S. Pontifice, 115-118.

Occupatio et specificatio, tituli acquirendi, 181. 221.

Oeconomica sufficientia moribus, utilissima, 38. 39. Postulata oeconomica Pontificis, 38. 39. — Oeconomicum discrimen et periculum SS. D. describit, deplorat, 70. Directivum oeconomiae principium instaurandum, 191. De institutione Italica, 192. 193. Consilia de ista instauratione, 194. — Rei oeconomicae res quantum mutata, 194-197. 227. Mala praesentia, 203-205. — Remedia, 206-211. — Ecclesiae auctoritas in ista re, 167. 168, 177. 178, 216. 217.

Officinae pericula et mala, 205.

Onanismus coniugalis ut intrinsece malus sollemniter damnatur, 16-18. Excusationes reiciuntur, 17, 18.

Opera proscripta, 82. 85. 138. 240.

Operae necessitas, 181; iniustae vindicationes; iustae distributionis principium, 182. 183. — indoles individualis et socialis, 186.

Operariorum mala, 205. 229. Oportet ut sint alii aliorum apostoli, 209. — merces, qualis esse debeat, 38. 67. *vide Salarium.*

Ordinandi. Scrutinia habenda ab Ordinariis, de eorum moribus, 245-256.

Ordinariatus graeco-Ruthenus Canadensis, 93.

Ordinarius delegans habitualiter benedictiones sibi reservatas, 14*. — Eius partes in collatione beneficiorum reservatorum, 89. 90. — proprius ordinationis, *vide Episcopus.*

« *Ordines* » societatis qua ratione reficiendi. Amica eorum conspiratio, quae non impedit separatas deliberationes herorum et opificum, 190. 191. 224. 225.

Ordo moralis cetera finibus a Deo statutis substernens, 177.

— societatis instaurandus, 188. 189.

Paenitentiae privatae, publicae, quaenam, 9*. 10*.

Parochus in aliena dioecesi potestne ab Episcopo in suam revocari? 133-135 — excludens vexillum Tertiariorum e funere, 146*.

Partus acceleratio, 59. 60.

Patroni. 155. 262.

Pax universalis optata a S. P., 72. Catho-

lici ea frui specialiter possunt eamque promovere debent, 72. Pacis verae condiciones, non omisso studio defensionis propriae 73. 74. 77. 78. Pax vera vinculum personale postulat, 207.

Persona *moralis* quomodo exstinguitur, 84*-87; et resurgit, 87*. 88*.

Pii X Motu Proprio de actione populari, 170.

Pii XI Encyclicae ordinis socialis, 170.

Pileoli color, 143. 144. — Episcopi nominati, 142*.

Polygamiae, polyandriae repudiatio, 7. — Quaenam successiva habetur, 109*. — Simultanea legalis, 138*-140*.

Polygamis *conversis* concessa privilegia, ex can. 1125, 108*-117*. Constitutionum Pauli III, S. Pii V, et Gregorii XIII collatio, 114*. 115*.

Praefecturae Ap.cae, 92-156, 262.

Praelati a *Flocculis* quinam, 131.

Praesumptiones reguntne facta anteriora? 11*. — Quibusnam hodie matrimonium regitur? 10*-12*.

Processus *summarius* de nullitate matrimonii, 93*-107*. — *documentarius,* quid, 100*. — Cur non concedatur summarius de *aetate* et de *publica honestate,* 101*.

Professio *religiosa* nulla ex dolo, 65*-72* — ob facta religiosi non immunis a servitio militari, 91*.

Proletarii procurandus accessus ad honestiorem condicionem, 184. 185.

Proprietatis *privatae* ius a Deo datum; eius ratio individualis et socialis; obligationes domini; potestas rei publicae, 178-180, 218. Tituli acquirendi, 181, 221. — Conceptus qui ethnicus esse obicitur, 178, 217 — christianus, 217-218 — Quonam sensu est ius naturale, 220

Proscripti libri auctor, a S. C. C. Officii agnoscitur bene dispositus, 139. *vide Opera.*

Reditus *intercalares* beneficiorum. Distributio in Italia, 140.

Religiones vel earum Constitutiones approbatae, laudatae, 93-95, 263.

Religiosi. Ad eos missum nuncium radiophonicum 12 febr. 1931, 115. — S. Antonium aemulentur, 127. — non possunt esse consultores dioecesani, 151-154. — quatenus possunt esse Vicarii generales, examinatores, parochi consultores, 153. — Eorum absentia secundum can. 606 § 2, 144*. 145*.

Res publica reformanda, 224. 225.

Rosarium Mariale apud Byzantinos Slavicos, 146. 147.

Rosminiana philosophia de amore coniugali, 41*. 46*.

S. Rota Romana. Synopticae tabulae causarum, 158. 159.

Sacramentum *matrimonii* a contractu divelli nequit, 13. *Vide matrimonium.*

Saecularizati non possunt esse Consultores dioecesani, 151-154.

Salarium in se non iniustum. Eius iusta aestimatio, 186-188. 223. 224. 237. 238.

Sententiae iudiciales quaenam dicantur conformes, 20*-28*.

Sexualis *educatio,* 241-244.

Sigillum plumbeum Cancellariae Ap. innovatur, 128-130.

Simonia confidentialis. Notio, divisio; habeturne in Codice, 118*-120*. Delictum simoniae quodnam poenis plectitur, 121*-125*.

Sinense imperium. Extensiva interpretatio facultatis dispensandi cum polygamis ab interpellatione, 113* nota.

Socialismus mutatus, 197-200. 227. 228. — Semper tamen a catholica ratione alienus, 201. 228; periculosum eius tentamen de instituenda iuventute, 20.

Socialistarum et communistarum foederationis membra quot sint, 215 nota.

Sociologiae ratio, 214 nota.

Sodalicia opificum, in aliis classibus, herorum condita propter Enc. *Rerum Nov.,* 173-176. — Qua ratione sodalicia ista constituenda et gubernanda sint, 174. Quid si " neutra „ fuerint, 175.

Status munus levandi inopiam, 39. Legibus mores iuvandi sunt, 39. Concorditer cum Ecclesia agendum est, quod etiam hodie fieri potest, 39-41.

Studiorum ecclesiasticorum innovata ratio per Bullam et ordinationes S. C. de Seminariis et studiorum Universitatibus, 282-298; 313-322.

Superioris intentio in admittendo candidato, eiusque effectus in vim doli, 70*.71*.

Syndicatus « neutri », 171. Italica ordinatio, 192-194. — Unde vox. Scribitur interdum *syndacatus*, 212.

— *christiani* et *socialistarum* membra quot sint, 215.

Theologicus *cursus* quot horas requirat, 16*-20*.

Titulus « Excellentiae Reverendissimae » quibusnam competat, 130. 131.

— Titulus Enc. *Quadragesimo anno* est authenticus, 212.

Tributa et vectigalia nimia sunt illicita, 180. — *Tributum* pro dioecesana administratione, 257.

Tristia anni 1930 eventa, a S. Pontifice memorata 69-71.

Ios. Turmel excommunicatus vitandus; degradatus decr. S. Officii, et complura eius opera sub ementito nomine edita in Indicem referuntur decreto S. Officii 8 nov. 1930, 83-85.

Uxoris locus in matrimonio, 9, 23.

Versalienses normae de opificum labore, desumptae ex « Rerum Novarum », 171.

Vexilla in funere, 146*.

Vicariatus Ap.ci, 92. 156.

S. Vincentii a Paulo laudatur institutum, 81; laudantur collationes (Ozanam), 81; puellae a Caritate, 81.

Virtus requisita in religioso laico, 5*-8*.

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

Nova matrimonii definitio?

Matrimonium in Codice Iuris Canonici dicitur contractus (c. 1012), quem « facit partium consensus inter personas iure habiles legitime manifestatus » (c. 1081 § 1); « consensus matrimonialis est actus voluntatis, quo utraque pars tradit et acceptat ius in corpus, perpetuum et exclusivum, in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem » (c. 1081 § 2). Matrimonium ergo in « facto esse » consideratum consistit in « vinculo » iuridico (c. 1110), vi cuius « utrique coniugi ab ipso matrimonii initio aequum ius et officium est quod attinet ad actus proprios coniugalis vitae » (c. 1111). Proprietates vero essentiales sunt « unitas ac indissolubilitas » (c. 1013 § 2), « finis primarius est procreatio atque educatio prolis; secundarius mutuum adiutorium et remedium concupiscentiae » (c. 1013 § 1).

Haec descriptio et definitio matrimonii, e Codice deprompta, duo elementa continet: scl. *elementum iuridicum,* quo matrimonii essentia reponitur in habitudine iuridica inter coniuges, et *elementum finalitatis,* quo enuntiatur coniugium ab ipsa natura, independenter a voluntate nupturientium, ordinatum esse ad certos fines, quorum principalis sit sobolis generatio

atque educatio. Nec videntur, saltem primo aspectu, alia elementa contineri.

Unde definitio proposita multis non placet. Sunt moderni, qui se coniugalis vitae emendatores iactant, sunt etiam quidam qui de cetero e nostra parte stant nec ulla ratione a principiis fundamentalibus recedere velint.

Moderni, (1) ut facilius sua placita de dissolubilitate matrimonii eiusque « libero usu » (melius dices: abusu) defendant, ipsam notionem matrimonii impugnant, fere sic argumentantes: Coniugium ortum ducit ex amore, initur amore, fundatur et consummatur in amore. Ubicumque et quamdiu inter virum et mulierem inveniatur affectus coniugalis, adest matrimonium; cessante amore, cessat inclinatio ad cohabitationem et copulam, cessare debent etiam ius et obligatio ad ea. Secus violaretur libertas humana, pollueretur dignitas personalis, crearentur conflictus tristissimi. Matrimonii ergo essentia consistit in unione animorum per amorem maritalem; eius finis internus nihil aliud est nisi istius amoris fruitio; omnes alii fines, assignari soliti, ad summum dici possunt fines operantis, qui scl. ex libera coniugum voluntate plane dependent, non vero fines operis, i. e. a natura ipsis praefiniti. Quibus positis, facile intelligitur, notionem traditionalem matrimonii esse nimis crudam, crudelem, naturae humanae ac conscientiae et christianae et modernae evolutae inimicam. In ea enim tam *essentia* quam *fines* falso assignantur. Matrimonium non est contractus nec vinculum iuridicum ortum ex contractu; fundamentum vitae coniugalis reponi nequit in relatione quadam iuridica, qua coniuges sibi ius strictum conferunt in corpus; ius quod etiam ab invito postulari possit, ius ad actum, qui naturâ suâ abhorret omnem omnino coactionem, ius quod perpetuo duret etiam quando dilectio coniugalis iam desiit, brevi: ius quo utraque pars ad vilem statum redigitur servitutis, dignitati humanae maxime repugnantis.

Quod augetur consideratis *finibus*, qui a doctrina traditionali matrimonio tribuuntur. Nam nisi admittitur amor coniugalis tamquam essentia et fundamentum indispensabile, quid remanet

(1) Cf. inter alios: M. Beth, Neues Eherecht. 1925.; H. v. Keyserling, Das Ehebuch. 1926; Lindsey, Companiate marriage.; Buchow-Homeyer, Zeitehe, Bonn 1928; H. Dehmel, Revolution der Ehe, Rudolstadt 1929.

nisi institutum oeconomicum, quod ob meram utilitatem materialem, pecuniariam saepe appetitur (« mutuum adiutorium »), vel institutum sexuale, quo uterque coniux ad alterum ordinatur ut vile libidinis obiectum, ut merum instrumentum, in quo omni passioni sexuali indulgere licet, in quo praesertim uxor, quae pars debilior se defendere nequit, abiectissima quaeque ac indignissima pati obstringitur, quasi meretrix mariti, lege sancita (« remedium concupiscentiae »)? Denique si consideratur procreatio prolis ut 1.ius finis, nonne matrimonium merito appellari potest « fabrica prolis » (et de facto sic impudice loquuntur), in qua coniuges, maxime uxor nec libere nec congrue vitae voluptatibus frui permittuntur, sed oppressi dura procreationis lege quasi iumenta tribulationibus carnis subiecta, generi humano propagando inserviunt.

Quae sequelae indignissimae profluunt sponte ex falsa coniugii definitione. Ita fere moderni « vitae coniugalis reformatores ».

Sed etiam *ex campo catholico* quidam insurrexerunt, qui traditionalem matrimonii conceptum impugnarent. Ansam sumpserunt a controversia in theologia morali-canonica acriter agitata de genuino impotentiae conceptu. Nexus est iste: alii impotentiam, quae impedimentum dirimens constituat, intelligunt impotentiam non solum coëundi, sed etiam generandi; aliis econtra impedimentum est solummodo impotentia coëundi, non vero generandi. Secundum priorem ergo sententiam ratio matrimonii adest tantum, si per se possibilis est actus tum humanus, i. e. unio carnalis, tum naturae, i. e. fecundatio et procreatio; ratio desumitur ex fine primario matrimoniali, qui est procreatio sobolis. Auctores sententiae oppositae concedunt quidem hunc esse finem primarium, sed negant consequentiam, aliis verbis: fini primario tantum influxum in definiendam rationem matrimonii non tribuunt. Ergo, quod ad nostrum scopum facit, omissis disquisitionibus de hac materia: disputantes de facto diversum matrimonii conceptum, saltem aliquomodo, adhibere videntur. Si enim ad valorem matrimonii potentia ge-

nerandi requiritur, possibilitas procreationis pertinere dicenda est ad essentialia elementa coniugii. Si vero sufficit potentia coëundi, possibilitas procreationis iam non pertinet ad essentialia elementa, et proin matrimonii finis primarius non ita intrat in notionem coniugii sicut in priore sententia.

Hac ideo ansa usi iurisperiti quidam, ut efficacius doctrinam de impotentia generandi impugnarent, ipsum conceptum traditionalem matrimonii corrigere conati sunt, etsi non plane feliciter (1).

Secundum Brugi finis essentialis matrimonii consistit tantum in mutuo coniugum adiutorio, secundum Miceli vero in complemento personalitatis, quod mutuo affertur coniugibus per diversas qualitates sexuales, tum corporis tum praecipue animi. Essentiale ergo in matrimonio est unio animorum, in amore mutuo, personali, spirituali. Quae magis distincte proponuntur a Viglino et Cornaggia Medici, fere ita:

1° Sicut apparet ex organizatione corporis et inclinatione animi, vir et femina creati sunt ad hoc, ut se invicem compleant.

2° Huic desiderio satisfit per unionem animorum in amore, et per unionem corporum in actu coniugali. 3° In his duobus tota ratio matrimonii perficitur, ita tamen ut primatus reservetur unioni animorum. Nam 4° ipsa copula, coniugali affectu posita, speciali modo unionem animorum designat atque efficit. Quod magis declaratur ope philosophiae Rosminianae, scl.: Sensationes quibus innotescunt corpora inanimata, essentialiter differunt a sensationibus de corpore animato. Ratio differentiae consistit in eo, quod in sensatione de corpore animato anima percipiens attingit non solum immediate corpus perceptum, sed etiam in corpore ipsam eius animam, quae ipsum vivificat. Sic in omni

---

(1) *cf.* Biagio Brugi, L'articolo 107 del codice civile italiano e lo scopo del matrimonio in Rivista internazionale di filosofia del diritto 5 (1925) 107 ss.

Vincenzo Miceli, Ancora sull'articolo 107 nel codice civile italiano e lo scopo del matrimonio in eadem Riv. 6 (1926) 285 ss.

Camillo Viglino, Un curioso equivoco sull'impotenza al matrimonio in diritto canonico, in: Il diritto Ecclesiastico 34 (1923) 1 ss. et sic multi articuli in eodem periodico 37 (1926) 163 ss; 38 (1927) 149 ss; 272 ss; 387 ss; 39 (1928) 313 ss; in R ssegna di Studi sessuali (1925), 81 ss., in: Rivista internazionale di filosofia del diritto 7 (1927) 71 ss.

Mons. Luigi Cornaggia Medici, Dell'essenza del matrimonio e di due recenti scritti sull'impedimento dell'impotenza, in: Il diritto Ecclesiastico 39 (1928) 398 ss.

sensatione adest unio quaedam duarum animarum. In unione coniugum vero hoc a fortiori valet. Nam tactus intimus duorum corporum vivorum producit sensationem in utraque parte maxime intensam, intima experitur communio vitae alterius eiusque energiae et vitalis principii, quod est anima. Rosmini dicit: Accessus maxime intimus corporum habetur in coitu carnali, in quo per momentum duae sensationes fundamentales individuorum (i. e. sensatio fundamentalis ea est, qua unaquaeque anima immediate suum proprium corpus experitur) transformantur in unam solam, ita ut sensatio unius fiat sensatio alterius. Et sic intelligitur verbum S. Scripturae: « Et erunt duo in carne una » (Gen. 2, 23 s., Eph. 5, 31). Manent quidem duae personae distinctae (« erunt duo »), sed in una carne, i. e. in una communi sensatione corporali. (Filosofia del diritto, vol. II., 323 ss.) Idem brevi enuntiat tribunal Mediolanense (Corte d'Appello di Milano) in decisione diei 31. oct. 1921, qua sententiam a Viglino propositam suam fecit: in matrimoniali actu haberi « avvicinamento e fusione delle anime attraverso quella dei corpi ».

Ex propositis infertur in matrimonio inveniri specialem unionem animorum, in qua ratio et essentia eiusdem absolvatur. Ex quo illico patet ad valorem eiusdem non requiri nisi potentiam coëundi, quae conclusio est scopus disputationis praedictorum auctorum.

Qui, quamvis circa principia fundamentalia de unitate, indissolubilitate, sanctitate matrimonii plane nobiscum consentiant, nec ullo modo faveant modernis, tamen cum istis conveniunt in hoc, quod impugnant conceptum coniugii huc usque traditum, quatenus quasi unice respicit elementum et iuridicum et finalitatis, et quod eius loco inserere velint elementum altius, nobilius, scl. unionis animorum, caritatis coniugalis.

En obiectio, quae etiam aliter proponi potest his: in matrimonio distingui possunt tres respectus vel tria elementa: elementum iuridicum, quatenus coniugium consistit in vinculo iuridico cum officiis et iuribus mutuis; elementum finalitatis, quatenus respicitur ordinatio naturalis in fines certos, praesertim in procreationem prolis; elementum amoris coniugalis, in aliquali oppositione ad considerationem pure iuridicam,

pervadens et transcendens omnes coniugum relationes. Inter ista tria elementa, spectata nobilitate, eminet amor coniugalis, dum ratio iuridica ultimum occupat locum; in definitione vero essentiali generatim series invertitur: elementum iuridicum primum constituit momentum, cui accedit aequo iure elementum finalitatis. Amor vero coniugalis extra omnem considerationem manet. Et sic quaestiones iuridico-morales, qui ab auctoribus tractantur de valore matrimonii, eiusque liceitate, usu, officiis coniugum, generatim solvuntur respectu habito indolis matrimonii, qua est contractus et qua est institutum a natura ad propagationem generis humani praefinitum, non vero qua est societas intima duorum hominum, unio animorum, amoris perfectio.

En difficultas! Estne fundata, conceptus matrimonii estne corrigendus? Distinguimus duas quaestiones:

I. utrum amor coniugalis sit de essentia matrimonii?

II. de procreatione prolis eiusque habitudine ad essentiam.

I.

1. *De diversis matrimonii elementis.*

a) Amor coniugalis essentialiter fundatur in tendentia sexuali humana. Habetur in hominibus diversa indoles et organizatio corporis, qua sexus distinguuntur. Organa sexualia a natura ita sunt ad invicem ordinata, ut se uniant et mutua unione se compleant ad certos fines ipsis naturaliter praefinitos. Cui diversitati corporali-organicae tendentia quaedam correspondet sexualis, quae est instinctus, naturalis, sensitivus, hominibus cum brutis communis, quo personae unius sexus ad personas alterius caeca quadam vehementia,

omnem rationis deliberationem praecedenti impelluntur eo fine, ut per mutuam unionem, quae desunt uni, inveniantur in altero et sic utraque indoles sexualis se compleat, inveniat suam connaturalem satisfactionem. Quod ordinarie per unionem carnalem obtinetur.

Ergo tendentia sexualis naturaliter tendit in copulam tamquam in finem proximum.

b) Ex diversa organizatione corporis humani aliae qualitates resultant, quae quidem sensu stricto non dici possunt sexuales, tamen lato sensu, secundariae, remotae. Sunt vero qualitates tum corporis, e. g. vigor, structura musculosa, ex qua resultat maior vis resistendi in pugna et labore etc., tum vitae sensitivae tum etiam vitae rationalis. Et ita effectus diversitatis sexualis inter homines non restringuntur ad vitam sexualem qua talem, sed se extendunt ad fere omnes vitae cotidianae regiones. Inde desiderium viri et feminae, mutua unione participandi facultatibus alterius in tota sua amplitudine. Praeter complementum carnale ergo habetur alterum, quod dici potest sociale-œconomicum. Dum autem prius, per se spectatum, obtineri potest unico actu, quo vir et femina fiunt una caro, vel diversis actibus subsequentibus, etiam cum diversis individuis, complementum sociale-œconomicum, generatim saltem, non bene attingitur nisi per unionem quodammodo stabilem cum eodem individuo, cum quo vita tota ad longius saltem tempus ducitur. Ista unio certe simul est etiam sexualis, cum ex suppositione de individuis diversi sexus agitur. Sed additur nota nova, finalitas nova, adiumenti scl. œconomici-socialis, pro labore et pugna vitae cotidianae, quod classice exprimitur: mutuum adiutorium.

c) Homo, utpote ens non solum corporale, sensitivum, sed etiam et praecipue rationale, ulterius procedit. Ob intimam connexionem vitae sensitiva cum rationali, etiam intellectus et voluntas diversitate se-

xuali afficiuntur. Inde 1^0 etsi intellectus et voluntas viri et feminae, secundum essentiam physicam spectata, eadem sint, tamen secundum modum, quo agere solent, scl. quo obiecta percipiunt, apprehendunt, quo ab obiectis afficiuntur, in ea tendunt et in eis sibi complacent, ob concomitantes motus phantasiae et appetitus sensitivi, magnopere differunt. Differentia vero dicit unum habere id, quo alter careat, et sic ex ea generatur desiderium spirituale, unius sexus ad alterum. Bene notetur, huic desiderio satisfieri posse mera amicitia spirituali, nec desunt exempla, nec in vita Sanctorum.

2^0 Generatim vero et motus spiritualis superior et tendentia sensitiva inferior coniuncta erunt ita, ut vir et femina non crudo instinctu tantum ad invicem impellantur, sed rationali et voluntario affectu. Uterque in altero appetit non personam, quatenus unice est exstructa qualitatibus et organis sexualibus, sed quatenus est persona, valoris spiritualis, ethici, talis vel talis characteris. Brevi: Purus instinctus mutatur in verum amorem.

d) Inter christianos vero, dummodo sint christiani veri nominis, per gratias sacramentales matrimonii tendentia instinctus sexualis et amoris ethici sublimantur ac elevantur tendentia illa supernaturali, qua uterque coniux Deo coniunctus alteri coniugi adhaeret, eum fovet ut filium Dei carissimum, socium in gratia, coheredem in gloria; in hac unione animorum non solum bona spiritualia ordinis naturalis communicantur, sed in quantum possibile bona supernaturalia, quatenus unus alterum adiuvat in via perfectionis, in fervore caritatis Dei, in apostolatu statui maritali proprio.

Conclusio ergo erit: Tendentia sexualis, qua homines ducuntur ad matrimonium ineundum, unionem et corporum importat et praesertim animorum. *En*

elementum amoris. Sed hoc, docente nos natura, non sufficit.

e) Est enim factum, experientia comprobatum, amorem coniugalem ob inconstantiam hominum deficere posse et defacto saepe deficere. Si ergo essentia matrimonii in sola unione animorum per amorem consisteret, existentia matrimonii perpetuis exposita esset periculis, deficiente amore, cessante affectu, cessare deberet cohabitatio, immo et ius matrimoniale, et sic ipsum matrimonium. Sequelae vero profluentes essent funestissimae: 1^0 ipsa caritas conjugalis interne et iam ab initio labefactaretur, cum fiducia mutua, omnis veri amoris fundamentum, desideraretur. 2^0 dignitas personalis, praesertim uxoris facile deprimeretur, cum intima sui ipsius traditio ob quamcumque passionem vel morositatem posset decipi. 3^0 mutuum adiutorium et remedium concupiscentiae, fines secundarii connubii, potius in contrarium perverterentur. Denique 4^0 finis primarius, qui est procreatio et educatio prolis, convenienter et ordinate obtineri non posset.

Inde patet essentiam matrimonii reponendam non esse in solo amore coniugali, sed requiri aliud insuper elementum, praesidium quoddam fluctuantis affectus, firmum stabile, a labili sensuum motu independens, quo traditio coniugum roboretur atque confirmetur. Quod est *vinculum iuridicum* matrimoniale.

Inde ergo deducitur in natura matrimonii inveniri et unionem animorum in amore et vinculum iuridicum. Quomodo ad invicem se habeant, non potest probe declarari nisi prius in utriusque naturam penitius inquiratur. Elementum iuridicum ex tota juris canonici doctrina satis cognitum est et proin ulterior eiusdem expositio omitti potest. Non item vero elementum amoris coniugalis.

2. *Natura amoris coniugalis.*

Amorem coniugalem *non intelligimus* complacentiam mere sexualem, inclinationem carnalem, qua venustas et pulchritudo corporis appetuntur, et in eis blandimenta sensuum. Talis, sic dictus « amor », si in se solus consideratur, nomen veri amoris non meretur; nec ulla stabilitate gaudet.

Nec sufficit ad declarandam unionem animorum maritalem, quae ope philosophiae Rosminianae a quibusdam exponuntur. (cf. quae supra introductionis gratia attulimus). Nam, ut omittam alia mere philosophica, nonne « fusio et unio sensationum duorum corporum in unicam communem » obtinetur in omni actu carnali, tam in coniugali pleno amore maritali posito, quam in fornicario, mere libidinoso? Sensatio fundamentalis, quam vir de suo corpore habet, se unit per momentum cum sensatione fundamentali, quam mulier de se ipsa experitur, et sic (loquimur ex suppositione Rosmini) anima viri per sensationem corpus mulieris animatum et in corpore aeque immediate animam mulieris attingit. Atqui hoc haberetur in quacumque copula; nam sensationes fundamentales essentialiter non differunt, sive adsit amor coniugalis sive non.

Tamen potest et debet dici unionem maritalem distingui ab unione mere libidinosa fornicaria, et quidem non solum ob rationes externas liceitatis vel illiceitatis, sed etiam per amorem quo ponitur. Qui amor confundendus non est cum orgasmo venereo. Iste adest e. g. in commercio cum meritrici vel in oppressione violenta virginis, quin animorum unio adsit; et e converso possunt esse casus, sicut casus mulieris valde frigidae, ubi orgasmus deerit saltem in uxore, unio vero animorum tum interna adest, tum externe manifestatur.

Amorem coniugalem *intelligimus* 1^0 in sensu imperfecto ipsum consensum matrimonialem, quo coniuges sibi mutuo ius tradunt perpetuum et exclusivum ad actus et vitam coniugalem in tota sua amplitudine

sumptam. Consensus est unio duarum voluntatum in eandem rem, proin unio animorum. Sed potestne dici amor? Nonne in omni contractu invenitur ista unio animorum, et tamen nemo asseret in omni contractu, e. g. emptionis-venditionis inter contrahentes vigere amorem? Hoc quidem verum est, sed neganda est paritas. Nam consensus matrimonialis ab aliis contractibus maxime differt obiecto. Vir et femina deliberate et libere se ipsos sibi invicem tradunt, ad totius vitae maximam intimitatem, tam corporalem quam interiorem, et hoc pro semper, et exclusive. Talis traditio, si in se plene consideratur, non potest non supponere amorem saltem aliqualem, inchoatum, imperfectum; consensus vero liber in istam traditionem expressio est externa amoris istius interni, est ipse amor.

Sed dices: si iuvenis matrimonium init cum vetula divite, ubi est amor? Nec inchoatus adest; ipse interrogatus, aperte fateretur: non amo vetulam, sed eius pecuniam. Respondeo: Est quidem verissimum in tali casu nullum adesse affectum carnalem in venustatem uxoris, nec forte affectum spiritualem in qualitates personae, sed aliqualis amor adesse debet ut consensus matrimonialis validus dici possit. Iuvenis in casu, aequo modo ac in alio matrimonio se tradit vetulae ad vitae totius intimitatem, et quidem huic unice et exclusive; posset quidem interne ita simul esse dispositus ut nolit implere obligationes coniugales. Sed dummodo vere et non ficte consentit, adest ille amor valde imperfectus quidem, sed vera animorum unio.

In ipso ergo consensu matrimoniali, implicite saltem, amor coniugalis, sensu explicato continetur. Quod Encyclica « Casti connubii » 31 dec. 1930 sic enuntiat: « Coniugio igitur animi iunguntur et coalescunt, hique prius et arctius quam corpora, nec fluxu sensuum vel animorum affectu, sed deliberato et firmo voluntatum decreto: et ex hac animorum coagmenta-

tione, Deo sic statuente, sacrum et inviolabile vinculum exoritur ». (A. A. S. 22 (1930) 542).

Intelligimus 2° sensu pleniore amorem coniugalem virtutem, qua coniux sincere alteri adhaeret, reverentiam ei exhibens et fidem servans, eum fovet, adiuvat, ita ut in mutua caritate et patientia iuncti efforment principium novum, moraliter unum, cui tota vita coniugalis, officia gravissima procreationis atque educationis sobolis secure superstrui queant. Cui in connubio christiano accedere debet 3° amor sensu plenissimo sumptus, scl. supernaturaliter elevatus, quo coniuges Sacramento coniuncti, gratia sacramentali adiuti, conatu communi atque studio et ipsi et filii virtutibus coelestibus informentur, tendant ad finem supernaturalem, et sic perfectiori quo fieri potest modo repraesentent amorem illum castissimum atque sanctissimum, quo Christus Ecclesiam amplectitur.

Audiantur, quae egregie tradit citata Encyclica de coniugali amore: « qui omnia coniugalis vitae officia pervadit et quemdam tenet in christiano coniugio principatum nobilitatis... Caritatem igitur dicimus, non carnali tantum citiusque evanescente inclinatione innixam, neque in blandis solum verbis, sed etiam in intimo animi affectu positam atque, — siquidem probatio dilectionis exhibitio est operis, — opere externo comprobatam. Hoc autem opus in domestica societate non modo mutuum auxilium complectitur, verum etiam ad hoc extendatur oportet, immo hoc imprimis intendat, ut coniuges inter se iuventur ad interiorem hominem plenius in dies conformandum perficiendumque; ita ut per mutuam vitae consortionem in virtutibus magis magisque in dies proficiant, et praecipue in vera erga Deum proximosque caritate crescant... Cum hac eadem caritate reliqua coniugii tam iura quam officia componantur necesse est; ita ut non solum iustitiae lex, sed etiam caritatis norma sit illud Apostoli: « Uxori vir debitum reddat; similiter autem et uxor viro ». Firmata denique huius caritatis vinculo domestica societate, floreat in ea necesse est ille, qui ab Augustino vocatur *ordo amoris* ». (A. A. S. 22 (1930) 548 s.).

Postquam de natura et aliquomodo de necessitate amoris coniugalis disseruimus, iam quaeritur

3. *De habitudine amoris coniugalis ad matrimonii essentiam.*

Matrimonium christianum sub triplici respectu considerari potest: scl. in fieri, in facto esse, et in speciali ratione, qua est Sacramentum.

a) Matrimonium in fieri est consensus, quo fit contractus coniugalis. Numquid amor coniugalis pertinet ad eius essentiam ? Resp. distinguendo: amor sensu primo supra exposito, concedo. Et rationes ibi inveniuntur; amor coniugalis in sensu 2^0 et 3^0 nego. Nam nec necessario nec semper adest.

b) Matrimonium in facto esse spectatum definitur vinculum iuridicum, quo coniuges gaudent iure mutuo ad actus in ordine ad fines matrimonii. Est definitio iuridica, in qua amor coniugalis nec in sensu 3^0 nec 2^0 nec 1^0 continetur. Nam vinculum iuris, semel valido consensu ortum, existentiam suam retinet independenter a caritate mutua coniugum. Immo nec amor, valde imperfectus, inchoatus (sensu 1^0), qui requirebatur ad consensum, amplius necessarius est ad valorem vinculi; nec deficiente amore vinculum deficit.

Ergo matrimonium in facto in suo conceptu essentiali amorem coniugalem non continet, dummodo mere iuridice consideratur. Sed merito quaeri potest, utrum consideratio iuridica rationem matrimonii exhauriat. Certe non. Declaretur exemplo:

Titius et Titia matrimonium contrahunt ac summa harmonia per longam vitam usque ad mortem feliciter uniti vivunt, vident filios et filias usque in generationes. Est connubii quasi typus idealis. Aliud exemplum: Caius et Caia contrahunt coniugium; post paucos menses coram iudice ecclesiastico apparent petentes ob insuperabilem discordiam separationem tori, mensae et cohabitationis, quae ipsis in perpetuum benigne

conceditur. Et sic vivunt per longam vitam usque ad mortem — in matrimonio. Nam vinculum iuridicum remanet et proin definitio essentialis matrimonii etiam in hoc « consortio » verificatur. Tamen nemo non videt maximam differentiam prioris et huius connubii. Quod matrimonio in fieri intendebatur, scl. communis vita, societas plena, participatio mutua laboris et miseriae et laetitiae, in caritate intima, hoc per matrimonium « in facto esse » in uno casu obtinetur, in altero non. Cur non?

Quia deerat elementum omnino necessarium: concordia animorum, unio amoris saltem in sensu secundo supra exposito. Nec potest cogitari *societas vere coniugalis,* per totam vitam producta, quin simul cogitetur elementum illud maxime necessarium, fundamentum, cui superstruitur, scl. amor coniugalis. Qui utique non semper actu, sed saltem habitu adest; et quamvis forte in singulis casibus ex vi virtutis caritatis coniugalis non semper sequatur actus et exercitium effectivum caritatis, tamen remaneat oportet promptitudo quaedam remota, satis firma, ad recuperandam concordiam forte ad breve amissam, ad restaurandam caritatem actualem et societatem coniugalem intimam.

Ex his patet: matrimonium in facto esse spectatum si sumitur sensu abstracto, *mere iuridico*, in sua essentia non continet amorem coniugalem; si vero consideratur sensu pleno, in sua, ut ita dicam, *vitali totalitate*, amor coniugalis ad eius essentiam pertinet.

Quod etiam encycl. « Casti connubii » innuere saltem videtur dicens: « Haec mutua coniugum interior conformatio... primaria matrimonii causa et ratio dici potest, si tamen matrimonium non pressius ut institutum ad prolem rite procreandam educandamque, sed latius ut totius vitae communio, consuetudo, societas accipiatur » (l. c. 548 s.). Ut autem omnis ambiguitas

excludatur, iterum notantum est, matrimonium in sensu pleno acceptum necessario in suo conceptu includere matrimonium iuridice consideratum.

c) de speciali ratione matrimonii, qua est sacramentum. Cum, sicut can. 1012 CIC enuntiat: « Christus Dominus ad sacramenti dignitatem evexit ipsum contractum matrimonialem inter baptizatos », ratio sacramenti invenitur in matrimonio, « in fieri » considerato et de eo valent, quae supra sunt dicta.

Sed dices: ad matrimonii definitionem, quatenus est inter baptizatos sacramentum, requiritur amor coniugalis tamquam elementum definitionis essentiale. Et probas: Sacramentum matrimonii duplicem exercet significationem, unam quae ei est communis aliis sacramentis, scl. significat gratiam quam operatur; altera vero ei est plane specialis scl. significat unionem mysticam Christi cum Ecclesia, et quidem secundum expressam S. Pauli doctrinam (Eph. 5, 25 ss.) sub ratione caritatis maritalis. Jam vero significatio haec non fit secundum rationem accidentalem, sed utrique significato essentialem. Ergo caritas coniugalis est elementum essentiale sacramenti matrimonii. Adde, quod elementum iuridicum, quod in matrimonio humano ut unicum elementum essentiale statuitur, nec posset esse ratio comparationis, cum inter Christum eiusque sponsam Ecclesiam nequeat existere vinculum iuridicum proprie dictum. En difficultas solvenda!

Resp. 1° S. Paulus loco citato matrimonium Christi mysticum et christianorum comparat eo fine, ut inde conclusiones practicas pastorales de mutua coniugum reverentia, obedientia, caritate deducat; non autem doctrinam de essentia utriusque connubii proponere intendit, etsi proprietates quasdam essentiales innuat. Ergo ex comparatione a S. Paulo facta quoad essentiam matrimonii christiani nihil erui potest. 2° Omnino

retinendum est, matrimonii sacramentum subsistere, etiamsi amor coniugalis (sensu secundo vel tertio) desit. 3° Ut vero sacramentum et societas coniugalis christiana vere et quoad fieri potest perfecte formam connubii mystici Christi cum Ecclesia exprimat, caritas intima supernaturalis nequit abesse, immo in hac suppositione ad essentiam pertinet.

Ex tota expositione elucet amorem coniugalem maximi esse momenti, immo obtinere primatum quendam nobilitatis. Cur vero et quo iure in definitionibus matrimonii communiter traditis nulla fit eius mentio, sed tantum elementi iuridici? Paucae rationes solummodo afferantur, desumptae ex natura iuridica. 1° In matrimonio elementum iuridicum adest et adesse debet. 2° Est praesidium necessarium totius instituti, ad firmanda et tuenda iura unius coniugis erga alterum, coniugum erga societatem, sobolis erga parentes et societatem, societatis contra perniciosas tendentias concupiscentiae et egoismi insatiabilis. Inde 3° societatis eiusque auctoritatis multum interest diiudicare, vigilare, tueri, corrigere matrimonia subditorum. Quae activitas nequit attingere nisi ea quae iuridice externa forma constant. Proin, ex rationibus practicis et valde necessariis tota attentio in elementa iuridica matrimonii, utpote externa et firma dirigitur; de caritate coniugali, tot fluctuationibus exposita, non curat. Accedit 4° in relationibus ethicis hominum caritatem principatu gaudere honoris atque nobilitatis, iustitiam vero eiusque integram observationem primatum tenere necessitatis.

His rationibus sat intelligitur, in definienda essentia matrimonii atque in deducendis inde principiis moralibus-iuridicis fere unice respici elementum iuridicum, non vero amoris; a quo abstrahitur, quin eo ipso negetur.

4. *Conclusio*

Sunt moderni qui eo usque procedunt ut dicant, deficiente amore (et saepe intelligunt amorem affectivum sensualem tantum), sive initio sive decursu matrimonii, vinculum coniugale esse rescindendum. Quam exaggeratum hoc et falsum sit, nova probatione non indiget.

Sed ex altera parte cavendum est a negligentia huius elementi, et in theologia morali-pastorali et in pastoratione practica obligatio gravis *specialis* reverentiae ac caritatis, quae coniugibus incumbit constanter et incunctanter urgeri potest et debet. Quoad relationes domesticas et sexuales aequa ratio habeatur dignitatis personalis, ne forte e.g. ob finem remedii concupiscentiae in quibusdam casibus uxor degradata ad vilem statum obiecti libidinis appareat, ne ius quod ab altero postulari queat, caritatis nobilitatem obruat. Audiatur encyclica saepius citata: » non solum iustitiae lex, sed etiam caritatis norma sit illud Apostoli: « Uxori vir debitum reddat; similiter autem et uxor viro », et... « divina caritas esto perpetua moderatrix officii » (l.c. 549 s.). Cuius principii sane sapientissimi applicationes ad casus practicos a nobis merito hic omitti possunt.

Doctrinam vero, quae est fructus huius primae partis, breviter complecti licet:

1. Matrimonium nec esse nec recte concipi potest sine iure, ex mutuo consensu orto quo coniuges ad fines connubii obtinendos ligantur. Ad essentiam coniugii ergo pertinet elementum iuridicum.

2. Simul ex indole naturae humanae et proin ex voluntate Dei, conditoris naturae et praesertim ordinis christiani eruitur maxima convenientia, immo necessitas quaedam amoris coniugalis.

3. Qui amor ad matrimonii essentiam non perti-

net (nisi in sensu valde imperfecto), si respicis tantum elementa ultima, quae necessario et semper in omni coniugio adesse debent. Si vero respicis matrimonium in tota sua plenitudine, qua et vinculum iuridicum et simul communionem totius vitae dicit, amor maritalis profecto inter elementa essentialia est numerandus.

4. Numquam vero amor mutuus dici potest ratio matrimonii unica, per se stans, qua et ipsum connubium et eius usus, independenter vel forte contra fines matrimoniales iustificari possint.

Quod magis declaretur in secunda parte, iam exponenda de fine primario, qui est procreatio prolis eiusque habitudine ad essentiam matrimonii.

II.

Tria sunt elementa, quae in matrimonio considerari queunt: elementum iuridicum, amoris coniugalis, et finalitatis. De duobus prioribus actum est modo; de tertio quaestio erit nunc. Sicut supra in expositione obiectionum, quae contra coniugii conceptum traditionalem proferuntur, dictum est, omnes quidem conveniunt in eo, quod finem matrimonii admittant procreationem prolis. Sed qualis est iste finis? Alii dicunt esse finem tantum operantis, i. e. qui non a natura matrimonio inditus est, sed qui libere a nupturientibus vel permitti vel appeti vel positive excludi possit. Alii vero concedunt esse finem operis, i. e. a natura necessario praestitutus, sed non finem primarium; consequentia est inter fines matrimonio assignari solitos non haberi hierarchiam quandam, sed omnes independenter ab invicem, in eadem linea positos posse appeti vel excludi. Dummodo ne omnes fines simul positive excludas, poteris iure coniugali uti.

In doctrina autem catholica traditionali, dicunt, momentum finis, scl. procreationis, valde exaggerari. Statui enim finem *primarium,* cui alii subordinentur, cuius exclusio usum matrimonii faciat graviter illicitum, cuius impossibilitas ipsam essentiam connubii irritam reddat.

Verum quidem est et omnino tenendum, procreationem esse finem primarium coniugii. Quo ambitu autem, qua ratione se habeat ad matrimonii essentiam, hoc nunc declarandum manet.

Tendentia sexualis ordinarie in unionem corporum tendit tamquam in finem suum proximum. Ope instinctus homines ad ineundum matrimonium et in eo ad commercium carnale impelluntur; hoc naturali modo ponentes (positivum elementum) nec effectus eius naturales impedientes (elementum negativum) satisfaciunt ei, quod in opere coniugii opus humanum dici potest. Ideo in copula rite posita satisfactio, quietatio tendentiae sexualis obtinetur, activitas humana sexualis interim sistit. At natura non sistit. Copula enim a natura non intenditur propter se ipsam, non ut finis ultimus, sed ut finis proximus, propter aliud, tamquam medium ad finem remotum, qui est procreatio prolis. Ad activitatem humanam (positivam et negativam) accedat oportet opus naturae, scl. fecundatio et generatio. Quae obtineri queunt per se quolibet carnali actu completo, sive matrimoniali sive extra-matrimoniali. Ordinate autem et secure atque quantum fieri possit, perfecte neque generatio neque multo minus prolis educatio obtinebitur nisi *in* matrimonio stabili, perpetuo, monogamico. Ex hoc infertur, matrimonium a natura esse institutum ad hoc, ut propagatio generis humani sensu pleno accepta modo ordinario et condicionibus hominum digne accomodato fiat. In hunc finem nobilissimum et maxime necessarium a naturae Conditore connubium ordinatur, vel ut verbis scholae et Codicis

utar: procreatio et educatio prolis est *finis operis primarius* matrimonii.

Finis est; non essentia, sed bonum extra rationem essentialem positum, quod ope matrimonii appeti et obtineri potest.

Finis operis est, non operantis; independenter enim a libera contrahentium voluntate, ipsâ sua natura contractus matrimonialis in hoc tendit, nexu quodam interno et necessario. Iste nexus describi graphice sic potest: Consensus matrimonialis — ius ad actus coniugales — actus carnalis — procreatio et educatio.

Ex quo iam reliquae *conclusiones* facile et brevi deduci possunt, scl.

1) Consensus verus coniugalis necessario pro obiecto habet ius ad actus coniugales. Stante ergo consensu non potest non sequi istud ius. Nexus primus ergo est necessarius.

2) ius vero non importat necessario exercitium iuris. Coniuges enim libero consensu continentiam observare possunt. Nexus ergo secundus a libera voluntate viri et feminae dependet. Neque finis procreationis ita essentialis consortio coniugali est, ut necessario obtineri, appeti vel eius medium i. e. commixtio carnalis adhiberi debeat.

3) Actus iste, corporaliter se uniendi ex ordinatione naturae necessario quidem tendit in hoc ut uxor mater fiat; sed hoc obtinetur de facto tantum si impleta est duplex condicio:

a) Si omnia requisita ex parte naturae adsunt, et *b)* si actus ipse a coniugibus rite est positus. Prima condicio non subest liberae voluntati humanae, nisi negative (non corrumpere naturam). Altera vero subest, et proin in ea finis matrimonii urget eo sensu, quod ob istum finem naturalem coniugibus numquam liceat ponere actum cum positiva exclusione fecunda-

tionis. Talis modus esset contra ordinationem naturae, graviter illicitus nec posset ullo alio fine matrimonii (e. g. ob remedium concupiscentiae, etc.) cohonestari.

4) Quibus positis, iam intelligitur responsio ad quaestionem, utrum procreatio prolis sit solum finis operis primarius, an etiam *essentialis* et in quo sensu. Distinguendum est: si finem essentialem intelligis eum qui necessario obtinendus est ita ut secus ratio et essentia matrimonii deficiat, *nego;* si finem intelligis, quem coniuges necessario et essentialiter saltem appetere debent, *nego.* Tandem si intelligis finem, in quem matrimonium ex interna natura ordinatum est, ita ut quaevis condicio in limine contractus coniugalis contra procreationem prolis apposita, ipsum matrimonium irritet, *concedo.* Et in hoc sensu ipsa finalitas intrat aliquomodo in essentiam matrimonii. Et huic correspondent etiam, quae S. Thomas dicit (S. Theol. III. q. 49. a. 3. in corp.), primo aspectu expositis contraria. « Alio modo possunt considerari fides et proles, secundum quod sunt in suis principiis, ut pro prole accipiatur *intentio* prolis, et pro fide debitum servandi fidem, *sine quibus* etiam matrimonium *esse non potest*... ». Ex quibus concludi posse videretur, finem procreationis saltem essentialiter appetendum esse. Sed S. Doctor immediate sequentibus suam mentem pandit, dicens: « ita quod si aliquid contrarium his exprimeretur in consensu, qui matrimonium facit, non esset verum matrimonium: et sic accipiendo fidem et prolem, constat quod proles est essentialissimum in matrimonio... ».

5) Quaeri potest, utrum *possibilitas* generationis ad rationem matrimonii validi essentialiter requiratur, ita ut in casu impossibilitatis valor connubii impediatur. Resp. Quaestio in controversiam sat notam de impotentiae conceptu redundat. Ideo omissis omnibus aliis argumentis respiciantur simpliciter ea, quae supra

de finalitate tendentiae sexualis sunt dicta. Distinguenda est duplex finalitas: una, qua indoles sexualis in activitatem humanam (sec. elementum positivum et negativum) tendit, altera, qua ope activitatis humanae in opus naturae (fecundationem etc.) est directa. Prior sola subest potestati nupturientium, altera eis manet subducta; prior ergo ipsum consensum matrimonialem, contractum coniugalem afficit, altera non.

Et proin, si impossibilitas generandi simul cum impotentia coëundi habetur, matrimonium irritatur; secus non. In tali sensu sumpta, possibilitas generationis intrat (vel potius non intrat) in rationem essentialem matrimonii. Sed 6° nonne talia contradicunt eis, quae supra de irritatione connubii ex condicione inhonesta apposita statuimus? Nam in casu, quo in limine contractus fit conventio de abutendo semper matrimonio, et in casu quo e. g. mulier excisa ducitur, possibilitas generationis iam ab initio excluditur. Cur in priori casu matrimonium irritatur, in altero non? Cur finis primarius coniugii ibi in essentiam redundat, hic non? Ratio differentiae consistit in eo, quod in uno contractu per condicionem pravam contra bona substantialia matrimonii (proles, fides, Sacramentum) appositam ipsum « opus humanum » et proin consensus vitiatur et tollitur. In altero casu vero opus humanum et proin consensus non attinguntur.

Quid vero, si coniuges, matrimonium ineuntes, condicionem pravam apponunt ut mulier (sine necessitate) operationem subeat qua generatio omnis futura excludatur? Resp. Si condicio haec ponitur e. g. in sponsalibus et ante contractum matrimonialem opere exsequitur, est quidem graviter illicitum, sed matrimonium subsequens valere dicendum est. Si condicio apponitur in actu contrahendi matrimonii, est condicio contra bonum prolis, destruens activitatem humanam in opere coniugii (i. e. sec. elementum negativum

« ne impediatur effectus actus coniugalis »), et sic ipsum consensum. Haec dicta sint salvo meliori iudicio.

Complectamur paucis, quae hac II. parte sunt dicta. Matrimonium est institutum naturae ea destinatione praeditum ut inserviat ad ordinatam generis humani propagationem. Homines, libere coniugium ineuntes et eo libere utentes, nec eius fructus naturales excludere possunt. Et his continetur, quae vera sunt in illo modernorum impudicissime dicto: « matrimonium est fabrica prolis ».

Nullo autem modo procreatio prolis est unicus finis, nec necessario obtinendus nec necessario appetendus (dummodo non excludatur), nec amorem coniugalem vel dignitatem personae humanae destruit. Immo eam mirum in modum elevat, sicut perbelle Enc. « Casti connubii » exponit, cum enim finis non tantum materialis et pura sit generatio, sed actio maxime spiritualis, quam Codex, can. 1013 § 1 nervose proponit: « procreatio *atque educatio* prolis », ut « populus Dei et Salvatoris nostri cultui addictus in dies augeatur » (A. A. S. 22 (1930) 544).

Ecclesiae doctrina de matrimonio, aeque remota ab omni exaggeratione et radicalismo, matrimonium in plena sua totalitate complectitur, proponens et defendens et elementum iuris et caritatis et finalitatis, inferius et sublime, animale et spirituale, naturam et supernaturalem gratiam, iuris rigorem atque caritatis splendorem.

Ivo Zeiger, S. I.

De dolo et eius effectibus in admissione ad novitiatum et professione religiosa.

Canon 103 cavet posse a iure declarari invalidos actus ex dolo positos, qui, nisi talis declaratio accederet, ex generali principio validi essent.

Iam vero, omnes uno ore affirmant, in ea exceptione includi admissionem in novitiatum et professionem religiosam (can. 542, n. 1, et can. 572, § 1, n. 4⁰).

Sed praestat hanc exceptionem amplius exponere; quia, etsi prima fronte expositio facilis apparet, difficultatibus forsitan non levibus scatet, quae dein in praxi dubiis locum praebent et solutionem non claram sed obscuram faciunt.

Sit, ergo, ordo huius declarationis, agere: I. *de dolo et eius effectibus,* speciatim relate ad admissionem in novitiatum et professionem religiosam; II. *de peculiari ratione qua dolus intervenit in utroque actu iuridico;* III. *de quaestionibus nonnullis.*

I. — De Dolo eiusque effectibus

I. Cum de actibus iuridicis sermo est, dolus importat praesertim hoc, videlicet: *vitium consensus.*

Determinatio voluntatis quaelibet, manifestata in ordine ad effectus iuridicos generandos, cui lex provident, ita ut reapse consectaria iuridica locum habeat, vocatur actus iuridicus seu negotium iuridicum. Requirit praecise in agente voluntatem liberam, quae externe manifestetur; ex utroque, enim, voluntate libera et manifestatione externa, consensus verus efficitur, ad negotium iuridicum aptus. Consensus multifarie vitiari contingit; impedimenta enim libertatis et

manifestationis voluntatis diversissime agunt. Sunt praeterea nonnulla quae non supprimunt consensum, sed infirmant, et effectus iuridicos non plene generari permittunt.

Dolus est in genere horum. Describitur, autem, uti *omnis circumventio commissa in conclusione negotiorum iuridicorum.*

Dolus inducitur in alterum, cui circumveniri adhibitis artificiis intenditur. Est, ergo, manifestatio voluntatis alicuius antiiuridicae, quae fidem violat, totius humani commercii fundamentum. Dolus si adhibetur in negotiis bilateralibus committitur ab una parte in alteram, vel inducitur a tertia persona sive in odium unius partis, sive in commodum proprium tertii.

Omnibus, vero, in his, propositum elucet alicui sub ficticiis bonorum vel malorum repraesentationibus damnum inferendi.

Ex quo proposito oritur explicatio mediorum ad consensum alterius partis obtinendum in actum vel contractum; ita ut ex eo sequatur ea animi dispositio, quae favorabilior vel commodior est inductori doli.

Dolus potest esse bonus vel malus, prout finis intentus sit bonus vel malus. Sic e. g. iuridice dolus habetur bonus, quando quis artificiis consequitur suam rem vendere pretio maiori quam realiter habet, dummodo ex differentia non oriatur laesio ultra dimidium.

Ait Ulpianus: « Posse et sine dolo malo aliud agi aliud simulari, sicuti faciunt qui per eiusmodi dissimulationem se servant et tuentur vel sua vel aliena ». (D. IV, 3, 2).

Unde iurisperiti romani veteres « dolum etiam bonum dicebant et pro sollertia hoc nomen accipiebant ». (D. IV, 3, l. fr. 3).

Dolus inducitur mediis diversis quae satis indicari videntur in classica eius definitione: *calliditas, falla-*

cia, aut machinatio, ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita. Nam calliditas habetur *tacendo,* fallacia committitur *decipiendo* mendaciis, machinatio committitur *factis,* sive occulte insidiando. (REIFFENSTUEL, in tit. de dolo, X (II, 14).

Recensita media, quae commode comprehendi possunt sub nomine artificiorum, talia debere esse diceres quae impressionem facere possint in personam vere seriam atque prudentem. Ergo levi violatione bonae fidei nemo dolum constitui putabit. Sed difficultas erit non levis quidem, si agere velimus de criterio definiendo quo tandem actus dolosi ab actibus non dolosis distinguantur, vel quando applicari debeat sanctio doli, et quibus in casibus non applicetur, seu quando detur iuridice dolus et quando non detur.

Constat, apud Romanos, non fuisse normam aliquam distinctam et claram, qua actio doli concederetur.

Actio doli erat una ex illis quam in iudiciis experiebantur non iuxta normas stricti iuris, sed applicando aequitatem, ad corrigendas iniquitates iuris civilis; in eo, enim, nullum aderat remedium adversus fraudem.

Habebatur, vero, veluti principium fundamentale, videlicet: quod malitia neque lucrum afferret dolosis, neque simplicibus nocumentum importaret. « Hoc edicto praetor adversus varios et dolosos, qui aliis offuerunt calliditate quadam, subvenit, ne vel illis malitia sua sit lucrosa, vel istis simplicitas damnosa ». (D. IV, 3, 1). Iurisperiti praeterea recensuerunt casus in quibus praetor concedere poterat actionem (vel in casu exceptionem) doli. Si quis autem attente eos prout in Digestis (IV, 3) relati sunt consideret, fortasse putabit elementa constitutiva doli iuridici in doctrina romana efformari posse:

1) ex *gravitate medii* adhibiti « nam nisi ex magna et evidenti calliditate non debet de dolo actio dari ». (D. IV. 3, 7, fr. 10).

2) ex *intentione decipiendi :* « cum ille decipiendi causa adfirmasset se aequa pondera habere ». (D. IV. 3, 18 fr. 3).

3) ex *quantitate damni :* « merito causae cognitionem praetor inseruit : neque, enim, passim haec actio (doli) indulgenda est. Nam ecce in primis, si modica summa sit, id est usque ad duos aureos, non debet dari ». (D. IV. 3. 9 fr. 5, 10, 11).

4) ex *qualitate personae :* « et quibusdam personis non dabitur ». (D. IV. 3, 11). Ut ergo habeatur dolus in quocumque negotio iuridico haec quattuor requiri videntur : *a*) actus nocivi, seu apti ad nocumentum producendum, *b*) intentio nocendi, *c*) media adhibita, quae superent eam circumveniendi rationem quae generatim permittitur in negotiis humanis, *d*) quae vere influant in personam contra quam artificia adhibet inductor doli.

Dolus regulariter exercetur per actus positivos ; coniungitur, autem, cum simulatione. Sed, ut patet, dolus committi potest etiam omissione, ut accidit in eo qui ad contractum pergit, cum voluntate mere passive se habendi, etiamsi pars contraria in errorem incidat ; adest enim obligatio auferendi errorem in negotiis contractualibus. « Dolum malum, ait Florentinus, a se abesse praestare venditor debet, qui non tantum in eo est, qui fallendi causa obscure loquitur, sed etiam qui insidiose (obscure) dissimulat ». (D. XVIII, 1, 43, fr. 2).

Immo, reticentia veri potest etiam generare dolum ; quamvis putemus reticentiam, proprie dolosam, non dari nisi cum lex imponit obligationem loquendi.

Doli *effectus* immediatus est *error.* Sed ius non ideo succurrit decepto, quia errorem passus est ex

dolo, sed praecise quia *iniuste* passus est. Hinc differentia inter eum qui errorem patitur fortuitum et errorem dolosum. Nam in errore fortuito actus erit invalidus, si error fuit substantialis aut cadens in condicionem sine qua non, sed praeter hoc, nulla aderit v. gr. obligatio resarciendi damna, si quae fuerunt (salvo can. 1684 § 2); in casu vero, dolosi erroris, e contra.

Unde triplex potest hypothesis fieri: 1) nam dolus vel aufert elementum essentiale ad actum (can. 1680); 2) vel ex declaratione legis reddit actum invalidum; 3) vel dolus producit damnum in eo qui passus est.

Dammi eventus realiter abesse potest in prima et secunda hypothesi. In primo casu actus fuit nullus vel inexsistens; in secundo actus exsistit, effectus autem impediuntur a lege. Ubi vero sunt damna, dantur quoque iuris remedia ad ea resarcienda, sive actione rescissoria, sive obligatione imposita a iudice ad compensandum damnum. Sed in triplici casu contemplato, datur a iure actio congruens, remedium iuris, quo reparetur iniuria illata a dolo, etiam si ex illo nullum commodum contingat ei, qui illum induxit.

Iam haec principia, quae valent generatim in doctrina communi de dolo, applicari convenit ad casum de *dolo commisso in admissione ad novitiatum,* vel *in professione religiosa.*

Natura utriusque actus non eadem est. In *professione* religiosa agitur de vero contractu bilaterali, quo oritur ultro citroque obligatio: ex parte religionis, habendi professum ut membrum, cum iuribus et obligationibus propriis, ex parte profitentis obligatio vivendi iuxta institutum cui traditur.

In *admissione ad noviciatum,* hae duae obligationes contrahuntur veluti inchoative, ut praeparatio et anticipata experientia definitivae admissionis in religionem.

Natura proinde utriusque actus iuridici non est eadem, quantumvis remaneat in eadem linea iuridica. Sed in utroque negotio consensus partis cuiusque eodem modo requiritur ad perfectionem actus iuridici. Immo natura negotii talis est, ut ipse consensus potiores in eo partes habeat.

In *professione* religiosa, cum sit actus iuridicus, suum influxum exercet dolus ex ipso iure naturae: id est, actum reddendo nullum, si error, quem producit dolus, in quamcumque partem cadens, sit substantialis. Lege ecclesiastica, utrum professio religiosa sit nulla, si *emittens*, dolo circumventus, inciderit in errorem accidentalem, dicemus statim.

Pariter in *admissione ad novitiatum* error substantialis invalidat actum, quaecumque demum sit pars quae errorem patitur, si ex dolo provenit; insuper dari potest error accidentalis, proveniens ex dolo, admissus sive a Superiore recipiente, sive ab eo qui ingreditur religionem.

Quo iure invalida fit admissio?

Si de errore accidentali agitur, tantum iure ecclesiastico; si, vero, de errore substantiali sermo sit, affirmare videtur cl. Badii invaliditatem propter errorem causatum a dolo, provenire quoque ex iure ecclesiastico. Hoc autem minus accurate dictum putamus. (Badii, Il dolo, in *Il Diritto Ecclesiastico*, 1929, p. 313).

Quis error substantialis, seu quis error est qui versatur circa id quod constituit substantiam professionis religiosae vel admissionis in novitiatum? quis error recidit in condicionem sine qua non? (can. 104).

II. — De peculiari doli ratione in admissione in noviciatum et professione.

Professio religiosa non est solum contractus bilateralis inter profitentem et Superiorem acceptantem.

Accedit elementum alterum, *oblatio*, nempe, *trium votorum substantialium*, quae fit inmediate Deo. Est, ergo, in professione religiosa duplex iusta causa.

Error, cadens in alterutram vel utramque causam, est error substantialis, nullam reddens professionem religiosam. Planum est hunc errorem solum cadere posse in profitentem, vel in eo produci, qualibet circumventione dolosa ; e contra minime concipitur qua ratione dolus gigneret errorem talem substantialem in Superiore professionem recipiente.

Sed praeter hanc condicionem essentialem professionis religiosae, suas habent partes in hoc actu iuridico, qualitates personarum et indoles ipsius vitae religiosae in aliquo determinato Instituto. Etiamsi professioni religiosae praecedat noviciatus, cuius finis est, de utrisque cognitionem plenam praebere ambabus partibus, legislatori tamen curandum fuit effectibus doli et erroris consequentis speciali aliquo remedio succurrere. Supponitur, utique utramque partem toto illo tempore sibi consulere debuisse, verum, quod attinet ad profitentem, ius cavere voluit peculiariter plenae eius libertati, et in casu professionis religiosae emissae cum dolo profitentis actum invalidum reddidit.

Age ergo, libertati profitentis opponitur primum error circa substantiam vel appositio condicionum substantiae professioni oppositarum, sive dolo inductus sive etiam ignoranter et sine culpa id fiat: e. gr. si quis profiteatur, putans se posse semper religionem relinquere. Secundo quilibet error accidentalis sed dans causam professioni. Hic error, si ex dolo procedit, invalidatne similiter professionem, ex iure ecclesiastico vi canonis 572 § 1, n. 4° ?

Difficultas erit primum in definiendo errore accidentali, qui, in emittente vota, religiosae professionis causam dat. Etenim nimis facile videtur induci posse

ex dolo error quicumque levis, qui propter condicionem subiectivam emittentis det causam professioni.

Si difficilius occurrit casus, quo Superior candidatum ad professionem dolo circumveniat, et producat in eo errorem accidentalem, dantem professioni causam, sat facilis cogitatur, si tertia persona v. gr. parentes in causa sint. E. gr. Parentes candidati ad professionem proximi, animadvertunt hunc religioni relinquendae inclinatum esse. Illi, animo filium in religione retinendi, fingunt verbis, vestibus, actis se tali indigentia laborare ut condicio candidati extra religionem sat difficilis futura sit. Novicius ergo, hoc errore deceptus, seipsum determinat ad professionem faciendam, cogitans, tamen, se eam non facturum si parentes meliori condicione se haberent.

Atqui dolus tertii, ex consensu omnium auctorum, invalidat professionem religiosam.

Nam, quidquid sit de quaestione disputata apud civilistas circa efficaciam doli a tertio commissi in ordine ad validitatem contractus, in casu nostro potuit legislator, professionem nullam in eo casu reddere, propter libertatem completam, quam in actus professionis tuetur. Non prodest ergo dicere, validitatem contractus independentem esse a dolo tertii, ex eo quod contractus nullitas esset iniusta, utpote cadens in poenam innocenti, ut dicunt civilistae.

Praeter, enim, quam quod sanctio doli non censetur habere characterem poenalem, sed videtur inducta tantum ratione boni publici, in casu nostro ratio plene sufficiens ut legislator caveret de nullitate professionis dolo ex parte profitentis emissae, stat in eo quod causa proxima et principalis professionis religiosae est in bonum ipsius candidati. Potuit proinde non respici ad aliam partem, ad Superiorem videlicet recipientem; praesertim cum ad contractum accedat,

ut pars essentialis professionis, emissio votorum, quae omnino libera sit oportet.

Itaque, *si rigorem iuris attendas*, ex doctrina Codicis de dolo, exposita in can. 103 insimul cum can. 104, recte infertur errorem accidentalem, qui dat causam professioni, provenientem ex dolo nullam facere professionem religiosam. (Cfr. BADII, *Il dolo nel Codice di diritto canonico*, in *Il Diritto ecclesiastico*, XL (1929), pag. 313.)

Si autem quis inspiciat consectaria, mentem iuris, disciplinam Codici anteriorem, in qua tantum requirebatur ut professus non laboraret *errore substantiali* de obiecto votorum et traditionis (Cfr WERNZ, *Ius Decretalium*, III, n. 642) fortasse non improbabiliter dicet, hanc doctrinam non esse immutatam, sed potius simpliciter expressam in Codice, cum iam in antiquo iure requireretur consensus plenus atque perfectus ipsius religiosi professi.

Si sermo sit *de actu admissionis ad noviciatum*, ius cavet, ut diximus, de doli effectibus et in Superiore admittente, et in eo qui religionem ingreditur (can. 542, n°. 1).

Quodsi legislator voluit validiori remedio succurrere libertati, cognitioni et deliberationi tam Superioris quam candidati, satis apparet etiam consensum utriusque partis, omnino purum atque liberum in admissione ad novitiatum requiri.

Itaque, consensus candidati fertur in admissione ad novitiatum, in traditionem sui ipsius ad talem religionem experimenti gratia. Effectus, vero, doli in candidato diversissimi esse possunt. Nam error, immediatus effectus doli, versari potest circa plurima. In primis circa naturam status religiosi, saltem quatenus significat statum permanentem, circa necessitatem ipsius ad salutem aeternam, etc.

Certe cognitio candidati saltem sufficiens esse debet de substantialibus religionis; ex ipsa institutione noviciatus plurima sunt quae in tirocinio discenda erunt, v. gr. quae ad vota et ad virtutes pertinent (can. 565 § 1); plurima ipsam substantiam vitae religiosae pertingunt; in animo vero candidati esse potuit corrigere in noviciatu errores omnes, quos de vita religiosa haberet, etiam quos forsitan habuerit, ex circumventionibus dolosis.

Unde fortasse errores substantiales in professione religiosa, non tales erunt in casu admissionis in noviciatum; ergo, undecumque proveniant, etiam ex dolo, singillatim examinanda erunt antequam ad invaliditatem ingressus deveniatur. Quod videtur mihi deduci ex ipsa natura noviciatus.

Quod si errores recidant in condicionem sine qua non, etiam accidentales, invaliditas admissionis erit certa. Puta si quis ingreditur religionem falso existimans parentes Deo promisisse eius ingressum, dum aliter nullo modo ingressus esset, quando haec falsa notitia sit inducta ex fraude vel dolo ipsorum parentum vel tertii.

Sed si agitur de errore accidentali, dans causam ingressui in religionem, quaestio iam posita agendo de professione religiosa ex dolo accidentali emissa, hic quoque revertitur, et utramque solutionem, ibi indicatam, admittit. Addendum est, argumentis alterius sententiae, errores hos etiam ex dolo provenientes multo facilius purgari in ipso noviciatu; proinde non tam graviter afficere ipsam libertatem ingressus, cuius tuitio tandem ratio ultima mentis legislatoris in canone 542 esse videtur.

Error qui dolo inducitur in Superiorem admittentem in religionem, afficit praecipue qualitates candidati. Nam si error recideret in personam ipsam candidati, nimis planum est admissionem nullam fore.

Qualitates intellegimus sensu latiori, ita ut impedimenta omnia complectantur. Quod attinet ad impedimenta quae ex iure sive communi sive alicuius religionis proprio, admissionem reddunt nullam, nihil nobis dicendum est, cum ipsa per se vim suam exserant. Tantum in trutinam revocamus, ea quae de valore impedimenti doli disputare cogimur.

De efficacia doli exerciti *circa impedimenta secundaria* debent aliqua specialiter considerari. Nam animus Superioris recipientis potest esse dispositus ita ut statuat condicionem sine qua non admissionis, candidatum illis impedimentis carere.

Tunc error Superioris sive fortuitus sive dolosus invalidat admissionem ad noviciatum.

Sed saepius animus Superioris non ita invenitur paratus, sed simpliciter renuit illicite agere. Tunc error fortuitus incidens in actum admissionis, hanc invalidam non faciet. Si autem agitur de errore doloso, si quid opinor, ingressum esse invalidum dicendum videtur. Sit exemplum candidati aere alieno gravati, vel reddendae rationi obnoxii, qui inquisitus a Superiore mentitur. E mendacio ortus est in Superiore error dolosus, dans causam actui, cum praesumatur Superiorem illicite agere non velle; quid deest ut dici debeat Superiorem recepisse dolo inductum?

In constitutionibus solent praeterea alia impedimenta indicari quae candidatum non inhabilem, sed illum minus idoneum reddunt ad religionem. Id generis sunt qualitates morales, character plus minusve aptus ad vitam religiosam. Superior admittens considerare insuper cogitur dotes intellegentiae, defectus iudicii, et praecipue condiciones valetudinis, infirmitatis, morbi vel defectus corporales. Iam error, qui de his in Superiore gignitur, si artibus inducitur, machinatione, mendaciis, est error dolosus; eius effectus in ordine ad admissionem in religionem iudicandi

sunt ex regulis generalibus doli. Atqui dolus nullos declarans actus ex dolo positos, ut in casu can. 542, est dolus determinans seu dans causam admissioni in religionem.

Itaque ultima ratio determinans nullitatem admissionis, in animo Superioris reposita esse videtur. Quare, valde opportunum est, ut ait VERMEERSCH (*Epitome I. C.* I, p. 391) aspirantes de impedimentis ingressus et de vi simulationis vel dissimulationis certiores facere. Etiam tertia persona v. gr. parentes machinare possunt iniuste ingressum candidati in religionem, occultando vel disimulando qualitates, vel valetudinem ipsius, ita ut dolo deceptus Superior eum admittat. Numquid est valida haec admissio ?

Non diffitendum est in applicatione doctrinae doli ad ingressum in religionem, inveniri aliquam inelegantiam iuridicam, qua effectus non satis adaequari causis videri possunt.

Praesertim, si attendas non ita difficulter accidere posse nullitatem admissionis ex motivis vel rationibus quae in decursu noviciatus disparere solent.

Conclusio

1) *Professio religiosa* emissa cum dolo erit invalida, si dolus gignat errorem substantialem, vel recidat in condicionem sine qua non. Non videtur autem exclusa possibilitas professionis validae cum errore accidentali doloso, etsi determinante professionem. At, si ita est, fortasse quis dicet in Codice redundare dolum, uti professionis impedimentum, cum error substantialis invalidet professionem ex iure naturae.

2) *In admissione ad novitiatum*, error ex dolo productus recidens in conditionem sine qua non, admissionem invalidam reddit. Error substantialis invalidans admissionem est error afficiens generaliora principia vitae religiosae.

Error accidentalis dolo in candidato incussus, determinans eius ingressum non certo admissionem invalidam facere videtur. At iterum, cur Codex statuit, invalide ad novitiatum admitti, qui religionem ingrediuntur dolo inducti ?

Error accidentalis de conditione vel qualitatibus candidati, in Superiore recipiente dolo incussus, dummodo constet vel praesumatur eum non velle recipere in novitiatum nisi immunem a quibuscumque impedimentis, admissionem facit invalidam.

Praesumptio talis adest, circa impedimenta can. 542, n. 2; item circa impedimenta constitutionalia, quorum dispensatio non competit Superiori recipienti.

De ceteris, vero, quamvis logice idem foret affirmandum, forsitan consequentia non congrueret cum mente legislatoris.

III. — De non nullis quaestionibus

Quaestio 1. Dolus estne impedimentum externum ad effectus canonis 586 ? Videlicet « professio inita ob impedimentum externum non convalescit per subsequentes actus, sed opus est ut a Sede Apostolica sanetur, vel denuo, cognita nullitate et impedimento sublato, legitime emittatur. Si autem inita fuerit ob consensus defectum mere internum, hoc praestito, convalescit, dummodo ex parte religionis consensus non fuerit revocatus ».

Quamvis efficacia propria doli sit in eo quod vitiet consensum, tamen ratio specifica impedimenti doli est in reparanda iniustitia et iniuria, quam committit, artificiis adhibitis, machinator in partem deceptam. Ideo non videtur dici posse impedimentum internum ipsi professioni. Professioni cum dolo emissae non deest consensus. Ut optime dicit cl. VIDAL (*De personis*, p. 43): « cum contrahens alterum fraude movit

ad contrahendum, libertatem alterius contrahentis etsi non abstulerit, *iniuste* tamen laesit et iniuriam stricte dictam alteri intulit; ut autem hanc iniuriam reparet, debet alteri contrahenti suam contrahendi libertatem restituere quam dolo iniuste abstulit ».

Insuper elementa constitutiva doli sunt actus illi nocivi, quibus circumvenitur voluntas alterius. Ergo censendum est dolum impedimentum *externum* esse professioni religiosae.

Quaestio 2. Quomodo probatur dolus? Omnia media canonica probationis adhiberi possunt; immo « dolum ex insidiis perspicuis probari convenit » [(L. 6, C. (II, 20)]. Unde partim fieri debet per legitimas coniecturas, praesertim cum unum ex elementis constitutivis doli sit animus nocendi, partim ex natura actuum. Sed de his conferri debent auctores iuris processualis.

Quaestio 3. Quod remedium adhibendum pro sanatione admissionis invalidae in religionem? Quamvis Codex nihil dicat, censendum est tamen, remotis impedimentis, denuo noviciatum incipi debere cum admissione valida. Attamen nihil prohibet recursum ad Sanctam Sedem ut prima admissio sanetur; et ita novitiatus transactus validus efficiatur. Quo in casu, potest agi de nullitate tantum in foro conscientiae cognita, et tunc recursus ac *Sacram Poenitentiariam* esse debebit.

R. BIDAGOR, S. I.

Quaestiones de matrimonio

I. Quinam dicendus *in Ecclesia catholica baptizatus* ad normam can. 1070, § 1.

II. Quinam censeantur *ab acatholicis nati* ad normam can. 1099, § 2, ideoque a canonica forma celebrationis matrimonii immunes.

I.

Quinam dicendus in Ecclesia catholica baptizatus ad normam can. 1070, § 1.

1. Neminem latet, baptismum Christi unum esse eoque, spectato *operis* fine, hominem quemcumque *verae* seu *catholicae* Christi Ecclesiae aggregari.

Sed verba can. 1070, § 1. — quae item occurrunt in can. 1099, §§ 1 et 2 — sensu strictiore et magis accommodato, ut patet, sumi debent, scil. de baptismo quo, attento fine *operantis*, baptizatus formaliter *externae Ecclesiae catholicae communioni incorporatur.* Igitur non factum nudum baptismi attenditur nec simplex ritus quo sacramentum confertur, sed *externa fidei catholicae professio*, unde quis *externae* illius communionis membrum efficitur.

2. Huiusmodi autem *aggregatio* seu *externa communio* — si non pendet ex nudo facto baptismi neque ex simplici ritu — undenam desumenda? Desumi debet ex *ministro* qui confert sacramentum, ex *parentibus aliisve locum parentum gerentibus*, qui infantem baptizandum ministro exhibent, ex *baptizando* ipso, si in adulta aetate reperiatur constitutus ideoque capax exsistat suam intentionem manifestandi.

3. In dubio baptismus praesumitur collatus in Ecclesia catholica.

4. Varii casus accidere possunt, qui nobis breviter sed perspicue examinandi videntur, ut genuinus sensus citati can. 1070, § 1 rite perspiciatur.

1° Certe censentur baptizati in Ecclesia catholica infantes, quos eo fine expresse aut tacite parentes aut eorum locum tenentes a ministro catholico baptizari curant, ut externae communionis catholicae membra fiant.

2° Item baptizati in catholica Ecclesia censentur infantes ab iisdem parentibus nati, ut supra, qui, urgente mortis periculo, baptizati fuerint a ministro acatholico, ea tamen intentione ex parte parentum, ut inde filii Ecclesiae catholicae adscripti habeantur.

3° Pariter censetur baptizatus in Ecclesia catholica eique adscriptus infans a parentibus *catholicis* natus, qui ex dolo vel fraude aut errore baptizatus fuerit a ministro *acatholico*, dum parentes de religione optime meriti filium a catholico ministro baptizari omnino volebant.

Isti sunt casus communiter ab auctoribus memorati, de quibus nulla difficultas. Nunc alii quoque memorandi, de quibus vix ulla occurrit mentio penes theologos et canonistas.

4° Baptizatur infans, filius parentum *infidelium*, in *periculo mortis* a ministro catholico, sacerdote sive clerico aut laico. Censeturne in catholica Ecclesia baptizatus? Procul dubio dicendus baptizatus in Ecclesia catholica, quia, urgente mortis periculo seu cum infans in eo versatur vitae discrimine ut prudenter praevideatur moriturus antequam usum rationis attingat, licite baptizatur, etiam invitis parentibus, ad normam can. 750, § 1.

5° Quid foret dicendum, si idem infans baptizaretur *extra periculum mortis* ab eodem ministro *catholico*?

Si baptizaretur *licite*, certe dicendus foret baptizatus in Ecclesia catholica. Porro, extra mortis periculum, dummodo catholicae eius educationi cautum sit, licite baptizatur: *a*) si parentes vel tutores, aut saltem unus eorum consentiant; *b*) si parentes, idest pater, mater, avus, avia, vel tutores desint, aut ius in eum amiserint, vel illud exercere nullo pacto queant (can. 750, § 2).

Si baptizatus fuerit *illicite*, nempe extra huiusmodi adiuncta, nihilominus in religione catholica iam ab infantili aetate adoleverit, censendus est baptizatus in religione catholica. Si, contra, ab infantili aetate in haeresi aut schismate aut infidelitate vel sine ulla religione adoleverit, res est valde dubia.

Iuxta opinionem quorundam dicendus est baptizatus in Ecclesia catholica ideoque obnoxius impedimento disparitatis cultus, et allegant responsum *S. Officii* diei 1 april. 1922. Sed profecto huiusmodi responsum non dirimit dubium iuris: *a*) quia respicit baptismum collatum a medico catholico « instante mortis periculo », dum hic quaeritur de baptismo collato *extra* mortis periculum; *b*) quia responsum non fuit rite publicatum, ad normam can. 9 et 17, § 2, per editionem in *Actorum Apostolicae Sedis commentario officiali*; *c)* quia *unicum* responsum latum in casu *particulari* satis non est ad quaestionem iuris dirimendam.

Quae cum ita sint, dicendum, impedimentum esse dubium ideoque practice nullum.

6^0 Infans, filius parentum catholicorum, baptizatur in periculo mortis a medico schismatico, qui baptismum confert iuxta ritum sectae suae, dum parentes catholici petunt et volunt eum baptizari et educari in religione catholica. Quidnam? Infans censendus est baptizatus in Ecclesia catholica.

7^0 Baptizatur infans in periculo mortis a ministro *catholico*, clerico aut laico, oblatus a parentibus hae-

reticis vel schismaticis, qui volunt filium aggregari sectae cui ipsimet adscripti sunt. Baptismus collatus in Ecclesia catholica dicendus.

8⁰ Adultus petit ut baptizetur in Ecclesiae catholica a medico aliave persona, quae, contra, baptizat iuxta ritum sectae haereticae eique intendit illum aggregare.

Baptismus collatus est in Ecclesia catholica, ac propterea fit locus praescripto can. 1070, § 1.

9⁰ Idem adultus baptizatur a medico catholico aut alia persona *laica* catholica, sed ipse intendit recipere baptismum iuxta ritum sectae schismaticae eique se velle aggregari expresse declarat.

Verius extra Ecclesiam catholicam baptizatus dicendus.

10⁰ Si contra, in casu praefato, idem adultus recipiat baptismum a *sacerdote catholico* qua tali, iuxta ritum catholicum, baptismus confertur in Ecclesia catholica, non obstante contraria suscipientis interna voluntate, quae huiusmodi baptismi susceptione baptismi destruitur.

11⁰ Parentes apostatae infantem baptizandum offerunt ministro *catholico*, ea tamen intentione ut nihilominus filius censeatur baptizatus *extra* Ecclesiam catholicam, a qua ipsi defecerunt, quamque insano odio prosequuntur.

Huiusmodi intentio in casu nihil efficit: puerulus baptizatus dicendus in catholica Ecclesia.

II.

Quinam censeantur ab acatholicis nati *ad normam can. 1099, § 2, ideoque a canonica forma celebrationis matrimonii immunes.*

1. Filius a parentibus *a catholicis* natus, sed baptizatus *in Ecclesia catholica*, qui educatus fuerit in

religione catholica, non eximitur a canonica forma celebrationis matrimonii. Dum e contra idem filius, quamvis in catholica Ecclesia baptizatus, si ab infantili aetate adoleverit in haeresi vel schismate aut infidelitate vel sine ulla religione, formae celebrationis matrimonii a Codice statutae (can. 1094 et 1095) non subest.

2. Nati a parentibus *catholicis*, sed baptizati forte *extra* Ecclesiam catholicam, tenenturne servare canonicam formam statutam?

Distinguendum: si ab infantili aetate adoleverint in religione catholica, subsunt formae; aliter, si ab aetate infantili educati fuerint in haeresi aut schismate vel infidelitate, aut si absque ulla religione adoleverint.

3. Nati a parentibus, quorum *alteruter* erat *acatholicus*, sive baptizati in Ecclesia catholica sive extra, dummodo ab infantili aetate adoleverint extra catholicam religionem, non subsunt formae canonicae celebrationis matrimonii, etiamsi coniuges in nuptiis ineundis cautiones requisitas praestiterint ad norman can. 1061 et 1071. Ita declaratum fuit a Pontificia Commissione Codicis die 20 iul. 1929 (1).

4. Item ex responso eiusdem Pontificiae Commissionis diei 17 febr. 1930 *nati ab acatholicis*, de quibus in can. 1099, § 2, intelliguntur etiam nati *ab apostatis* (2).

Quidnam, si *alteruter* sit *apostata?* Perspecto responso diei 20 iul. 1929, modo relato, censemus ob analogiam iuris filiis natis ab *alterutro* parente *apostata* applicari praescriptum can. 1099, § 2.

5. Nati a parentibus *catholicis*, *baptizati in Ecclesia catholica*, qui ab infantili aetate adoleverint extra religionem catholicam, tenentur servare statutam formam canonicam celebrationis matrimonii.

---

(1) *Acta Apostolicae Sedis*. XXI, p. 573; *Periodica*, XVIII, 249.
(2) Acta Apost. Sedis, XXII, p. 195. *Per.*, XIX, 266.

6. Filii nati a parentibus *acatholicis*, sectae haereticae vel schismaticae addictis, *baptizati extra Ecclesiam catholicam*, subsuntne formae canonicae, si parentes conversi sint ad fidem catholicam, quando filii erant adhuc infantes iique ab infantili aetate adoleverint in catholica religione? Profecto isti filii censentur catholici ideoque formae a Codice praefinitae obnoxii.

Ratio repetenda est ex peculiaribus iuribus et officiis, quae habent parentes in filios, praesertim rationis usum nondum assecutos, et consequenter ex omnimoda subiectione qua iidem filii erga parentes tenentur. Hinc fit, ut per conversionem parentum acatholicorum ad veram Christi fidem, etiam filii nondum rationis usum assecuti censeantur eo ipso conversi, iuxta communiorem et veriorem sententiam, quae nobis aliisque certa videtur.

Idem dicendum si parentes convertantur ad fidem catholicam quando filii iam pervenerint ad usum rationis et educati fuerint per unum alterumve annum in secta haeretica vel schismatica; postea autem adoleverint in religione catholica. In hoc casu etiam filii ex haeresi aut schismate revera ad fidem catholicam conversi sunt. Aliter foret dicendum, si etiam post conversionem parentum, filii adolevissent in secta haeretica vel schismatica.

7. Filii nati a parentibus, qui fide catholica reiecta, formaliter adhaerent haeresi vel schismati, quin tamen ulli sectae sint adscripti, censenturne nati *ab acatholicis?*

Can. 1099, § 2 non loquitur de parentibus acatholicis, qui sint *addicti* vel *adscripti* sectae haereticae aut schismaticae, aliter ac can. 1060, qui expresse requirit ut altera pars sit « sectae haereticae seu schismaticae adscripta ».

Attentis verbis can. 1099, § 2, qui ne verbum quidem habet de adscriptione, et perspecto responso

Pontificiae Commissionis Codicis diei 17 febr. 1930 (n. 4), ex quo parentes *apostatae*, etsi ad sectam haeticam vel schismaticam non transierint, nomine parentum *acatholicorum* venire dicuntur, responsio affirmativa ad propositum dubium certa videtur. Speculative loquendo, nullam difficultatem res facessit. In praxi tamen, ubi agitur de iis, qui olim erant catholici et uti tales publice seu notorie noti, si postea defecerint a catholica fide, eatenus huiusmodi defectio in foro externo admittenda est eaque iuridicum effectum sortitur, de quo in can. 1099, § 2, quatenus certa manifestaque sit. Huiusmodi erit defectio, si adfuerit notorius transitus ad sectam haereticam vel schismaticam. In ceteris casibus, peculiaria adiuncta erunt perpendenda, ex quibus eruendum, utrum recessus a catholica fide revera adsit necne, num sit certus an dubius, occultus an publicus sive notorius.

8. Num dicendi sint *nati ab acatholicis* filii, quorum parentes indifferentismum religiosum profitentur aut sectae massonicae aliisve ab Ecclesiae damnatis addicti sunt?

Si parentes nati et educati fuerint in religione catholica, licet officia vitae christianae *practice* negligant seu indifferentismum religiosum profiteantur, non ideo dicendi sunt haeretici vel schismatici aut apostae, si reapse a fide animo non defecerint. At qui externe deficit a fide, praesumitur defecisse etiam interne; proinde ut verus apostata in foro externo is habendus.

Qui non *practicum* tantum, sed *speculativum indifferentismum* sectantur in re religiosa, procul dubio inter apostatas adnumerandi sunt (1).

Qui sectae massonicae aliisve ab Ecclesia damnatis adscripti sint, haeretici vel schismatici aut apo-

---

(1) Cfr Cappello, *De Censuris*, n. 208; Suarez, *De Censuris*, Disp. 21, sect. 21, sect. 2, n. 5.

statae *ex hoc dumtaxat capite* dicendi non sunt. Possunt esse re vera tales, sed ex alio capite, nempe ex formali errore et inoboedientia circa fidei veritates ab Ecclesia infallibili magisterio propositas. Idcirco simplex factum adscriptionis sectae massonicae aliisve non secumfert delictum haeresis vel schismatis aut apostasiae. Excipiendus casus, quando secta ipsa ex fine sive statutis suis haeresim vel schisma aut apostasiam profiteatur: tunc eo ipso quod quis nomen dat tali sectae, censetur adhaerere etiam erroribus ab eadem propugnatis, ac propterea dubitandum non est, quin *ex hoc capite* habendus sit in foro externo ut haereticus vel schismaticus aut apostata.

FELIX M. CAPPELLO S. I.

Pro quibusnam applicare missam licet

Nobis propositus est sequens casus, cuius solutio in regione ubi accidit perutilis existimabatur.

Samuel protestans, qui catholicae religioni aperte valedixit, moritur absque ullo paenitentiae signo.

Eius sponsa catholica triginta missas pro anima sui mariti offert sacerdoti qui de mortis circumstantiis est conscius. Hic libenter missas accipit easque pro data intentione offert.

Quaeritur utrum sacerdos missas istas acceptare potuerit, an formalem haereticum aequiperare debuit cum vitando excomunicato, pro quo missam applicare non licet nisi pro eius conversione (c. 2262).

Interrogemus quid probati auctores de re doceant.

Ante Codicem, haec habebat D'ANNIBALE *Summula theol. mor.* I, n. 360, « Pro eis (excommunicatis) etiam publicis (non tamen vitandis) non esse illicitum sa-

crum facere, aut verior sententia est aut aequior certe, quia contraria non caret incommodis: dummodo id fiat sine offensione fidelium ». In nota 10 addit: « Pro occultis non videtur dubitandum ». In tomo III, n. 393, nota 16 dicit: Ecclesia « vetat offerre pro excommunicatis tantum ». Sed cum ibi nos remittat ad I, h. 360, id de solis vitandis intellegit.

LEHMKUHL, II, n. 243. 244 paulo severius, ita scribebat: « Relate ad omnes qui absque unione externa cum Ecclesia defuncti sunt prohibetur missae celebratio seu applicatio saltem publica. — Si *probabilia* signa sunt defunctum bona fide et in gratia divina decessisse, occulte seu privatim sacerdos pro tali defuncto in particulari celebrare posse videtur ».

Monitore Ecclesiastico, t. XIII, 132, permittit ut pro defuncto extra Ecclesiae communionem celebretur *condicionate*, « si in gratia Dei decessit ».

Atque in nota refert responsum S. C. *S. Officii*, 7 april. 1875: An liceat Missam offerre pro illis qui in manifesta haeresi moriuntur, « etiam in casu quo huiusmodi applicatio missae tantum sacerdoti et illi qui dat eleemosynam nota esset ». Ad 2. Negative.

Post Codicem, haec habet PRUEMMER O. P., *Manuale*, III, 250: « Anteriora statuta, si qua exsistebant, nunc revocata sunt, atque Missa applicari potest etiam pro acatholicis vivis et defunctis, dummodo hoc fiat privatim et remoto scandalo ». Subiungit iis quibus sepultura ecclesiastica negatur prohiberi missam exsequialem et etiam anniversariam, « saltem si applicatio fit publice ». —

AERTNIJS-DAMEN, II, 193.: « *Privatim* pro omnibus istis celebrari posse videtur, saltem, quando de excommunicatis, haereticis, schismaticis et sectariis agitur, dummodo cum signis *bonae fidei* decesserint. Insuper, pro omnibus istis offeratur Missa solummodo sub

condicione: si forte ante mortem poenituerit, si in statu gratiae fuerit ». Remittunt ad *S. Off.* 7 iul. 1892. Sed Fontes V, n. 1158, non continent nisi resp. 27 iul. 1892, ubi ad 2 de applicatione missae pro fidelibus « quorum corpora non sine ipsorum culpa cremata sunt: « Circa publicam Missae applicationem, Negative; circa privatam, Affirmative » (Ex *Coll. S. C. de Pr. Fid.* II, n. 1808.

Ubach, S. I. *Compendium Theol. mor.*, II, 506: « Missa applicari potest pro quibusvis tum vivis (1) tum etiam defunctis, in purgatorio detentis (c. 809).

Si iam *ad fontem iuris* adeamus, Codex I. C., can. 809, id explicite profert: « Integrum est Missam applicare pro quibusvis tum vivis, tum etiam defunctis purgatorio igne admissa expiantibus, salvo praescripto can. 2262, § 2 n. 2 ». In can. autem 2262, § 2, n. 2, hoc habet: Non prohibentur « sacerdotes Missam privatim ac remoto scandalo pro eo (excommunicato) applicare; sed si sit vitandus, pro eius conversione tantum ».

Hinc, sine negotio quaesitis satisfacere posse videmur, observando haereticum etiam manifestum (de *formali* iudicet Deus) nullatenus posse cum excommunicato vitando comparari. Etenim can. 2258 § 2, ut quis sit vitandus, requirit ut sit nominatim a Sede Apostolica excommunicatus, excommunicatio fuerit publice denuntiata et in decreto vel sententia expresse dicatur eum vitari debere (nisi agatur de eo « qui violentas manus in personam Romani Pontificis iniecerit » can. 2343 § 1, 1). Praeterea cum non nulla vult esse communia excommunicati vitandi et publice declarati, Codex id expresse docet, v. g. de prohibita assistentia activa divinis officiis (c. 2259 § 2); de usu sacra-

(1) « Etsi haeretici sint aut schismatici aut infideles, nulla enim distinctio fit in Codice, dummodo applicatio fiat privatim et fieri possit sine scandalo.... Mitior igitur facta est actualis legislatio ».

mentalium (c. 2260 § 1); de prohibitione petendi ab iis sacramenta (c. 2261 § 1). Immo in argumento affini, c. 1240 condemnatos vel declaratos excommunicatos privat ecclesiastica sepultura. Ergo, cum can. 809, pro omnibus permittit missae applicationem, salvo praescripto can. 2262 § 2 n. 2, in quo de solis vitandis fit sermo, prorsus constat excommunicatos manifestos et declaratos beneficio can. 809 minime excludi.

In casu igitur proposito, stipendia pro Samuele oblata acceptari potuerunt, dummodo celebratio fieret privatim i. e. sine nuntio publico et nominis defuncti mentione in Missa, et scandalum removeri posset, sive ex observato silentio, sive ex suppeditata explicatione iis qui rem mirentur.

Frustra, ut nobis videtur, sermo miscetur de applicatione *condicionata*. Liquet enim Missas pro defunctis semper offerri quatenus defunctus non sit beatus in caelo vel damnatus aeternis inferni poenis; superflua autem et inefficax est eius externa prolatio.

A. VERMEERSCH S. I.

De Personae moralis exstinctione et resurrectione

Canon 102 statuit personam moralem natura sua perpetuam esse; exstingui tamen si a legitima auctoritate supprimatur vel per centum annorum spatium esse desierit.

Hactenus de *omni persona morali* dictum est. De *collegiali* dein, in § 2 can. subiungit, eam non perire quam diu unum ex eius membris supersit, sed in istud unicum membrum omnium ius recidere.

De canone isto satis brevis esse solet expositio apud scriptores. Non paucas tamen continet quaestiones quarum binas hic paulisper examinare velimus: altera exstinctionem, resurrectionem altera respicit.

I. *De exstinctione personae moralis.*

Quamvis personae morales, natura sua sint perpetuae, nihil prohibet, ut scite observat OJETTI (*Comm. in Codicem*, II, p. 138) quin auctoritas socialis qua constituitur eidem terminum assignet, vel quin ipsis statutis probatis plura alia exigantur ad perseverantiam personae moralis. Verum hic agimus tantum de personis moralibus quae re vera sint quod earum natura secum fert, i. e. quibus nullus terminus sit praefixus.

Itaque de his personis Codex duos statuit exstinctionis modos; nec tertium haberi cum OJETTI (ibidem p. 142) profitemur.

Alter modus est suppressio facta auctoritate legitima; alter vero si per centum annos persona moralis esse desierit. De utroque pauca.

De suppressione. Haec variae figurae esse potest, prout persona mere supprimatur vel in alium personam convertatur, vel etiam cum alia persona, unione quae exstinctiva dicitur, coniungatur; prout exsistat separata vel simul pars sit personae moralis superioris, qualis est provincia, religio quod ad singulas communitates. Singulae enim domus exstinguuntur si legitima ratione alio transferantur; quod, si pars est personae superioris, non raro fit avocatione seu iussu superioris personae. Deficiente autem persona superiore, nulla avocatio concipitur personae quae tota pro se sola exstiterit. Liquet autem invalidam esse suppressionem si vel ab auctoritate non competente vel illegittima ratione fiat.

De exstinctione. Hic persona non destruitur, sed esse desinit. De ista desitione Codex statuit personam non ideo exstingui, nisi persona per centum annos ut mortua iacuerit, ac praeterea non desinere personam moralem saltem latiore usu collegialem, quam diu vel unum membrum superstes fuerit. Hinc duplex quaestio oritur.

Si causa cur esse desierit fuerit iniusta vis publica, eritne etiam tunc post centum annos persona exstincta, ita ut illegitima potestas, quae personam moralem directe supprimere non poterat, causa indirecta exstinctionis esse possit. Cum Codex suum statutum non aliter circumscribat, exsistimamus *affirmative* esse respondendum, seu etiam tunc moralem personam esse post centum annos exstinctam.

Succedit haec altera quaestio. Si communitas religiosa iniusta vi exsulare cogatur, possitne extra eius domicilium pergere vivere, et, propter novos socios cooptatos, nullo modo esse desinere in loco unde expulsa est? Ac sane, etiam extra sedem suam, communitas moraliter eadem manere potest. Quare censemus nihil perpetuitati istius personae moralis obstare. Hac ratione etiam intellegitur quo pacto illa desitio post centum annos cum iure postliminii componi queat.

Si expulsa enim communitas ita extra sedem suam perseverat, integrum manet eius ius postliminii, i. e. repetendi domicilium ubi habitaverit.

Potestne autem persona in sede perseverare sicut in communitate sine sede?

Quaestio ista aliam solutionem recipere debet, prout sedes ista rationem personae moralis non collegialis habebat vel personalitas moralis in sola communitate inhaerebet. Priore casu, subsistere perget quam diu non fuerit legitima potestate destructa; altero casu com-

munitati firmitatem quam ipsa non habet communicare nullatenus potest.

Iam vero ecclesia, legitime aedificata, est, sine alio erectionis decreto, persona moralis, non autem domus religiosa sine communitate. Quare, si in loco unde religiosi illegitime expulsi sunt ecclesiam habebant, etiam si communitas localis prorsus defecerit, provincia religiosa vet Institutum religiosum permanens ratione ecclesiae ius servat redeundi in locum et restituendi communitatem quae ecclesiae inserviat.

II. — *De Resurrectione personae moralis*

Supponimus iam desiisse personam moralem. Cum, vi can. 102 non exstinguatur nisi per centum annos desierit, ius cuiuspiam resurrectionis ipsi conceditur, de cuius modo scriptores nimium silentium servare videntur. Itaque haec breviter de resurrectione notabimus.

1. Quia exstincta non est, nova personae institutio seu creatio non requiritur. Verum inde non sequitur interventu publicae potestatis opus non esse, et integrum esse v. g. quibusdam laicis ut efficaciter velint esse confraternitatis quae desiit, et sic nova vita confraternitatem donent. Sed, si in nullo subiecto vivente ius sociorum permanserit, prorsus necessarius erit actus competentis auctoritatis.

2. Itaque, si agitur de sola communitate pertinente ad Institutum religiosum, Superior mediatus novae communitati originem dare poterit. Si autem nulla fuerit superior potestas, tunc, si Institutum erat dioecesanum, Antistiti loci integrum erit socios cooptare. Ipse quoque Antistes localis poterit sic iterum suscitare confraternitatem. Si vero agebatur de Instituto iuris Pontificii quod penitus desierit, sola S. Sedes competens erit ut socii valide iterum congregentur.

3. Ea tamen semper erit efficacia can. 102, ut persona quae intra centum annos revixerit, instructa vivat indulgentiis et privilegiis quibus ante exstinctionem fruebatur. Novum corpus eadem, ut ita dicamus anima informabitur.

A. VERMEERSCH S. I.

De Aurora in Italia. (1)

Alexander et non nulli seminaristae Italiae, sibi propositum habent ut in proximo mense iulio in verticem ascendant altissimi montis. Sed, cum eadem die vespere redire in seminarium iubeantur, velint quam primum liceat sacrum celebrare vel audire. Inde quaerunt quota hora Missae initium tunc facere queant.

Et, cum norint can. 821, quo sacerdotes prohibentur initium sacri facere citius quam una hora ante auroram, de ipsa aurora in mense iulio solliciti sunt. Satis autem mirantur Codicis commentatores, dum canonem 821 declarant, omnem aurorae explicationem omittere. Tantum apud FERRARIS, *in prompta Bibliotheca canonica,* reperitur quaedam supputatio, qua lector docetur, in Italia, si mensem martium excipias, auroram saltem una hora cum dimidio esse ortu solis anteriorem. Quocirca haec quaerunt:

I. Cum a non nullis *alba* ab ipsa aurora distinguatur ut quidpiam anterius, estne talis distinctio pro Missae celebratione attendenda?

II. Cum, ubi diluculum montibus impeditur, aurora sensibilis valde parva sit, potestne annon etiam ibi normam ex aurora astronomica sumi?

III. Quodnam sit in Italia tempus aurorae in mense iulio?

---

(1) Grates agimus benevolo astronomiae cultori qui nobis utilissimo fuit auxilio.

IV. Quandonam, omnibus perpensis, Alexander et socii, antequam inter ingrediantur sacrum facere vel audire licite, in mense iulio possint?

Responsa. Ad I. Propter ipsum canonis et fontium silentium, distinctionem albae et aurorae neglegere possumus. Sumus in re favorabili, et aurora est etiam commune nomen albae et strictius dictae aurorae.

Ad II. Circumstantia interpositi montis etiam potest, ut accidentalis, non attendi, ita ut tempus missae aurora astronomica definiatur. Confirmatur responso, quod in locis ubi diuturniores tenebrae sunt, pro aurora sumi possit tempus quo homines ad opus surgere soleant (S. *R. C.* 2 nov. 1634. Decr. auth. n. 614).

Ad III. Aurora seu crepusculum matutinum incipit quando sol est 18 gradibus infra finientem orbis circulum (*orizonte*). Pro geographica latitudine et solis inclinatione est eius continuatio maior vel minor. Cum in aequinoctio verno (in mense martio) et autumnali (in mense septembri) nulla sit solis inclinatio, aurora fit tunc brevissima; dum longissima fit in aestivo et hiberno solstitio (in mense iunio et decembri).

Geographica autem Italiae latitudo inter 45° (Taurini) et 36° (in insula Melitensi) gradum comprehenditur.

E *nautical Almanac Greenwich*, sequentem elenchum mutuamur, quo indicatur pro varia latitudine boreali tempus *quod inter auroram et solis ortum intercurrit*. Huic elencho apponimus ope « Calendario del R. Osservatorio di Roma » horam qua in Italia sol quod ad centralem partem oriatur.

		Aurorae initium			*Solis ortus*
	Latitudo	**35°**	**40°**	**45°**	
Ian.	1	1,30	1,37	1,46	7,39,8
»	31	1,26	1,33	1,41	7,26,3
Feb.	20	1,25	1,31	1,37	7,1,7

	Aurorae initium			*Solis ortus*
Latitudo	**35°**	**40°**	**45°**	
Mar. 22	1,25	1,31	1,39	6,13
April. 21	1,31	1,39	1,50	5,23,3
Mai. 21	1,41	1,53	2,13	4,46,6
Iun. 20	1,47	2,4	2,34	4,36
Iul. 20	1,42	1,55	2,17	4,53
Aug. 19	1,32	1,40	1,53	5,22,7
Sept. 18	1,25	1,32	1,40	5,53,8
Oct. 18	1,25	1,30	1,38	6,26,4
Nov. 17	1,27	1,34	1,42	7,3
Dec. 17	1,30	1,38	1,47	7,33,6

Inde colligitur, in solis partibus meridionalibus (parte Calabriae a Catanzaro et Sicilia) fieri ut in quinque mensibus initium aurorae paulo minus quam hora cum dimidio ab ortu solis distet.

Ad IV. Itaque Alexander et socii in mense iulio auroram considerare possunt ut saltem una hora cum tribus quadrantibus ab ortu solis distantem, ita ut, cum sol tunc oriatur, pro mensis die, inter horam, 4,39 et 5,3, existimare possint auroram haberi circiter hora tertia matutina, ita ut ab hora 2ª initium missae facere possint.

Verum Ordinariis sive locorum sive propriis Regularium seu religiosorum clericalium exemptorum fas est concedere unius horae anticipationem.

Quare, etiam sine indulto, quod sine magna difficultate impetratur, Alexander, accedente venia Ordinarii, poterit, cum sociis, ab hora prima post mediam noctem suae eucharisticae devotioni consulere, ut subinde iter montanum arripiant.

A. Vermeersch S. I.

Solutio Casus de Religiosis, p. 36*

Ad I. Censemus professionem istam perpetuam nullo vitio infirmari. Etenim, ex ipsius potestatis publicae declaratione, Religiosus de quo in casu se immunem considerare poterat a servitio militari. Ad eum non spectabat decretum *inter reliquas*, 1 ian. 1911, qui religiosos supponit servitio militari obnoxios. Quare in *Per.*, V, p. 285, immunes declaravimus religiosos qui ultroneo sibi exsilio libertatem comparassent quam, reduces in patriam, statim amitterent. Et confirmamur declaratione S. C. *de Religiosis*, 1 febr. 1912 ad VI de Religiosis qui firmum habent propositum se exteris Missionibus addicendi per tempus necessarium ad perpetuam exemptionem assequendam. (Cfr. *Per.*, VI, 200. 201.) Quod casu non praeviso dein factum sit ut patriam repetiverit et sic stipendia mereri debuerit, istud accidentale factum valorem perpetuae professionis non afficit.

Ad II. P. Spiritualis, de quo in casu, frustra anxietatem passus est. Intentio enim mente concepta et nullo exteriore signo se prodens, est in foro canonico quasi non fuerit. Cum igitur nullos effectus habuerit canonicos, minime potuit causa esse cur noviciatus diceretur interruptus.

Ad III. Minus certa est haec admissio in noviciatum. *Pro valore* efficit quod e can. 105 minime colligi potest consilium esse ad valorem a Superiore exquirendum, et e can. 11 leges non sunt irritantes nisi nullitas expresse statuatur. Contra tamen facit quod ista admissio cum suffragio Consilii fortasse pro forma actus haberi possit. Nec desunt qui etiam severius can. 105 interpretantur. Quocirca practice existimamus recurrendum esse ad cautelam ad S. Congregationem.

Casus de missionibus.

I. In missione Indiarum plures pagani, avaritia vel alia falsa ratione moti, addiscere necessaria ut baptizari possint obstinate abnuunt; alii, vix baptizati, religionem neglegunt vel vivunt in concubinatu.

Verum, quando sunt moribundi, sacerdotem vocant a quo iuvantur. Inde fama haec serpit: « Parum refert quomodo vixeris; sacerdos in fine vitae tuae omnia componere novit ».

Nonne in quodam casu particulari possit ideo missionarius non adire ad huiusmodi moribundum, praesertim si sit paganus?

II. In Vicariatu X., multi sunt concubinarii. Quare, Amedeus, iunior missionarius, peccatores istos convertere satagit eos valido matrimonio iungendo. Verum Vicarius Apostolicus experientia novit huiusmodi matrimonia quae a iunioribus, post concubinatum, contrahuntur, non esse stabilia, ita ut postmodum per totam vitam in moraliter inexsuperabili malo statu degant. Etenim se separant atque, obtento legali divortio a potestate laica, novas nuptias civiles contrahunt. Hae autem, quam diu superstes fuerit coniux quacum prius validum matrimonium erat factum, nullo pacto sanari poterunt.

Quaeritur utrum annon ideo potius tolerandus sit iuniorum concubinatus?

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

De interpretatione canonum 1990-1992 CIC.

Actionem summariam de nullitate matrimonii esse processum iudicialem veri nominis demonstratur.

I.

Circa historiam canonis 1990 haec praemonenda esse censeo.

Episcopus Sonorensis in America Septemtrionali a S. Congr. Concilii petierat, ut declararetur, Constitutionem Benedicti XIV « Dei miseratione » diei 3 novembris anni 1741 vim suam non obtinere in casibus nullitatis *notoriae* matrimonii. Agebatur de clerico in maioribus constituto, qui, licet publice constaret de eius ordinatione, matrimonium inierat. Episcopus ille animadvertebat, si in casu notorietatis impedimenti dirimentis praescripta Benedictina observarentur, magnum saluti animarum damnum oboriturum esse, praecipue propter nimiam dilationem, cum causa eventualiter per tres instantias currere deberet.

Sacra eadem Congregatio die 26 augusti 1848 respondit « Negative » (Archiv. für kath. Kirchenrecht II, 320 seqq). In voto Consultoris vis ponebatur in illo loco constitutionis Benedictinae, quo dice-

batur: « Nolentes omnino, ut *ullo in casu* matrimonii vinculum dissolutum censeatur, nisi duo iudicata vel resolutiones aut sententiae penitus similes et conformes, a quibus neque pars neque defensor matrimonii crediderit appellandum, emanaverint » (§ 14). Vide Fontes Cod. Iuris Can. I. p. 700 n. 318. Ex illis verbis consultor concludebat, Pontificem nullam admittere distinctionem processuum inter casus illos, in quibus validitas matrimonii est controversa, et illos alios, in quibus nullitas est evidens.

Tamen praxis eiusdem S. Congr. ea invaluit, ut rationem haberet evidentiae, ubi convalidandi erant processus, qui non omnino ad severam regulam constitutionis Benedictinae absoluti erant, scil. quoties nullitas evidenter constabat. Firmum tamen manebat, ut processus nullitatis matrimonii in casibus nullitatis manifestae nulla ratione differret a processibus, quibus nullitas dubia erat et tantum per probationes certitudo obtineri poterat.

Huiusmodi erat ius usque ad decretum S. Officii diei 5 iunii anni 1889. Hoc decreto statuebatur, ut in impedimentis disparitatis cultus, ligaminis, consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis et clandestinitatis, derogatum censeretur sollemnitatibus a constitutione Benedictina requisitis, si ex documento authentico et fide digno i. e. quoad rem vero et in forma legitima confecto, sive, in defectu similis documenti, ex probationibus concludentibus exsistentia unius ex illis impedimentis dirimentibus evidenter constitisset, *neque* auctoritate Ecclesiae ab illo impedimento dispensatum fuisset. Tunc Ordinarium posse sententiam nullitatis similis matrimonii proferre, cum interventu tamen defensoris vinculi; verum non esse necessarium, ut res in altera instantia tractaretur. Cf. Fontes Cod. Iuris Can. IV, p. 447, n. 1118.

Cum deinde interrogatum esset, utrum Decreto illo lex generalis lata esset, idem S. Officium die 14 februarii 1894 respondit « Affirmative ». Fontes, IV, p. 483 n. 1168.

Die 27 martii 1901 idem S. O. decrevit (ad 1) ut, si non-observatio formae Tridentinae in locis Tridentino subiectis evidenter constaret (v. gr. si coram parocho non proprio aut non legitime delegato contractum fuerit), decretum illud diei 5 iunii 1889 vim obtineret, ut igitur appellatio defensoris necessaria non esset. Si autem clandestinitas non esset manifesta, defensorem teneri ad appellandum in secunda instantia. Idem responsum dedit S. O. pro tribus aliis casibus (ad 2, 3, 4) scil. *a)* Titius et Caia, ambo catholici et domiciliati in loco Tridentino matrimonium contrahunt in loco non Tridentino, ubi nec domicilium nec quasi-domicilium habent; et factum huiusmodi contractionis matrimonii manifestum et notorium est. *b)* Causa nullitatis ex praescriptis constitutionis Benedictinae legitime peracta est et matrimonii nullitas ad evidentiam probata: num defensor debet ex officio ad secundam instantiam recurrere? *c)* Matrimonium initur sive coram ministello acatholico, sive coram officio civili tantum. Interrogabatur, utrum sufficeret processus summarius quin requireretur recursus ad secundam instantiam. Fontes, IV, p. 532, n. 1251.

Hoc decretum constituit declarationem sive ampliationem decreti diei 5 iunii 1889, quod nullam rationem habuerat casus, quo nullitas matrimonii evidens non erat.

De decreto S. O. diei 10 iunii 1896 infra dicendum erit sub n. V.

Decreto diei 21 iunii 1912 S. Officium statuit, ut, si S. Sedes dispensasset super impedimento disparitatis cultus quin cautiones praescriptae a contrahentibus exactae essent, aut, si essent quidem exactae, non

tamen a partibus concessae, dispensatio nulla censenda esset. — Ad aliud quaesitum, utrum in casu manifestae nullitatis dispensationis, matrimonii nullitas ab Ordinario ultro declarari possit, an recursus ad S. Sedem necessarius sit, idem S. O. respondit affirmative ad primam partem. Hinc etiam pro isto casu vis decreti diei 5 iunii 1889 confirmata erat. Fontes Cod. I. Can. IV, p. 558, n. 1293.

II.

Canon 1990 ita statuit: « Cum ex certo et authentico documento quod nulli contradictioni vel exceptioni obnoxium sit, constiterit de exsistentia impedimenti disparitatis cultus, ordinis, voti sollemnis castitatis, ligaminis, consanguinitatis, affinitatis aut cognationis spiritualis, simulque pari certitudine apparuerit dispensationem super his impedimentis datam non esse, hisce in casibus, praetermissis sollemnitatibus hucusque recensitis, poterit Ordinarius, citatis partibus, matrimonii nullitatem declarare, cum interventu tamen defensoris vinculi ». Duo igitur constare debent 1) exsistentia impedimenti, et 2) dispensationem datam non esse super respectivo impedimento.

Canone 1991 defensor vinculi obligatur ad provocandum ad iudicem secundae instantiae, si circa unam vel alteram ex praedictis conditionibus prudenter dubitaverit. Ad eundem iudicem etiam acta transmittere debet eumque monere, agi de casu excepto.

Canone 1992 iudex secundae instantiae iubetur cum solo interventu defensoris vinculi decernere, utrum conditiones canonis 1990 verificentur, ac proinde sententia primae instantiae sit confirmanda annon. Quae decisio eodem modo facienda est ac in can. 1990 statuitur. Hic iudex superior potest igitur decernere, sententiam nullitatis ab Ordinario latam esse confir-

mandam. Quo in casu habentur duae sententiae conformes nullitatis, ac vi canonis 1987 partes novas nuptias inire possunt, quin ulla alia instantia adeunda sit (Acta Apost. Sedis, XXI, 511). Fieri vero potest etiam, ut idem iudex superior decernat, instruendum esse processum de nullitate ad ordinarium iuris tramitem; quo in casu acta ad tribunal primae instantiae remittit, ut illud ordinarium processum instruat.

Igitur canones 1990 - 1992 se praesentant ut effectus evolutionis, vi cuius severitas constitutionis Benedictinae paulatim mitigabatur, quae mitigationes tandem in ius commune deductae sunt. Cum canones illi enumerent septem impedimenta dirimentia ad quae mitigatio illa extenditur, vis illorum canonum latius patet, quam decreta S. Officii, quae canonibus illis viam straverunt. Aliunde tamen, inter impedimenta non enumeratur clandestinitas. Huic inconvenienti remedium adhibitum fuit per authenticam interpretationem Pontificiae Commissionis Codici Iuris Canonici interpretando diei 16 octobris 1919 (Acta Ap. S. XI, 479 ad 17). Remedium autem partiale tantum est, cum insolutum adhuc sit dubium, utrum forma contrahendi declinans a forma lege praescripta (v. gr. cum uno tantum testimonio) comprehendatur in casu excepto annon.

III.

Controvertitur, utrum modus procedendi circa casus exceptos sit veri nominis *processus iudicialis*, an tantum actus *administrativus*.

Lex casum exceptum Ordinario tractandum committit. Iamvero Ordinarius potestatem suam exercere potest « vel per se vel per alios » (can. 1572 § 1). Si Ordinarius casum per se tractat, controversia haec est pure academica, quia Episcopus iuxta can. 335 § 1 in sua dioecesi plenam habet potestatem iudicia-

riam et administrativam. Sed Codex I. C. can. 1578 non expedire dicit, ut Episcopus per se ius dicat.

Quod si Ordinarius « per alios » ius dicit, controversia illa in ordinem practicum deducitur. Quaeritur namque, utrum casus exceptos debeat committere Officiali tamquam Episcopi Vicario in potestate iudicandi (can. 1573 § 1), an Vicario Generali, tamquam Episcopi Vicario in potestate administrandi.

IV.

Iamvero, mihi quidem dubium esse minime videtur, casus exceptos veri nominis processu iudiciali dirimendos esse, ac proinde generatim per Officialem esse iudicandos. Vide etiam infra sub n. VI. Hoc meum assertum his rationibus nititur.

a) Imprimis consulenda est evolutio illa historica superius adumbrata sub n. I. Anno 1848 S. C. Concilii declaravit, etiam si exsistentia impedimenti ordinis sacri notoria esset, ordinarium processum nullitatis instruendum esse iuxta constitutionem Benedictinam. Hic processus paulatim tantum abbreviatus est. Hodie igitur praeter ordinarium processum iudicialem de nullitate habemus processum summarium. Hinc historia docet differentiam logicam in nostra quaestione esse tantum inter processum ordinarium et summarium seu abbreviatum, non autem esse differentiam inter processum ordinarium et actionem administrativam.

Consonat cum historia etiam tenor verborum, quibus legislator utitur. Nam can. 1990 ita habet: « praetermissis sollemnitatibus hucusque recensitis », ut etiam praecedentia S. Officii decreta dixerant. Scilicet praecepta de processu sollemni in praecedentibus titulis libri IV exposita in his casibus exceptis non obtinent, sed omnia ad praescripta canonum 1990 - 1992 peraguntur.

Idem confirmatur inscriptione huius capitis VII, quae est: « De casibus exceptis a regulis hucusque traditis ». Qui titulus certe non id significat, ut omnino nullae leges et regulae iuris processualis in casibus exceptis observandae sint, et omnia per tramitem administrativum tractentur; sed hoc tantum significatur, regulas processus generatim vigentes et in praecedentibus titulis et capitulis contentas non valere, sed agi de forma procedendi exceptionali et singulari, de processu extraordinario, non autem extraiudiciario. Forma ordinaria et sollemnis processus matrimonialis exponitur canonibus 1960-1989, habito respectu ad canones 1556-1924 (De iudiciis in genere). E contra canones 1990-1992 agunt de processu matrimoniali extraordinario, abbreviato, summario.

Hanc esse quoque sententiam Sanctae Sedis patet etiam ex litteris circularibus Signaturae Apostolicae diei 3 Augusti anni 1929 (Acta Ap. S., XXI, 511). Ibi enim dicitur ad 1): « Le sentenze dichiaranti la nullità del matrimonio, tanto se il loro processo abbia seguito il corso *formale* di cui ai cc. 1960-1989, quanto se siano state trattate colla procedura *eccezionale* ed economica di cui ai cc. 1990-1992, appena siano divenute definitive ed esecutive a norma dei cc. 1987 o 1992.... ».

Quaeri potest, quid tandem sit *processus summarius*. Praeclarus ille iuris canonici doctor Franciscus Wernz ita definit: « Illa procedura *vere iudicialis,* in qua certae sollemnitates processus ordinarii iure positivo determinatae omitti possunt et de facto omittuntur ad celeriorem causae expeditionem ». (Ius Decretalium V 9 p. 88. Prati 1914). Haec definitio vere classica apprime distinguit processum summarium a processu ordinario iudiciali, a processu extraiudiciali (v. gr. ex notorio) et a quolibet actu administrativo. Ut verbo dicam, processus summarius est processus *iudicialis;*

forma eius brevior est quam in processu iudiciali ordinario, in quantum praetermittuntur nonnullae regulae processuales iuris positivi, non autem iuris naturalis. Haec compendiaria forma processus ideo adinventa est, ut causae citius expediantur, quin tamen iustitiae derogetur, velut etiam hodiernum ius civile tribunalia expeditiora introduxit (apud Germanos « Schnellrichter) ».

b) Forma processus, quae canonibus 1990-1992 regitur, pertinet ad processus *documentarios* (Urkundenprozess.), in quibus scilicet partes praesentant pro probationibus documenta certis a lege praescriptis qualitatibus munita, et iudex his solis probationibus fretus sententiam fert, nullis aliis mediis ad probandum adhibitis, velut esset excussio testium. Si documentum aliquod dubio vel exceptioni locum praebeat, dubium removere potest per citationem partium et eorum auditionem, quo eis citius ius fiat. Haec eadem ratio fuisse videtur, cur legislator in canone 1990 posuerit verba « citatis partibus ».

Processus iudicialis documentarius originem duxit ex iurisprudentia Italorum Medii Aevi, pressius ex eorum iure commerciali. Idem processus documentarius etiam in iure processuali Germanico tractatur (Zivil-Prozess Ordnung §§ 592 seqq) sub rubrica « Formae processus speciales ». Hinc etiam in Iure Germanico Processus documentarius accipitur cum differentia logica ad processum civilem ordinarium (vide supra sub *a*).

Canon 1990 loquitur tantum de « documento » in singulari, nulla facta distinctione inter documentum publicum et privatum. Hinc neque nos distinguere debemus. Privata igitur documenta sufficiunt. Ceterum septem illa impedimenta matrimonium dirimentia, quae can. 1990 singulatim enumerantur, omnia sunt natura sua impedimenta publica (Triebs, *Eherecht* I, 145), quare semper exhibitis documentis officialibus, quae

proinde publica sunt, probari possunt. Cum tamen fieri possit, ut quacunque ex causa documentum publicum exhiberi non queat, etiam documenta privata legalibus qualitatibus insignita satis erunt, ad fidem faciendam. Inter impedimenta natura sua publica, quae can. 1990 enumerantur, duo desiderantur, aetas scil. et publica honestas. *Aetatis* impedimentum legislator fortasse ideo non enumeravit, quod aetas considerari potest ut res notoria, quae vi can. 1747 necesse non habet ut probetur. Quantum ad *publicam honestatem* legislator plane videtur requirere processum *ordinarium*, ac idem dicendum erit de reliquis impedimentis dirimentibus. Qua de re dubitari non potest. Hinc etiam ex hoc capite resultat, legislatorem accipere processum summarium ut processum iudicialem distinctum a processu ordinario.

Accedit, quod processus canonibus 1990-1992 adumbratus est processus documentarius. Sed huiusmodi processus tantummodo apud tribunalia tractantur, non apud officium administrativum, ut est officium Vicarii Generalis.

c) Canones 1990 et 1992 requirunt interventum Defensoris Vinculi. Etiam hoc probat, processum illum esse vere iudiciarium. Officium Defensoris vinculi a Benedicto XIV creatum est pro processibus sollemnibus, et ordinariis, in quibus vinculum matrimoniale in discrimine versatur, sive ob nullitatem, sive ob solutionem (can. 1586). Defensor hic nullam partem habet in regimine sive administratione dioecesis, ac proinde a Vicario Generali non pendet. Defensor non est ille quidem iudex in processu matrimoniali, sed tamen magna pars, quippe qui « opem fert tribunali » (can. 1621 § 1). Ad Defensorem in processu summario canonum 1990-1992 applicantur regulae canonum 1968 et 1969. Hinc imprimis antequam processus incipiat, debet praestare iuramentum officiale, nisi iam iura-

mentum illud semel pro semper praestiterit (Periodica XIII, 212).

Nec obiicias Defensorem etiam intervenire in actione dispensationis de matrimonio rato non consummato, quae tamen non est processus iudicialis eo sensu, ut iudex ex probationibus sententiam ferat. Attamen hoc assertioni meae non officit. Agitur enim de solutione matrimonii validi, et ideo locus est Defensori. Iudex praeterea sententiam non fert, sed Summus Pontifex in via gratiosa vinculum aut solvit aut non solvit. Tamen processus informativus necessarius est, ut duo praesupposita ad concessionem gratiae vera esse demonstrentur, scil. et factum non consummationis, et legitimitas rationum seu motivorum, quo in processu interventus Defensoris requiritur. In tota hac actione de dispensatione, non agitur de iustitia sed de iurisdictione. Multo minus autem agitur de actione administrativa.

d) Can. 1991 providet *Appellationem* Defensoris ad iudicem secundae instantiae. Ad differentiam processus matrimonialis ordinarii, in quo Defensor *semper* contra sententiam nullitatis debet interponere appellationem ad iudicem secundae instantiae (c. 1986), in processu summario haec appellatio interponi debet solum, si prudenter dubitet sive de certitudine documentorum sive de obtenta dispensatione. Illud quoque indubium est, appellationem ad iudicem secundae instantiae competere etiam parti illi, quae per sententiam nullitatis ab Ordinario latam gravatam se putat. Hic alter casus utique raro admodum continget, quia partes, quae in processu summario citandae sunt (c. 1990), facultatem habuerunt suas rationes exponendi et processum ordinarium petendi.

Ad nostrum assumptum magis probandum magni momenti est, quod appellatio admittitur ad sensum canonis 1879. Huic autem dispositioni repugnat idea actus administrativi. Nam can. 1601 statuit, ut contra

decreta administrativa Ordinariorum *unice* pateat recursus ad Sacras Congregationes. Ceterum Pontificia Commissio Codici Interpretando die 22 Mai 1923 diserte declaravit contra decreta administrativa Ordinarii nec actionem iudicialem suppetere, nec actionem de resarciendis damnis (Acta Ap. S. XVI, 251). In nostro autem casu appellatio ad secundam instantiam admittitur. Agitur ergo de processu iudiciali, non de actu administrativo.

e) In canone 1992 declaratio nullitatis vocatur « sententia ». Sed iuxta definitionem legalem in can. 1868 expressam, sententia est « legitima pronuntiatio qua iudex causam a litigantibus propositam et iudiciali modo pertractatam definit ». Etiam hinc igitur conficitur agi de processu iudiciali veri nominis, non de decreto administrativo.

f) Canone 1992 statuitur, ut iudex superior appellatus ex officio inquirere debeat, utrum agatur de casu excepto annon. Si repererit, revera subesse casum exceptum, sententiam nullitatis ab Ordinario prolatam confirmat, resque definitive absoluta est, saltem eo sensu, quo causae matrimoniales definitive absolvi dici possunt (can. 1989). Si autem iudex superior iudicat subesse casum ordinario processu dirimendum, acta ad tribunal collegiale prioris instantiae remittit cum monito ut « ad *ordinarium* tramitem iuris » procedatur. Legislator igitur hic quoque insistit in distinctione processus ordinarii a processu summario, quin de actu administrativo ullam mentionem faciat.

g) Id etiam notatu dignum est, processum summarium de quo in canonibus 1990-1992 hoc habere proprium, ut matrimonium nullum declaretur ab uno solo iudice, dum e contra can. 1576 § 1 n. 1 causas matrimoniales de vinculo matrimonii tribunali collegiali trium iudicum reservet. Jamvero can. 1992 vult, ut, si iudex secundae instantiae arbitratur non subesse casum

exceptum, sed ordinarium, rem ad « tribunal primae instantiae » remittat. Tota igitur differentia inter duas formas processus recidit ad processum ordinarium cum tribus iudicibus et processum summarium cum unico iudice. De administratione ne verbum quidem.

h) In authentica interpretatione canonis 1990 die 16 Octobris 1919 (Acta Ap. S. XI, 479) dicitur, si forma legitima in matrimonio contrahendo *penitus* posthabita sit, « nullus requiratur processus iudicialis ». Eminentissimi ergo interpretes Codicis processum canonibus 1990 ad 1992 adumbratum considerant ut processum iudicialem veri nominis, non ut actum administrativum.

i) Nonnunquam utique processus vi can. 1990 institutus vocatur processus « oeconomicus » seu « processus administrativus ». Hinc nonnulli canonistae inferunt, agi de actu administrativo. At perperam. Qui obiter tantum verba accipit, saepe fallitur in percipiendo sensu dictorum. Vox « oeconomicus » significat idem ac parsimoniosus. Processus igitur oeconomicus est processus parsimoniosus, ac veluti pauper, ad differentiam processus locupletis, multis sollemnitatibus ditati, qualis est processus ordinarius. Jamvero eadem vox « oeconomicus » usurpari solet pro alia voce « administrativus ». Utraque enim vox commune habet elementum brevitatis. Omnes enim actus administrativi brevitatem amant. Falso tamen inde deducas conceptus ipsos verborum « oeconomicus » et « administrativus » omnino coincidere.

k) Obiectum processus ex can. 1990 est ut veritas *facti iuridici* eruatur, scilicet, utrum partes validum matrimonium contraxerint. In huiusmodi casu *factum iuridicum* constituitur actu hominum, quo iura et obligationes privatae fundantur. Sed ex can. 1552 § 2 n. 1 declaratio sive verificatio factorum iuridicorum est obiectum iudicii. Ergo processus ex can. 1990 est

processus iudicialis veri nominis. — Hoc argumentum non quadrat in authenticam interpretationem diei 16 Octobris 1919. Iuxta mentem Curiae Romanae matrimonium mere civile ne figuram quidem matrimonii habet, atque ideo nullos effectus iuridicos, quos matrimonium producere solet, facit. Hinc ubi agitur solum de hoc ut verificetur factum matrimonii coram officiali civili contracti, non habetur processus iudicialis veri nominis, sed actus administrativus, ut est etiam modus agendi in exquirendo statu libero. Ceterum, quantum ego pro mea parte dissentiam, circa matrimonium civile ab opinione in Curia Romana vigente, exposui in meo Handbuch des geltenden kanonischen Eherechts, I, 84.

l) Can. 1990 de Ordinario dicitur: « *poterit* declarare ». Hoc significat, esse commissum prudenti arbitrio Ordinarii, utrum matrimonium illud processu summario an ordinario nullum declaretur. Tertium igitur non datur inter processum ordinarium et summarium.

Hac igitur nube argumentorum probatur, si Ordinarius non velit per se dirimere casum exceptum, Officialem utpote Vicarium Episcopi in potestate iudicandi, non autem Vicarium Generalem, qui in administranda dioecesi vices gerit Episcopi, eum esse, cui casus exceptus iudicandus delegari debeat.

V.

Contra nostram thesim, quae statuit, in canonibus 1990-1992 agi de processu iudiciali veri nominis, licet summario, militare videtur Decretum S. Officii diei 10 iunii 1896 (Fontes Cod. IV p. 489 n. 1180). Hinc Decretum illud penitius rimandum est.

Cum quaesitum esset, num in declarando impedimento disparitatis cultus procedi posset non tantum

summarie, sed etiam extraiudicialiter, v. gr. utrum inquisitio privatim, scil. absque facultate ab Episcopo accepta de baptismo alterutrius coniugis sufficiat, S. Officium eo decreto ita respondit.

Esse distinguendum, utrum *a)* partes adhuc liberi sint, an *b)* alteruter iam coniugatus, aliis verbis, utrum relate ad impedimentum disparitatis cultus agatur de matrimonio contrahendo an de matrimonio contracto.

Ad *a)* Si dubitatur de baptismo partis *catholicae,* vel quae in catholica religione educata fuit, haec pars respectu illius matrimonii contrahendi, etiam deficiente documento officiali de percepto baptismo, tamdiu habenda est ut baptizata, donec certo constet, eam non esse baptizatam. Hic igitur ne baptismus conditionatus quidem exigitur. Sin autem dubitetur de baptismo partis *haereticae,* vel in haeresi educatae, eadem pars respectu matrimonii contrahendi habenda est ut baptizata, dummodo constet factum baptismi neque certo baptismus invalidus fuerit. Inquisitiones de baptismo in similibus casibus debere fieri cum omni diligentia, sed etiam « extraiudicialiter » i. e. sine expresso mandato Ordinarii fieri posse privatim.

Ad *b)* Si agatur de matrimonio iam contracto, quod invalidum esse declarari debet ob impedimentum disparitatis cultus, ut alter coniugum ad alia vota transire possit, et si dubium sit, utrum alter coniux huius matrimonii praeesistentis baptizatus sit, S. Officium statuit, procedi posse « summarie et extraiudicialiter », omissis sollemnitatibus constitutionis Benedictinae, semper tamen circa substantialia debere procedi iudicialiter et semper requiri interventum Defensoris vinculi. Si ita exsistentia impedimenti constiterit, posse Ordinarium sententiam nullitatis ferre.

Igitur in responso ad *b)* Decretum distinguit inter substantialia processus et non substantialia. Substantialia sunt: petitio partium, probationes, examen pro-

bationum, sententia; positivo statuto ad haec accedere debet cooperatio Defensoris vinculi. Pro his partibus substantialibus processus iudiciarius praescribitur, seu, ut S. Officii verbis utar, « forma iudicialis ». Haec forma iudicialis, uti patet, non privatim fieri potest, sed tantum per auctoritatem. Verum inquisitiones de facto percepti baptismi vel de validitate eiusdem etiam a personis privatis « summarie et extraiudicialiter » institui possunt. Resultantia ex huiusmodi inquisitionibus privatis iudici, in casu Ordinario, praesentantur atque ita in iudicium deducuntur. Ordinarii est decernere, utrum et quatenus haec resultantia sua faciat et acceptet (can. 1753).

VI.

Inter praecipua principia Codicis Iuris Can. numeranda est distinctio inter iustitiam et administrationem. Cum igitur in praemissis demonstratum sit, casum exceptum expediendum esse processu iudiciali, licet summario, generatim Ordinarius rem delegabit suo Officiali. Sed hoc non significat, id in omnibus casibus fieri *debere*. Cum enim Episcopo fas sit causas sibi reservare (c. 1573 § 2), in singulis casibus etiam alium ab Officiali delegare potest, hinc etiam Vicarium Generalem, hunc autem non ratione officii administrativi, sed intuitu personae. Huiusmodi delegatio, si unquam, nonnisi per exceptionem dabitur. Nam in rebus iuris persona specialis fiduciae est Officialis, quem Ordinarius sibi post maturam deliberationem elegit.

Professor D.r TRIEBS
Officialis Episcopi Berolinensis

De Dispensatione ab interpellationibus in ordine ad privilegium fidei

APPLICATIONES PRACTICAE CANONIS 1125

Mense februario huius anni ap. *Periodica de re morali, canonica, liturgica,* tom. XX, 1931, pp. 1* - 5*, probavit R. P. Vermeersch, Constitutiones Summorum Pontificum, canone 1125 allatas, esse extensas ad *omnes regiones in eisdem casibus;* attento praesertim textu canonis et mente legislatoris; cui sententiae astipulamur eo magis quod agitur de lege late interpretanda nisi aliud clare appareat, siquidem canon citatus rationem habet privilegii, et favorem praestat « pro utilitate publica », ad fidem et religionem catholicam dilatandam (1). Praesenti autem dissertatione applicationes practicas velimus deducere ex principio ibi vindicato; ut in gratiam cleri sacro ministerio addicti, magis distincte appareant favores qui super hac materia, beneficio Codicis iuris canonici, pro universo orbe ab Ecclesia benigne hodie sunt concessi.

I.

Constitutione Pauli III « *Altitudo* » (documentum VI Codicis I. C.) decernitur « ut qui ante conversionem plures iuxta eorum mores habebant uxores, et non recordantur quam primo acceperint, conversi ad fidem, unam ex illis accipiant, quam voluerint, ut cum ea matrimonium contrahant per verba de praesenti, ut moris est; qui vero recordantur quam primo acceperint, aliis dimissis, eam retineant. Ac eis concedimus, ut coniuncti etiam in tertio gradu tam consan-

(1) Cfr A. Reiffenstuel, I, 2, n. 435; *De regulis iuris in sexto*, regula XV, nn. 20-21.

guinitatis, quam affinitatis, non excludantur a matrimoniis contrahendis, donec huic S. Sedi super hoc aliud visum fuerit statuendum ».

1) *Conceditur polygamis* conversis ut, inter uxores quas retinebant, eligere possint quamlibet quae ipsis placuerit. Ac propter iuris aequitatem, similiter dicendum est de muliere quae vivit in polyandria (1).

— Haec concessio valet etiamsi compars electa, cum qua matrimonium contrahit, sit consanguinea in tertio gradu lineae collateralis. Quoad affinitatem quae in eodem gradu permittitur, ea post editum Codicem I. C. obiecto caret; siquidem hodie, vi can. 1077, § 1, ubique sublatus est tertius gradus affinitatis in linea collaterali.

Successivam etiam polygamiam a privilegio non excludi, apparet ex authentica interpretatione verborum « *qui plures habent uxores* » data a S. C. de Propag. Fide, 14 ianuarii, 1806, qua declaratur viro polygamo permitti ut unam ducat ex illis uxoribus « sive adhuc cum eo habitantibus, *sive iam relictis* » (2).

— Nec refert quod in dimittendis uxoribus intervenerit *sententia tribunalis civilis:* haec enim non mutat naturam polygamiae successivae; atque attento responso citato S. C. de Prop. Fide, quod latam postulat interpretationem, mulieres per sententiam tribunalis civilis dimissae, non excluduntur ab uxoribus « *iam relictis* », uti expresse designantur in allegato documento (3). Vinculum ceteroquin naturale uxoris legitimae, de qua hic dubitatur, per tribunalia civilia

(1) S. C. S. Officii, 5 sept. 1858: *Collect. S. C. P. F.* I, n. 1117.

(2) *Collect. S. C. P. F.* I, n. 685; - P. Gasparri, *De matrimonio*, ed. 3, II, n. 1344.

(3) Quam sententiam tenet I. Putzer - A. Konings, *Commentarium in facultates apostolicas,* Cincinnati, ed. 5, 1898, n. 127, p. 198.

vel vi « potestatis cuiuslibet mere humanae » solvi nequit (1).

2) *Condicio essentialis* declaratur ut polygamus non recordetur quamnam uxorem primo acceperit: quae condicio sane difficilius habebitur in polygamia successiva. Qua condicione impleta, eligi potest etiam uxor qua ad fidem non convertatur. Immo, uti videtur, id permitti potest, etiamsi alia quaedam ex uxoribus incertis baptizari velit, quam polygamus retinere nolit (2).

Haec conclusio suadetur eo quod concessio pontificia, qua privilegium factum ad salutem polygamorum, latam fert interpretationem. Propterea verbis « *unam ex illis* (uxoribus) » nullam imponimus restrictionem, ipsa Constitutione non expressam vel iure divino non certo impositam. Quod ceteroquin cum legis fine et circumstantiis, atque mente legislatoris, in initio documenti VI Codicis I. C. significatis, concordare videtur. Summus Pontifex enim miseratione commotus erga polygamos ad religionem propensos, vehementer desiderat, in quantum valet, conversionis obstacula removere atque difficultatem imminuere ex consueta polygamia necessario oriundam: istis enim polygamis conversis, gravissimum onus lege divina saepissime imponitur. Inde videtur quod Summus Pontifex, attenta praesertim *incertitudine* uxorum, nullum optionis limitem velit imponere, qui iure naturali vel divino positivo non stricte ac certo urgeatur.

3) *Si non convertatur* uxor electa, dispensatio super impedimento disparitatis cultus, praestitis consuetis cautionibus, videtur necessaria: facultas enim can. 1125

---

(1) Pius XI, Encycl. *Casti connubii*, 31 dec. 31 dec. 1930: AAS, XXII, 1930, p. 552.

(2) Cfr A. Vermeersch. - I. Creusen, *Epitome iuris canonici*, II, n. 436; - G. Payen, *De Matrimonio in missionibus*, II, n. 2405.

censetur concessa ad normam iuris communis, nisi oppositum manifesto appareat, etenim « quae a iure communi exorbitant nequaquam ad consequentiam sunt trahenda » (R. I. 28 in 6⁰) (1). Opinamur tamen quod Praesules, in dispensando huiusmodi polygamo super disparitate cultus, facultatibus suis a S. C. de Propaganda Fide concessis uti possunt. Responsa enim romana quibus restringitur dispensandi potestas, sunt stricte interpretanda (can. 19), atque respiciunt solos neophytos qui, vi privilegii fidei male intellecti, coniugem *certo legitimam* dimittentes, uxorem infidelem ducere intendunt (2). Male, inquam intellecti, namque privilegium fidei est ad ducendam uxorem fidelem, non autem paganam.

4) *Necessitas interpellationis* ipso Codice I. C. est sublata (3). Nulla propterea dispensatio super interpellationibus est concedenda, sive ab Ordinario loci sive a sacerdote delegato aut subdelegato. Ordinarius vel sacerdos solummodo iudicat de impletis condicionibus necessariis ut favor applicetur.

5) *Renovatio consensus* matrimonialis cum uxore electa, polygamis conversis praescribitur saltem ad cautelam. Forma consensus urgenda est ordinaria, legibus canonicis imposita. Si uxor electa non baptizetur, ritus celebrationis pro matrimoniis mixtis canone 1109, § 3, descriptus, est observandus.

II.

Constitutione S. Pii V « *Romani Pontificis* » (documentum VII ad calcem Codicis I. C.) conceditur po-

(1) Eandem sententiam tenet A. De Smet, *De sponsalibus et matrimonio*, ed. 4, n. 353, p. 300, nota 2. Aliter Payen, *De matrimonio*, II, n. 2405.

(2) Cfr S. C. S. Officii, 29 aug. 1866; 22 martii, 1871 : *Collect. S. C. P. F.* nn. 1297 et 1377.

(3) F. X. Wernz-P. Vidal, *Ius matrimoniale*, n. 633.

lygamis baptismum recepturis, ut baptizati retineant uxorem *certo non primam nec legitimam,* quae tamen cum ipsis *convertatur.*

I. SIMILITUDO praesentis Constitutionis S. Pii V cum superiore constitutione Pauli III sequenti modo delineatur:

1) In utraque Constitutione tam Pauli III « *Altitudo* » quam S. Pii V « *Romani Pontificis* » concessio fit *solis polygamis,* atque ambae concessiones favent quoque mulieri quae, verificatis condicionibus similibus, in polyandria vivit (1).

2) Haec altera concessio sicut praecedens applicatur polygamiae vel polyandriae *tam successivae* quam simultaneae; ita ut polygamo optio detur inter uxores quas ante conversionem adhuc retinebat vel quas iam dimiserat (2).

Atque a privilegio non excluduntur uxores opera *sententiae tribunalis civilis* dimissae (3): haec enim, uti diximus, non mutat naturam polygamiae successivae. Responsum quoque citatum S. C. de Prop. Fide hic etiam late est interpretandum, neque concubinas per sententiam tribunalis civilis dimissas excludit ab uxoribus antea « *iam relictis* » uti diserte designantur in allato documento 14 ian. 1806.

3) *Necessitas interpellationis,* etiam quoad usum huius facultatis ipso Codice I. C. est sublata (4). At-

---

(1) S. C. S. Officii 5 sept. 1858: *Collect. S. C. P. F.* n. 1117.

(2) Sic, uti supra notavimus, authentice declaravit S. C. de Prop. Fide, 14 iun. 1806: *Coll. S. C. P. F.*, I n. 685.

(3) Sic quoque PUTZER-KONINGS, *Comment. in facultates apostolicas,* n. 127, p. 198.

(4) Nobiscum WERNZ-VIDAL, *Ius matrimoniale,* n. 633 in fine; - DE SMET, *l. c.*; - A. VERMEERSCH-I. CREUSEN, *Epitome I. C.* II, n. 436. - Cfr. *Primum Concilium Sinense,* Vota et postulata, n. 12, p. 273; - *Periodica, Responsa et quaestiones de Tatung,* III, 1930, pp. 102-105 ubi adducitur responsum Rev. P. PAYEN.

tenditur enim in memorata Constitutione S. Pii V, solus casus in quo « difficillimum foret primam coniugem reperire ». Nulla igitur dispensatio super interpellationibus est necessaria; sed Ordinarii locorum vel sacerdotes solummodo iudicabunt, utrum necne impletae sint condiciones requisitae ad gratiam consequendam.

S. C. S. Officii aliquando urgebat quidem interpellationem, ex. gr. in suo responso ad Archiepiscopum Quebecen. 8 iunii 1836 (1); sed attentis responsis S. C. S. Officii 4 iulii 1855 et 22 nov. 1871 ad quaesitum primum (2), videtur haec obligatio restringi ad polygamum qui uxorem primam ac certe legitimam *non ita difficile reperire potest* (3): haec autem suppositio praecise aliena est a concessione S. Pii V. Versamur tunc extra Constit. S. Pii V; sed subintrant facultates P. Fidei. Cfr n. 1377, Collect. S. C. de P. F.

Alibi in variis documentis, S. C. de Prop. Fide interpellationem non expresse urgebat, v. gr. in Instructione 15 februarii 1756, ac responso 14 ian. 1806 ad 1 (4).

---

(1) *Collect. S. C. P. F.* I, n. 848.

(2) *Collect. S. C. P. F.* respective I, n. 1113; II, n. 1377.

(3) Propterea tenemus in usu facultatis XXIV formulae tertiae maioris quae cum Constitutione S. Pii « *Romani Pontificis* » conectitur, sed ubi deest illa suppositio quod uxor legitima inveniri nequit, *urgeri unam interpellationem* ad coniugem legitimam « an velit et ipsa converti ac baptismum suscipere ». Sic quoque De Smet, *o. c.* n. 353, p. 301, nota 2.

In Sinis, eo quod catechumenis polygamis frequenter durissimum et fere impossibile est primum matrimonium dissolvere, a S. C. de Prop. Fide praesenti facultati XXIV addicta est interpretatio extensiva, qua Ordinarii locorum cum polygamis dispensare valeant ab omni interpellatione (Cfr. *Primum Concilium Sinense*, Vota et postulata, n. 12, p. 273). Quam quidem interpretationem extensivam cum rationem habeat legis particularis, iuri antiquo oppositae (cfr. Benedictus XIV, *De Synodo*, lib. XIII, cap. 21, nn. 3 et 6), non audemus transferre ad alias regiones: lex enim per se non est extendenda ob similitudinem aut identitatem rationis de casu ad casum, sed hoc pendet a libera voluntate legislatoris (cfr. A. Van Hove, *De legibus ecclesiasticis*, Mechliniae, 1930, nn. 263-264). Si vero *constat* de magna difficultate primam uxorem reperiendi, tunc vi Constitutionis S. Pii « *Romani Pontificis* », polygamus ipso iure communi dispensatur ab omni interpellatione.

(4) *Collect. S. C. P. F.* I, nn. 397 et 685.

4) *Renovandus est consensus* matrimonialis cum concubina in uxorem electa, et quidem in forma consueta canonica.

II. DISSIMILITUDINES sequentes habet praecipue Constitutio S. Pii V « *Romani Pontificis* », a Constitutione Pauli III « *Altitudo* » :

1) In Constitutione « *Romani Pontificis* », supponitur polygamum plane conscium esse uxorem quam in matrimonium accipit, *certo non esse primam nec legitimam;* dum in Constitutione « Altitudo » de hoc dubitatur.

2) Sed in praesenti Constitutione S. Pii V, supponitur constare summarie et extraiudiciali de *gravi difficultate primam uxorem reperiendi;* quae condicio, ad applicandum canonem 1125, indubie est urgenda. Ad validitatem requiritur ut *constet* de gravi difficultate primam uxorem reperiendi. Ad liceitatem insuper conficiendus est *processus summarius* et extraiudicialis, scilicet: scripta relatio paucis verbis est facienda, unde appareat gravis difficultas primam uxorem reperiendi (1). Quae quidem scripta relatio a sacerdote authentice obsignata, asservetur in archivo vel stationis missionalis vel Ordinarii loci.

3) In priore Constitutione Pauli III non imponitur ut uxor incerta quam accipit polygamus conversus, etiam baptismum suscipiat; — hac altera vero concessione S. Pii V requiritur tanquam condicio essentialis, ut uxor non legitima quem polygamus in matrimonium ducit, cum ipso quoque baptizetur.

Insuper e contextu Constitutionis « *Romani Pontificis* » eruitur condicio: dummodo prima uxor non

(1) Haec condicio quae non aperte inscribitur in Constit. S. Pii V, urgetur a S. C. S. Officii in suo responso 22 nov. 1871, ad *quaesitum primum: Collect. S. C. P. F.* II, n. 1356. Responsum remittit ad Constitutionem Gregorii XIII.

simul cum viro baptismum suscipiat, secus polygamus cum legitima uxore baptizata remanere debet. Quod confirmatur facultate XXIV formulae tertiae maioris Ordinariis missionum concessa, et cum hac Constitutione S. Pii conexa, ubi haec ultima condicio « *nisi prima voluerit converti* » etiam expresse urgetur.

Ut polygamus, utendo praesenti privilegio S. Pii V, legitime dispensetur super disparitate cultus ad ducendam concubinam *paganam*, non sufficit ordinaria Praesulis missionis facultas dispensandi super hoc impedimento, sed necessarius est interventus specialis S. Sedis. Polygamus enim conversus hic supponitur, ex privilegio fidei, relinquere uxorem *certe legitimam* (1).

4) Non dispensatur tertius gradus consanguinitatis (vel affinitatis) in linea collaterali, quod tamen impertiebatur anteriore Constitutione Pauli III.

III

Constitutio GREGORII XIII « *Populis* » (Documentum VIII ad calcem Codicis I. C.).

1) *Non ipso iure* conceditur dispensatio super interpellationibus, sicuti hoc impertitur binis documentis pontificiis supra relatis; sed certis personis ecclesiasticis datur potestas ab interpellationibus dispensandi.

2) *Dispensari potest* non solummodo cum polygamis, uti in binis praefatis Constitutionibus, sed cum quibuscumque utriusque sexus christifidelibus « qui ante baptismum susceptum, matrimonium contraxerunt, ut eorum quilibet, superstite coniuge infideli, et eius consensu minime requisito, aut responso non exspectato, matrimonia cum quovis fideli alterius etiam ritus contrahere et in facie Ecclesiae sollemnizare valeant ».

(1) Cfr S. C. S. Officii 29 aug. 1866; 22 martii, 1871: *Collect. S. C. P. F.* nn. 1297 et 1377.

3) *Condicio essentialis* dispensationis impertiendae est *impossibilitas partem infidelem interpellandi.* Haec autem impossibilitas ex diversis circumstantiis oriri potest, uti sunt: quia ad hostiles et barbaras provincias ne nuntiis quidem accessus pateat; — vel quia ignoretur prorsus in quas regiones coniux fuerit transvectus; — vel quia itineris longitudo, attentis omnibus locorum et personarum adiunctis, censetur magnum offerre difficultatem (1), de qua difficultate iudicat dispensans. Certo requiritur ut impossibilitas oriatur *ex absentia* partis infidelis; sed quoad ipsam distantiam respondit S. C. S. Officii in citato responso 29 nov. 1882 « illam longitudinem sufficere quae, perpensis omnibus locorum et rerum adiunctis, magnam affert difficultatem ».

4) *Facultas altera* eodem documento impertitur: dispensandi nempe super necessariis interpellationibus quando constet coniugem monitum, intra tempus in eadem monitione praefixum, suam voluntatem non significasse. Attento tamen can. 1122, § 1, haec dispensatio est mera declaratio quod « induciis inutiliter praeterlapsis, responsio praesumatur negativa ».

5) *Processus summarius* est faciendus: condicio ad dispensandum necessaria externe constare debet. Itaque scripta relatio paucis verbis facienda est, unde necessitas dispensationis appareat. Ubi tamen *constat* de impossibilitate physica aut morali interpellationis, processus non est ad valorem necessarius. Processus summarius in archivo residentiae opportune asservabitur.

6) *Concedere valent* dispensationem Ordinarii locorum, parochi necnon confessarii Societatis Iesu, a Superioribus Societatis ad confessiones approbati.

---

(1) S. C. S. Officii 29 nov. 1882 ad 1: *Collect. S. C P. F.* II, n. 1581; — I. Ylla, *Derecho matrimonial,* Manila, 1918, p. 240-242.

a) Ordinarii locorum i. e. omnes recensiti ad can. 198, § 1, atque etiam Vicarii Delegati Vicariorum vel Praefectorum Apostolicorum (1).

b) Parochi, quasi-parochi (can. 451, § 2), necnon in missionibus ubi territorium in quasi-paroecias nondum canonice est divisum, « omnis sacerdos a missionis moderatore ad animarum curam in aliqua statione universaliter deputatus »: hic enim, quoad res matrimoniales parochis aequiperatur, cum potestate tamen delegata (2).

c) Presbyteri Societatis Iesu in locis ubi sunt approbati a suis Superioribus ad audiendas confessiones christifidelium, non solum in actu confessionis, sed etiam extra confessionem pro foro quoque externo (3).

7) *Effectus addititius* dispensationis concessae, nempe *omnimoda firmitas novi matrimonii* catholice contracti, sequentibus verbis definitur: « Quae quidem matrimonia, etiamsi postea innotuerit coniuges priores infideles suam voluntatem iuste impeditos declarare non potuisse, et ad fidem etiam tempore transacti secundi matrimonii conversos fuisse, nihilominus rescindi numquam debere, sed valida et firma, prolemque inde suscipiendam legitimam fore decernimus » (ita allegata Constitutio Gregorii XIII).

G. VROMANT C. S. I. M. (Scheut)

---

(1) Cfr *Periodica*, XVII, 1928, p. 68* ss.

(2) Decretum « *Ne temere* » 2 aug. 1907, cfr quoque Instruct. S. C. de Prop. Fide, 25 iulii 1920, ad 7: AAS, XII, 1920, p. 332.

(3) Ordinarius loci exigere potest documentum concessae dispensationis pro foro externo: at documentum est medium dumtaxat probationis, quod nihil confert ad valorem obiectivum dispensationis concessae, pro foro sive interno sive externo. Valor dispensationis et subsequentis matrimonii pendet, pro presbyteris S. I., a sola potestate confessione audiendi (cfr F. CAPPELLO, *De matrimonio*, n. 787).

De simonia confidentiali in Codice Iur. Can.; deque requisitis in quovis delicto simoniae ex parte actus ad poenas canonicas incurrendas.

I.

Simonia confidentialis.

Circa beneficia ecclesiastica antiqui AA. communiter et recentiores quamplures, post Codicem scribentes, praeter simoniam simplicem, aliam admittunt appellatam *confidentialem* (1).

Dicitur confidentialis a *fiducia*, ut ait WERNZ (2), quam unus constituit in altero in quem beneficium transfert, vel, ut aliis placet, ex eo quod tota vis in eiusmodi pacto habeatur, non ex actione iuridica ulla, sed ex *fide* illius qui beneficium recepit (3).

Simonia confidentialis est species simoniae conventionalis, qua aliquis alteri beneficium procurat mediis canonicis collationis, electionis, praesentationis, resignationis, etc., sub confidentiae manifestatae pacto, explicito aut implicito, ut beneficium recipiens idem beneficium sibi aut alteri cedat, aut ex eodem beneficio partem fructum vel pensionem solvat.

Quatuor modis haec simonia confidentialis, prout ex Constitutionibus Pauli IV, Pii IV et Pii V (4) eruitur, committi poterat.

---

(1) PRÜMMER, Man. Theol. Mor. II, 559; SOLE, De Delictis et poenis, 451; CHELODI, De Poenis, 104; VERMEERSCH-CREUSEN, Epit. II, 4, 12; MARC-GESTERMANN, Inst. Mor. I, 585.

(2) Ius Decretal. VI, n. 341.

(3) PRÜMMER, l. c. nota 4.

(4) Const. Pauli IV, *Inter ceteras*, 27 nov. 1557; Pii IV, *Romanum Pontificem*, 17 oct. 1564; Const. *Intolerabilis*, a Pio V data 1 iunii 1569, ap. FONTES CODICIS I. C. nn. 92, 106, 130 et 317.

1) *Per accessum,* cum aliquis vi praesentationis, electionis, institutionis aut collationis, beneficium alteri tradit eo pacto ut postea, sibi vel alii (v. c. cum debitis requisitis polleret) liber, mediante resignatione possidentis, maneret accessus ad illud beneficium;

2) *Per ingressum*, si beneficium habens collatum et nondum vero possessum, cedit in favorem alterius ea condicione ut, si beneficium resignetur vel aliter vacet, sibi iterum conferatur;

3) *Per regressum,* cum beneficium possidens illud resignat cum pacto ut ei vel alii, sibi beneviso, liceat regredi ad idem beneficium;

4) *Per reservationem*, *pensionis* aut partis fructuum, cum talis conditio statuitur in beneficii dimissione.

Porro, in Codice formaliter ac *specifice* non agitur de simonia *confidentiali* sub hac expressa denominatione. Ast certus modus eiusmodi simoniae confidentialis diserte in Codice habetur, v. gr., in canone 1441, ubi « *tanquam simoniacae reprobantur deductiones ex fructibus, compensationes ac solutiones a clerico in actu provisionis faciendae, quae collatori, patrono* **aliisve** *cedant* ».

Iam, deductiones ex fructibus aut solutiones a clerico in actu provisionis faciendae, et praestandae tunc semel pro semper, vel postea ex obligatione contracta, evidenter continentur in stipulationibus aut donationibus prohibitis de fructuum beneficialium parte quibusvis concedenda, prout describuntur a Paulo IV, Const. « *Inter ceteras* » et a Pio V in Const. « *Intolerabilis* » edita contra *simoniam confidentialem,* § 3 nn. 1 et 2, § 4 et 5, et a Bened. XIV « *In sublimi* » 29 aug. 1741.

Proinde quartus modus simoniae confidentialis, supra declaratus, in Codice retinetur.

Idem videtur de aliis tribus. Nam in canone 1486

interdicitur in genere dimissio beneficiorum in commodum aliorum vel sub aliqua condicione quae ipsam beneficii provisionem aut redituum erogationem attingat.

Atqui antiqui quatuor formae simoniae confidentialis, antea propositae, certo certius sunt dimissio beneficiorum in commodum aliorum vel sub aliqua conditione quae ipsam beneficii provisionem aut redituum erogationem attingat.

Ergo antiquae illae quatuor formae allegatarum Constitutionum Pauli IV, Pii IV et Pii V de simonia confidentiali, in Codice conservantur.

Quod insuper corroboratur ex eo quod **omnes loci** ad canonem 1486, in notis Codicis allegati, sive ex Concilio Tridentino, sive ex RR. PP. Paulo IV, Pio IV, Pio V, Bened. XIV, sive ex S. C. Conc., agant *praecise* et *exclusive* de simonia confidentiali ob dimissionem in favorem aliorum, et pro dimittente vel alio, conditionatam.

Ex his merito concludimus legislatorem, sin minus explicite, at certo implicite retinuisse in hoc canone antiquam disciplinam de absoluta prohibitione simoniae confidentialis.

Quare, cum aliunde pateat eiusmodi prohibitionem idem prorsus motivum iuridicum nunc habere ac illud quod veteres Constitutiones inspiraverat, nimirum, vitare periculum irreverentiae erga res spirituales vel spiritualibus connexis in provisione beneficiorum, etiam nunc ex canonibus adductis atque ex principio iuridico generali allato in canone 727, § 2, statuere debemus istiusmodi formas fiduciales totidem esse modos simoniacos *saltem* simoniae iuris ecclesiastici.

Saltem, inquam, iuris ecclesiastici, quia tales conventiones, in can. 1486 et 1441 reprobatae, facile admodum incidere possunt in verum delictum simoniae iuris divini, conventionalis purae, mixtae aut etiam realis.

II.

Requisita ex parte actus ad delicti simoniae poenas.

Ante Codicem, ad censuras et poenas vindicativas in iure *latas* propter simoniam incurrendas tum quoad ingressum in religionem tum quoad beneficiorum provisionem opus erat in universum ut ageretur de simonia *reali,* nimirum per pactum utrinque consummatum; vel, in materia beneficiaria, de simonia *confidentiali.* Quod satis patebat ex ipso legis tenore in antiquo iure (1), ac in censuris ex Constitutione « Apostolicae Sedis » Pii IX, 12 oct. 1869, § II, nn. 8-10.

Porro, in Codice I. C., cum sermo fit de poenis in simoniacos, omittitur verbum « realis » et « confidentialis », ac mere asseritur in poenas statutas incurrere « perpetrantes delictum simoniae in quibuslibet officiis » etc. (can. 2392) aut « per simoniam promoventes aut promoti ad ordines vel alia sacramenta ministrantes aut recipientes » (can. 2371).

Ex eiusmodi diversitate textus legalis hodierni ac antiqui, diversa etiam habetur doctrinalis interpretatio Codicis.

Sunt AA. qui tenent poenas in simoniam a novo iure statutas non contrahi nisi per simoniam *realem* (2), aut saltem per simoniam conventionalem *mixtam*, v. gr., quando per rei spiritualis traditionem delictum fuerit commissum (2).

---

(1) Can. 3. 5. 6. quest. 1. C. I.; can. passim quaest. 3. C. I.; cap. 8. 34. X. (V. 3.): et l. de simonia in Extrav. com., Suarez, de Relig. tr. III, l. 4, c. 55, n. 12-14; Reiffenstuel, tit. de Simonia, n. 235-243; Schmalzgrueber, eodem tit. n. 245; Ballerini-Palmieri, op. Th. Mor. II. 482.

(2) Pighi, Cursum theol. mor. III, 457: « Excommunicatio non habetur nisi effectu secuto, h. e., tradita hinc re spirituali, inde re temporali »; Cavigiolli, De Censuris, l. s., n. 148, 187; Cerato, Censurae vigentes. n. 65, decl. g.; Marc-Gestermann, C. SS. R., Inst. mor. Alph., n. 591, 1340.

(3) Vermeersch, Theol. mor., II, n. 284: « nisi saltem rei spiritualis traditione sit (simonia) perfecta »; A. de Meester, Iuris C. Comp., III, n. 1112.

Alii autem doctores tuentur, ex una parte, ad delictum simoniae constituendum non esse opus ut contractus sit perfectus, *re utrinque data et accepta* (simonia realis), aut saltem explicitus, sed sufficere quoddam tacitum et implicitum pactum dummodo ex circumstantiis, prout legitur in can. 728, animus simoniacus colligatur; atque, ex alia parte, sustinent novum ius expresse (can. eodem 728) omnes species simoniae aequiparare, atque statuere, can. 729, simoniacos indiscriminatim poenis teneri; proindeque nihil interesse utrum simonia *realis,* an *conventionalis,* an *confidentialis* sit. Ita disserte CHELODI (1), SCHOENEGGER in editione 13, H. NOLDIN, De Poenis ecc. (2), PISTOCCHI, (3) quibus adhaerere videntur SOLE et BOUUAERT-SIMENON (4).

Quaenam ex bis opinionibus praeferenda videtur?

Prima sententia nititur antiqui iuris, communiori saltem, interpretatione, iuxta quam sola simonia *realis* et *confidentialis* in materia beneficiorum poenis a iure statutis puniebatur; praeterea sensu litterali canoni 2392, in quo poenae ibidem recensitae (praecipuae novi iuris in subiecta materia) infliguntur contra perpetrantes delictum simoniae, ideoque ex canone 2228 contra committentes « delictum in suo genere perfectum secundum proprietatem verborum legis », id est, ut illi AA. volunt, simoniam *realem.*

Altera tamen sententia eiusmodi argumentis, equi-

(1) Ius poenale, nn. 93, 104 ubi haec idem A. adiungit; « Simonia *tum* realis, *tum* conventionalis plectebatur (in Iure Decretal). At in Bulla Ap. S. (II, 8. 9. 10) censurae l. s. ad simoniam realem et confidentialem et quidem in beneficiis commissam *limitatae* fuerunt. Hodie igitur ad superiorem disciplinam redimus ». In C. Ap. Sed. puniebatur etiam simonia realis ob ingressum in religionem.

(2) Num. 84: « Censura plecti videtur..... non sola simonia *realis* sed etiam *conventionalis* et *confidentialis.* ».

(3) I Canoni penali del Codice ecc. ad can. 2392 pag. 331.

(4) SOLE, De Delict. et Poenis n. 457; BOUUAERT-SIMENON, Man. iur. can. n. 1321. 13.

dem non spernendis, ita respondet et simul sua tuetur pronuntiata.

Antiqui iuris allegatae interpretationi, cui vi can. 6, 2° inhaerendum esset, facile opponitur in casu exstare veteris iuris *innovationem* per canonem 728, ex quo diserte et quasi ex novo, ad delictum simoniae, sufficiens statuitur *quaelibet conventio simoniaca* externa *licet ad effectum non deducta,* proindeque etiamsi talis contractus non pervenerit per rei et pretii commutationem ad simoniam realem. Quapropter non agitur nisi de lege nova clara quae, cum discrepet ab antiqua, secundum citatum canonem 6, 3° in fine, non ex antiquo iure, sed *ex sua novi textus sententia* est iudicanda.

Aliud primae sententiae argumentum desumptum ex verbo *delictum simoniae* in materia beneficiali *perpetrantes* prout in canone 2392 simul cum can. 2228, maioris profecto ponderis videtur; nam « *perpetrantes* » idem significare posset ac *peragentes, perficientes, in effectum deducentes* (1).

Verum hac non significat quod delictum simoniacum sit utrinque in executionem mandatum. — Sufficit namque ex norma can. 2228 ut « delictum sit in suo genere perfectum », *non absolute*, sed *secundum proprietatem verborum legis* ».

Iam vero, *secundum proprietatem verborum legis* in canone 728, simonia externa perfecta habetur etiamsi contractus simoniacus « *non fuerit ad effectum deductus* »; atque de hoc contractu simoniaco etiam ad effectum non deducto agit canon subsequens 729, in quo poenae contra simoniacos latae summatim recensentur. Igitur non opus erit pro delicto simoniaco eiusque poenis ut habeatur simonia realis.

Quod nemini mirum videbitur si natura attendatur contractuum consensualium, quales sunt illi qui in delicto simoniae intercedere solent; etenim eiusmodi

(1) Forcellini, Lexicon. v. « *perpetrare* », prima significatione.

pacta, prout emptio-venditio, permutatio, etc., valide generatim *perficiuntur solo mutuo contrahentium consensu, rite manifestato.*

Proinde nihil vetat quominus in istiusmodi contractibus simoniacis reperiatur simoniae delictum *vere commissum* seu *perpetratum*. Salvatur namque sensus litteralis canonum 2392 et 2228, *de delicto perpetrato vel in suo genere perfecto,* **secundum proprietatem verborum legis.**

Quod clarius apparet in aliis Codicis I. C. textibus ubi sanctiones feruntur contra ordinationes simoniacas, v. c. in can. 2371, quo puniuntur omnes qui *per simoniam* ad ordines scienter promoverint vel promoti fuerint. Idcirco plectuntur poenis qui rem spiritualem dederint aut receperint mediante simonia. Nunc vero simonia proprie dicta ex canone 728 mediare potest per quamlibet conventionem « *licet ad effectum non deductam* » ex utraque vel alterutra parte. Ergo in casu ordinationis simoniacae canonis 2371, poenae incurruntur etiam mediante simonia mixta, non reali, in qua res spiritualis utique data, sed stipulatum pretium temporale nondum receptum est.

Similiter argumentari liceret ex poena nullitatis in canone 185, de renuntiatione, et in 1465, § 2, de praesentatione, contra omnes officiorum aut beneficiorum renuntiationes et praesentationes labe simoniaca infectas.

Quis enim, attento novo iure canonis 728, negaret adesse de facto labem simoniacam in eiusmodi actibus, cum constiterit de mediante pacto simoniaco, seu de formali simonia *quamvis tale pactum non fuerit in exsecutionem deductum?*

His argumentis permoti calculum adicimus sententiae secundae ex propositis, quae tenet in novo iure, ad poenas per Codicem I. C. latas non requiri simoniam *realem,* sed generatim sufficere simoniam

externam, saltem mixtam, et quoad plures effectus iuridicos, v. c., nullitatis contractus, etiam satis esse simoniam mere consensualem aut *conventionalem,* seu, iuxta verba canonis 728, simpliciter ad effectum minime deductam.

MICH. MOSTAZA S. I.

Quaestiones canonicae de ordinatione, domicilio et incardinatione.

I.

« Episcopus *A.*, conventione facta cum Episcopo *B.*, confert primam tonsuram pro dioecesi B. iuveni qui originem et domicilium habet in dioecesi *A.* ibique per plures annos adhuc manebit.

« Potestne Episcopus *B.* ordinare istum clericum tamquam suum, vel ei dare litteras dimissorias? ».

Resp. 1. Ad normam can. 956 Episcopus efficitur *proprius* quoad ordinationem ex duplici titulo: 1^0 ratione *domicilii* una *cum origine,* quatenus ordinandus habeat tum originem tum domicilium in dioecesi Episcopi ordinantis; 2^0 ratione *domicilii sine origine,* praestito tamen *iureiurando,* quatenus ordinandus animum in dioecesi perpetuo manendi iuramento confirmet.

Hoc iuramentum non requiritur, si agatur *a*) de clerico ad ordines promovendo, qui per primam tonsuram dioecesi iam incardinatus sit; vel *b*) de promovendo alumno, qui servitio alius dioecesis sit destinatus; vel *c*) de promovendo religioso professo.

2. Qui ordinatur servitio alius dioecesis, incardinatur eo ipso huic dioecesi, an potius dioecesi Episcopi ordinantis? Ab hac responsione pendet solutio propositae quaestionis.

Pontificiae Commissioni ad canones Codicis authentice interpretandos sequens dubium propositum fuit: « *Utrum ille qui ordinatur a proprio Episcopo servitio alius dioecesis incardinetur huic alii dioecesi iuxta can. 111, § 2, an potius dioecesi proprii Episcopi iuxta can. 969, § 2 ?* ».

Pontificia Commissio die 17 aug. 1919 rescribendum censuit: « *Affirmative* ad primam partem; *negative* ad secundam » (1).

3. Igitur, secundum responsum datum a Pontificia Codicis Commissione, qui ordinatur a proprio Episcopo servitio alius dioecesis incardinatur huic dioecesi, non autem dioecesi Episcopi ordinantis.

Sunt nonnulli qui vim atque valorem praefati responsi aut negant omnino aut imminuunt, cum promulgatum non fuerit, ad normam can. 9, per editionem in *Actorum Apostolicae Sedis commentario officiali.*

Attamen, si res accurate perpendatur, nemo est qui non videat illud minus recte affirmari. Nam interpretatio, quae verba legis in se *certa* declaret, promulgatione non indiget et valet retrorsum; dum non retrotrahitur et promulgari debet ea interpretatio, quae legem coartet vel extendat aut dubiam explicet. Ita expresse statuit can. 17, § 2.

Porro verba can. 111, § 2 sunt *clara* et *certa* nullumque dubium aut difficultatem iuducunt: « *Per receptionem primae tonsurae clericus adscribitur seu, ut aiunt,* incardinatur *dioecesi pro cuius servitio promotus fuit* ».

Verba profecto intelligenda sunt prout sonant, nimirum secundum propriam significationem (can. 18). Atqui obvius ac perspicuus sensus can. 111, § 2 hic est: qui primam tonsuram recipit, adscribitur dioecesi pro cuius servitio ordinatus fuit. Ergo.

---

(1) *Periodica,* XII, 73; *Monitore ecclesiastico,* XXXII, 57.

Quare proprium est tonsurae quasi *vi ipsa sua* clericum dioecesi incardinare. Idque iure, perspecta hodierna Ecclesiae disciplina. Nam, ex saecularibus nemo ordinari potest, « qui iudicio proprii Episcopi non sit necessarius vel utilis ecclesiis dioecesis » (can. 969, § 1). Unde laicus, in casu, sese offert Episcopo, ut operam suam praestet in servitium eius dioecesis: Episcopus autem in hunc finem eum acceptat atque vel tonsuram ipse confert vel alii conferendam committit.

Hoc vero probe congruit cum veteri disciplina, secundum quam quilibet Episcopus censebatur proprius pro ordinatione laici, seu poterat laicum cuiuscumque dioecesis ordinare, et ordinatus ita perpetuo dioecesi ordinantis adscribebatur, ut non amplius posset ad aliam dioecesim transire, aut sine eius licentia ab alio Episcopo promoveri ad ordines altiores (1).

4. Aliqua difficultas, contra doctrinam huc usque traditam, haberi videtur tum ex can. 956 tum ex can. 969, § 2.

In can. 956 Episcopus *proprius* quoad ordinationem saecularium is est, in cuius dioecesi promovendus habet *vel* domicilium una cum origine, *vel* domicilium solum, accedente tamen iureiurando de voluntate perpetuo manendi in dioecesi. Porro si primae tonsurae effectus proprius is est, ut *vi ipsa sua* incardinet dioecesi, seu *perpetuo* incorporet tonsuratum dioecesi, non videtur ulla ratio, cur praestandum sit illud iuramentum, quoties Episcopus pro sua dioecesi promovet ad primam tonsuram subditum suum. Eo vel magis quod ex eodem can. 956 iusiurandum non requiritur, si quis promoveatur servitio alius dioecesis.

Ex can. 969, § 2 Episcopus non prohibetur promovere proprium subditum, qui in futurum, « *praevia legitima excardinatione et incardinatione*, servitio alius dioecesis destinetur ». Unde si requiritur praevia excar-

(1) Cfr Gasparri, *De sacra ordinatione*, II, n. 802).

dinatio et incardinatio, promotus ad primam tonsuram servitio alius dioecesis, non huic dioecesi dicendus adscriptus vi receptae tonsurae, sed dioecesi Episcopi ordinantis.

5. Quomodo praescriptum can. 111, § 2 conciliari potest cum praescripto can. 956 et can. 969, § 2?

Imprimis animadvertendum, nullam contradictionem aut repugnantiam inter varios Codicis canones admittendam esse, sed eosdem ita necessario esse intelligendos, ut plena praescriptorum concordia inde manifesta colluceat, cum unus idemque sit legislator, una eademque ipsius mens et voluntas.

Can. 111, § 2 loquitur de *effectu* proprio tonsurae scil. de *adscriptione* dioecesi, quae habetur ex receptione primae tonsurae.

Can. 956 loquitur de Episcopo *proprio*, qui nempe *licite* confert ordines. Dicitur autem Episcopus proprius vel ratione *originis*, si ordinandus locum originis non reliquit, vel ratione *domicilii qualificati* per iuramentum, si originis locum dereliquerit.

Domicilium simplex, absque iureiurando, sufficit ei qui per primam tonsuram iam incardinatus est. Sed hic eatenus potuit legitime incardinari per receptionem primae tonsurae, quatenus in dioecesi Episcopi ordinantis habuerit originem cum domicilio, vel domicilium qualificatum per iuramentum, vel ordinatus fuerit servitio alius dioecesis. Hinc tantum abest, ut praescriptum can. 956 adversetur praescripto can. 111, § 2, quin e contra illud manifesto confirmet. Perpendantur verba can. 956: « ...nisi agatur de promovendo ad ordines *clerico* qui *dioecesi per primam tonsuram iam incardinatus* ». Hic expresse atque perspicue enuntiatur principium contentum in can. 111, § 2, nimirum per primam tonsuram laicum propriam dioecesim sortiri eique incardinari (1).

(1) Cfr Vermeersch-Creusen, *Epitome*, I, n. 239; Wernz-Vidal, II, n. 61.

Can. 969, § 2 intelligendus est non de *laico* promovendo ad primam tonsuram, sed de *clerico* ordinando, de eo nempe qui per receptionem primae tonsurae *propriam* dioecesim iam sortitus est eique perpetuo manet adscriptus, donec legitima fiat excardinatio et incardinatio. Potest quippe accidere, ut quis, uni dioecesi receptione tonsurae incardinatus, ad ceteros ordines promoveatur non pro sua ipsa dioecesi, sed pro servitio alius dioecesis. In hac hypotesi, ordinatum egere excardinatione et incardinatione evidens est, cum *suam* dioecesim relinquere et ad *alienam* transire debeat (1).

6. Per incardinationem clericus *propriam* dioecesim ac *proprium* Episcopum sortitur, ut liquet ex dictis. Idcirco laicus qui recipit primam tonsuram servitio alius dioecesis, huic plane incorporatur, ita ut ipsa *propria* fiat eiusque Episcopus *proprius* sit.

Iuxta disciplinam Codicis, clericus *uni* tantum dioecesi potest esse incardinatus et *unum* dumtaxat habere potest Episcopum *proprium* quoad ordines suscipiendos. Quare ea dioecesis, in qua laicus recipit primam tonsuram pro servitio alius dioecesis, ipsi *aliena* iuridice est, et Episcopus ordinans nec est nec manet proprius. Posito facto incardinationis determinatae dioecesi, necessario consequitur eum illius Episcopum fieri proprium, ac propterea ius habere promovendi clericum incardinatum seu subditum suum. Episcopus autem, qui primam tonsuram contulit laico promoto servitio alius dioecesis, eatenus potest altiores ordines eidem conferre, quatenus licentiam seu litteras dimissorias habeat Episcopi proprii ordinandi, seu Episcopi illius dioecesis cui, receptione tonsurae, clericus incardinatus fuit.

Itaque, attento responso Pontificiae Commissionis Codicis diei 17 aug. 1919, genuino sensu atque

(1) Cfr Ojetti, *Commentarium in Codicem iuris canonici*, III, n. 3, nota 9.

valore perpenso canonum 111, § 2, 956 et 969, § 2, dicendum, ad casum propositum quod attinet, Episcopum *B.* posse ordinare clericum, tamquam proprium, aut ei dare litteras dimissorias.

II.

« Episcopus *G.* clericum excardinat et Episcopus *H.* eum incardinat. Clericus servat domicilium in dioecesi *G.*, ubi etiam habet originem. Potestne Episcopus *H.* eum promovere ad ordines, sive per se sive per litteras dimissorias ? Num locus sit applicando can. 956, qui loquitur de clerico qui *per primam tonsuram* incardinatus est? »

Resp. 1. Secundum disciplinam a Codice inductam, clericus *unam* tantum ut *propriam* habet dioecesim, atque *unum* dumtaxat sortitur Episcopum *proprium* quoad ordinationem, non plures, uti in antiqua disciplina. Sane *laicus* necessario pro certa ac determinata dioecesi ordinandus est, numquam vero absolute sine respectu ad dioecesim (can. 969); cui *certae* ac *determinatae dioecesi* per receptionem tonsurae *incardinatur* ac *proprium* inde sortitur Episcopum. Hinc est, ut qui olim erat laicus, nunc autem factus *clericus* ideoque determinatae dioecesi incardinatus, unicam habeat dioecesim ut *propriam,* ceterae autem sint *alienae.*

2. Vi excardinationis et incardinationis legitime (can. 112 ss.) factae, clericus suam dioecesim *a qua* amittit, obtinet vero ut *propriam* dioecesim *ad quam.* Hinc fit ut dioecesis, quae prius erat propria, fiat aliena; et quae erat aliena, fiat propria. Idem dicas de Episcopo.

3. Eo ipso quod clericus excardinatur a sua dioecesi et incardinatur alienae, *per se* necessario amittit

domicilium, quod habebat in dioecesi excardinationis illudque obtinet in dioecesi incardinationis.

Sane, cum clericus incardinatur *formaliter,* debet iureiurando coram Ordinario eiusve delegato declarare « se *in perpetuum* novae dioecesis servitio velle adiici ad normam sacrorum canonum » (can. 117, 3°). Haec autem voluntas de servitio novae dioecesi *in perpetuum* praestando, quomodo conciliari potest cum intentione *perpetuo* manendi in alia quoque dioecesi ?

Ubi agitur vero de excardinatione et incardinatione *tacita* aut *aequivalenti,* necesse est ut clericus ab Ordinario alienae dioecesis beneficium *residentiale* obtineat cum consensu sui Ordinarii in scriptis dato, vel cum licentia ab eodem in scriptis concessa *e dioecesi discedendi in perpetuum* (can. 114).

Voluntatis actus, quo clericus in casu beneficium *residentiale* acceptat, vix videtur simul exsistere posse cum voluntate *perpetuo* manendi etiam in alia dioecesi.

Quae huc usque diximus, confirmantur praescripto can. 143 et 144. Nam clericus ita manet adscriptus suae dioecesi, cui incardinatus est, atque in ea residere tenetur, ut, licet beneficium aut officium residentiale non habeat, nequeat tamen per notabile tempus ab illa discedere sine licentia saltem praesumpta proprii Ordinarii (can. 143); quod si in aliam dioecesim cum licentia sui Ordinarii transierit, semper potest revocari, iusta de causa et naturali aequitate servata (can. 144). Quibus positis, voluntas *perpetuo* manendi in una dioecesi videtur manifeste opponi voluntati *perpetuo* item manendi in alia dioecesi, sicuti *perpetua residentia* in una dioecesi necessario excludit *perpetuam residentiam* in alia.

4. Dices forte: nonne plures haberi possunt Ordinarii proprii ad normam can. 94, pluraque domicilia?

Episcopus sive Ordinarius *proprius* de quo in can. 94, § 1 non est idem ac Episcopus sive Ordi-

narius *proprius* de quo in can. 956. Iste canon loquitur de Episcopo proprio *quoad ordinationem;* ille e contra loquitur de Episcopo sive Ordinario (atque etiam de parocho) *quoad subiectionem.* Can. 94, § 1 respicit omnes fideles universim, sive mares sive feminas; can. 956 respicit dumtaxat alumnos saeculares ad ordines promovendos.

Porro clericus qua *fidelis* potest quidem habere plures Ordinarios et parochos *proprios* ratione domicilii et quasi domicilii; qua *clericus* autem, scil. qua peculiari dioecesi incardinatus, non potest habere nisi unicum Ordinarium sive Episcopum *proprium.* Peculiare atque distinctum est vinculum quo tenetur *clericus* erga proprium Ordinarium, ab eo quo tenetur *fidelis* erga eundem Ordinarium: aliud alio longe strictius est. Huc spectat v. g. praescriptum can. 127: « Omnes clerici.... *speciali* obligatione tenentur suo quisque Ordinario reverentiam et obedientiam exhibendi ».

5. Ulterius forte quis dicet: domicilium ad normam can. 95 amittitur discessione a loco cum animo non revertendi; quidnam si clericus excardinetur et incardinetur, attamen *sine animo non amplius revertendi?*

Huiusmodi animus potest esse explicitus et implicitus, expressus et tacitus, verbis aut facto manifestatus. Iam vero clericus qui legitime excardinatur e sua dioecesi et alienae incardinatur, *expresse* illum animum patefacit eo ipso quod iureiurando declarat « se *in perpetuum* novae dioecesis servitio velle addici ad normam sacrorum canonum » (can. 117, 3⁰.), si agitur de excardinatione et incardinatione formali; eundem animum *implicite* et *facto* manifestat per beneficii *residentialis* in aliena dioecesi acceptationem, si agitur de excardinatione et incardinatione tacita seu aequivalenti. Si forte duae contrariae voluntates habeantur, ex. gr. si clericus, non obstante excardinatione et incardinatione legitime facta, velit nihilominus

priori dioecesi adscriptus adhuc manere, praevalet profecto altera voluntas eaque contrariam excludit atque in foro externo unice attenditur.

6. Igitur concludendum: Episcopus *H,* quoad clericum rite excardinatum et incardinatum est Episcopus *proprius* ad normam can. 956, ideoque potest eum promovere ad ordines sive per se ipse, sive per litteras dimissorias.

III.

« 1. Episcopus permittit sacerdoti suo, ut per quinque annos resideat in alia dioecesi. Sacerdos iste amittitne domicilium in dioecesi unde proficiscitur; num acquirit domicilium quo ad quinque annos se confert ?

« 2. Quid si Episcopus permiserit ut in ista aliena dioecesi nominetur parochus, semper tamen ea condicione ut post quinque annos revertatur ».

Resp. 1. Domicilium amittitur discessu a loco cum animo non revertendi, salvo praescripto can. 93 qui servatam vult dispositionem de domicilio (et quasi-domicilio) necessario seu legali uxoris et minoris.

Domicilium *originis* nemo praesumitur deseruisse, nisi certo id constet, quamvis aliud sibi acquisiverit: peculiaris enim adest relatio ad huiusmodi domicilium ratione nativitatis, et conditio vagi in iure est valde odiosa et extraordinaria, ideoque minime praesumenda.

Domicilium *voluntarium* sive *habitationis* amittitur quando cessat elementum animi et corporis, seu quando quis e loco discedit cum animo non revertendi. Quare non amittit is, qui etiam per menses et annos discedit, intentione illuc revertendi retenta; v. g. iuvenis, qui militaris servitii praestandi causa discedit, eo expleto, domum reversurus.

2. Sacerdos, de quo in casu, cum veniam ab

Episcopo proprio obtinuerit discedendi ad quinque tantum annos, non autem, in perpetuum, domicilium in dioecesi unde discessit non amisit, si, ut iure supponitur, huiusmodi discessus factus non fuerit cum animo non revertendi.

In dioecesi vero aliena, quo ad quinque annos se confert, procul dubio domicilium non acquirit. Domicilium enim acquiritur commoratione, quae vel coniuncta sit cum animo ibi perpetuo manendi, vel sit protracta ad decennium completum (can. 92, § 1).

Quid si praedictus sacerdos, non obstante venia Episcopi discedendi e sua dioecesi ad quinque tantum annos, habuerit de facto intentionem perpetuo manendi in alia dioecesi?

Huiusmodi intentio imprimis nec praesumenda nec a priori admittenda: esset enim illicita *per se*, concessa ab Episcopo licentia discessus ad quinquennium dumtaxat. Praeterea intentio debet probari; onus autem probandi, in casu, incumbit asserenti. Qua probatione deficiente, practice in foro externo praedicta intentio omnino est excludenda, ad effectus iuridicos quod attinet. Imo talis intentio, in praefata hypothesi, nequit iuridice haberi, secundum veriorem sententiam (1), seu excluditur ab ipsa rei natura; sicuti voluntas concubinae perpetuo manendi in loco viri vel ad maiorem anni partem iuridice attendenda non est nullumque effectum iuridicum verius gignit, cum sit plane illicita ideoque revocanda.

3. Episcopus, attento iure communi de parochorum *stabilitate*, sine peculiari indulto S. Sedis non poterat permittere ut ille sacerdos nominaretur parochus in aliena dioecesi, ea conditione ut post quinque annos reverteretur in priorem dioecesim. Collatio enim paroeciae ex parte Ordinarii eiusque acceptatio ex

(1) Cfr Cappello, *De matrimonio*, n. 681, 5°.

parte sacerdotis, non fit *ad tempus*. Id valet non solum ubi agitur de beneficio paroeciali perpetuo seu inamovibili, sed *per se* etiam de paroecia manuali seu amovibili (cfr can. 1411, 4°), quia omnes parochi, etsi amovibiles, *stabiles* sunt ad normam can. 454, § 2 et 2147 ss.

Illa Episcopi voluntas restrictiva iuridice nihil operatur, cum praescriptis iuris communis adversetur. Can. 114 statuit: « Habetur excardinatio et incardinatio, si ab Ordinario alienae dioecesis clericus beneficium residentiale obtinuerit cum consensu sui Ordinarii in scriptis dato ». In casu, istae duae conditiones probe verificatae reperiuntur: *a)* consecutio beneficii *residentialis,* prout est quodcumque beneficium paroeciale; *b)* consensus Ordinarii legitime datus, ut supponitur. Igitur excardinatio et incardinatio tacita sive aequivalens in tali hypothesi adest.

Eo ipso quod sacerdos est iam incardinatus dioecesi in qua paroeciam obtinuit, non tenetur ad dioecesim unde discessit reverti, nec Episcopus habet ius eum revocandi, cum non amplius sit Episcopus *proprius* illius sacerdotis.

Quidnam si beneficium paroeciale sit manuale seu amovibile vel temporarium? Utrum requiratur beneficium residentiale *perpetuum,* an sufficiat etiam *temporarium,* ut locum habeat praescriptum can. 114, controvertitur. Nobis aliisque verior sententia ea videtur, quae, ipso excardinationis et incardinationis conceptu atque effectu considerato, tenet requiri beneficium residentiale perpetuum (1).

Quidquid tamen sit de hac quaestione, manet eadem conclusio ac supra, scilicet sacerdotem, qui de consensu proprii Ordinarii beneficium residentiale obtinuit in aliena dioecesi, non teneri, si defuerit peculia-

(1) Cappello, *Summa iuris canonici,* I, n. 222; Wernz-Vidal, II, n. 64.

ris facultas a S. Sede concessa, obligatione revertendi, elapso quinquennio, in dioecesim *a qua*, neque Ordinarium habere ius illum revocandi.

FELIX CAPPELLO S. I.

Canon 542, 2^0 et dispensatio ab irregularitate.

Canone 542, 2^0 illicita etsi valida pronuntiatur admissio alicuius qui ad sacerdotium in religione destinatur, a quo tamen removeatur irregularitate aliove canonico impedimento.

Cum igitur Sempronius esset propter illegitima natalia irregularis, petita dispensatione ab hoc ingressus impedimento, eaque a S. Congregatione concessa, in religiosos cooptatus est. Iam instante consueto ordinationum tempore, quaesitum est utrum ab irregularitate dispensandus esset an dispensatio data pro ingressu in religionem pro virtuali dispensatione ab irregularitate haberi posset.

Fuit qui virtualem dispensationem affirmaret, ea nixus ratione, quod facultas ipsi facta esset ut ad ordines suscipiendos aspirare posset.

Ut secundum veritatem quaestionem solvamus, ita dicendum putamus.

In primis, consulendus est tenor dispensationis impetratae. Si enim ipsa S. C. suo rescripto Sempronium vel legitimaverit vel formaliter ab irregularitate dispensaverit ad quosdam vel ad omnes ordines suscipiendos, manifestum est nihil plus requiri ad expeditam habilitatem suscipiendis ordinibus pro quibus est dispensatum. Observes enim non semper seu statim dari facultatem ad omnes ordines, sed fieri ut prius detur ad tonsuram et ordines minores, ac dein, altero rescripto, ad ordines maiores, non excluso presbyteratu.

Verum potuit S. C. mere dispensare ab impedimento ingressus in religionem, firma remanente irregularitate vel impedimento. Ita si, non obstante c. 542, 1°, dispensatur coniux ut, vivente coniuge, religionem ingrediatur, matrimonium non ideo solvitur. Pari ratione cum permanente irregularitate Sempronius dispensari potuit ut in religione in futuros clericos cooptaretur, firma necessitate postulandi ante suscipiendos ordines congruentem habilitatem.

Iam vero, ex can. 984, 1° irregulares sunt, ex defectu « Illegitimi .... nisi fuerint *legitimati* vel *vota sollemnia professi* ». Itaque duplex indicatur modus tollendi istam irregularitatem: legitimatio vel sollemnis professio, non autem tertius, qualis foret dispensatio ab impedimento ingressus.

Quocirca, si Sempronius non fuerit rescripto legitimatus, debebit, tempore opportuno legitimationem impetrare vel, si Ordinem ingressus erat, sollemnem facere professionem ut ordines licite recipere possit.

Ac facile explicatur cur legitimatio a limine ingressus non concedatur. Dum ingressum permittit, S. Sedes se propensam prodit ad dandam quondam legitimitatem Sempronio si is se bene in religione gesserit; sed non ideo vult statim gratia illa augere iuvenem qui potuit esse inconstans in vocatione sua. Finis igitur *proximus* rescripti est ut iuvenis se dignum probare queat; finis *remotus*, condicionatus, est ut postea, obtenta legitimitate, ordines recipere queat; sed proximus et remotus finis confundi non debent, neque fas est reputare pro ulteriore fine sufficiens quod pro proximo erat datum.

A. Vermeersch S. I.

De legali polygamia simultanea.

Quam iure ac merito S. D. N. Pius Pp. XI in praeclaris Enc. litt. 31 dec. 1930, *Casti Connubii,* hanc profanationis rationem quam sacra matrimonii institutio patitur ex quo ad contractum mere civilem eam detrudere conati sunt, conquestus sit ac deploraverit, novo et hactenus inaudito exemplo illustrare proponimus.

Hactenus perfecto civili divortio matrimonii inviolata firmitas impetebatur. Et quamvis conamen istud frustraneum esset, ita ut verae attentatae bigamiae insimulare possemus qui, obtento civili divortio, ad nova vota transire audebant, regulae tamen monogamiae formaliter non derogabatur. Stabat inconcussum principium: alterum matrimonium nisi priore dissoluto, contrahi nequit. Hoc etiam in Foederatis Statibus Americae Septemtrionalis, ubi tam facile divortium conceditur, observabatur, nec desiderabantur sanctiones poenales contra bigamos.

Recens, i. e. post ultimum bellum, ultra progressum est seu potius a recto tramite recessum; et quidem in catholica Europae parte, in republica Austriaca.

Quod in specie facti compertum habere nobis licuit. Cum duobus coniugibus negatum esset civile divortium, alter, qui origine et gente erat Austriacus, se contulit Vindobonam, ibique a magistratu, una cum parte quacum nubere proponebat, dispensationem petiit ab impedimento consistentis ligaminis.

Formula haec erat: Wiener Magistrat, Abteilung...

Präsentationsbestätigung

Herr.... wohnhaft.... und Frau...., ger. geschied..... wohnhaft Wien, haben hieramts am..... in Ansuchen

um Nachsicht vom Ehehindernis des bestehender Ehebandes § 62 a. b. G. B. überreicht.

(Ad litteram: Documentum oblati libelli. Dnus..... et Dna.... die.... praesentarunt in hoc officio instantiam pro dispensatione ab impedimento matr. ob consistens vinculum matrimoniale).

Vix duabus elapsis hebdomadis, hoc rescriptum impetratum est: Amt der Wiener Landesregierung, mittelbare Bundesverwaltung (Officium gubernii territorialis Vindobonensis, mediata administratio foederalis).

Ehesache (res matrimonialis)

An (ad)...

Bescheid (Rescriptum)

Auf Ihr Ansuchen wird Ihnen zum Zwecke der Verehelichung mit... gemäss § 83 a b. G. B. unter der Voraussetzung der Erfüllung der übrigen gesetzlichen Bedingungen die Nachsicht vom dem Ehehindernis des Ehebandes (§ 62 ab. G. B.)... erteilt....

Für den Landeshauptmann
Der Abteilungsvorstand
I. V.
Magistrats - Sekretär

(Supplici tuo exstante libello, tibi, ad finem contrahendi nuptias cum..... vi § 83 Cod. civ., praemissa impletione ceterarum condicionum legalium, dispensatio conceditur ab impedimento ligaminis.

Pro Gubernatore
Praefectus sectionis I. V.
Secretarius Magistratus)

Observes non a priore vinculo, ut per divortium fieret, sed ab impedimento ex consistente vinculo dispensationem esse concessam, ut simul affirmaretur subsistens matrimonium et facultas daretur istud neglegendi. Coniugia quae vi talis dispensationis ineuntur vocantur *Dispensehen* (matrimonia dispensata) vel etiam

Sever-Ehen a Gubernatore SEVER qui, primus dispensationes huiusmodi concedere tentavit. Ut liquet, magna rerum perturbatio inde exorta suscitavit generalem postulationem remedii.

De applicatione huiusmodi dispensationum tribunalia non consentiunt cum alia eas admittant, alia, contra, eas reiciant.

Verum, ni fallor, iurisdictio superior hanc gubernatoris potestatem agnoscit.

A Concordato remedium saltem pro catholicis speratur, quamvis sic dicti *Grossdeutschen* (1) et *Socialistae* contendant ut etiam catholica coniugia a Statu separari et dissolvi quaeant.

A. VERMEERSCH S. I.

QUAESITA VARIA

De honore liturgico Episcopi nominati.

Cum nominatio Episcopi aliquo temporis intervallo eius consecrationi praecedere soleat, quod intervallum in missionibus saepe non paucos menses complectitur, quaeritur quaenam partes ritus Pontificalis ipsi interea permissae sint.

Observes in primis Episcopum tunc esse nominatum, quando decreto S. C. Consistorialis vel de Propaganda Fide, Pontificia nominatio ei significata est. Porro ab ostensis litteris apostolicis sive Capitulo sive coetui Consultorum, possessionem suae dioecesis seu quasi dioecesis adipiscitur, ac suam

---

(1) Qui ex unione cum Germania extensionem imperii propugnant. Utcumque res se in futurum habitura sit, novo facto demonstratur quomodo extra religionem catholicam non habeatur nisi vis usque magis distrahens societatem civitatis.

iurisdictionem plene exercere potest et debet. Cum autem usus iurisdictionis a potestate Ordinis minime pendeat, idem honor liturgicus Episcopo mere nominato et Episcopo qui possessionem suae sedis adeptus est competit. Attamen a sola capta possessione nominatur in canone, ut declaratum est a S. R. C., 4 iul. 1879 (*Dec. auth.* n. 3500).

Ut iam ad quaestionem solvendam nos accingamus, die 2 maii 1910, S. C. Caeremonialis, decreto quod in Decr. auth. S. Rituum Congregationis n. 4284 III reperitur, usum pileoli violacei episcopo nominato permittit.

Ex paucis scriptoribus qui rem attingunt, est qui Episcopo electo in Missa privata permittit Canonem seu Librum Pontificalem, lancem, anulum, pileolum violaceum, crucem pectoralem cum stola pendente, usum verborum *Pax vobis* et benedictionem triplicem in fine Missae.

Quid iam dicemus? Haec tum ex qualitate electi Episcopi, qui etiam non consecratus plenam iurisdictionem possidere potest, tum ex allegato responso S. C. *Caeremonialis,* quae nobis argumentum analogiae suppeditat, colligi nobis posse videntur.

1. Cum iurisdictio prorsus a potestate Ordinis et conexis honoribus separari possit, honorifica iura liturgica non variant prout Episcopus iam vel nondum suam iurisdictionem exercere coeperit.

2. Quaecumque insignia ei in consecratione traduntur Episcopus nondum consecratus adhibere non potest. Cetera autem ei iam ante consecrationem competunt.

Iam vero, ex Pontificali Romano, *De Consecratione Electi in Episcopum,* accipimus consecrando Episcopi tradi in Consecratione baculum pastorale, anulum, mitram et chirothecas. Itaque haec inde colligere possumus:

Electus: *a)* potest cruce pectorali uti cum stola pendente.

Observes ceterum partes stolae alteram alteri esse imponendas ab iis qui crucem pectoralem non ferunt ut crucem figurent. Quare Praelatus qui crucis pectoralis oblitus fuerit, partes stolae sicut simplex sacerdos pro Missae celebratione decussare debet.

b) Potest uti pileolo violaceo, quod ipsi ceterum expresso concessum est decreto hic supra allegato;

c) Non potest adhibere anulum episcopalem, cum eum debeat a Consecratore accipere;

d) De usu Pontificalis et lanceae nulla moveri potest difficultas.

e) Nec quidquam obstare videtur quin dicat Pax vobis, et trinam benedictionem impertiat. Talis enim ordo Missae in libro Pontificali describitur.

Sollemnem autem benedictionem Pontificalem primum dat in fine suae consecrationis, et pertinet ad sollemnem Missam Pontificalem, quae supponit baculum pastorale et Mitram, quibus nondum uti permittitur.

A. VERMEERSCH S. I.

De canone 1245 § 2.

Canone 1245 § 2, Ordinariis fit facultas dispensandi a ieiunii vel abstinentiae lege totam dioecesim vel etiam locum ex causa *peculiari magni concursus* populi. De canone isto **quaeritur:**

1. Utum cadat tantum in festa propria loci seu dioecesis, ut dedicationem ecclesiae, an etiam in festa totius Ecclesiae, puta nativitatem S. Ioannis Baptistae, sed quae in aliquo loco vel in dioecesi peculiari modo celebrantur, ita ut magnus fiat populi concursus;

2. Utrum causa concursus debeat esse sacra seu

formaliter ad festum referri, an possit esse profana, ut puta mercatus in eandem diem incidens;

3. Utrum, ad usum facultatis Ordinario datae opus sit ut concurrant alienigenae an sufficiat concursus incolarum?

Responsa.

Ad 1. Facultas facta aeque in festa generalia et in festa propria dioecesis vel loci cadit. *Peculiaris* enim concursus *causa* latius patet quam *festum peculiare.* In exemplo allato in altera quaestione, nonne incidens mercatus in festum totius Ecclesiae dicendus est causa *peculiaris?* Ipsa devotio qua in aliquo loco seu in aliqua Ecclesiae parte vel Sanctus vel mysterium honoratur nonne est peculiaris causa concursus?

Ad 2. Causa concursus nullatenus sacra esse debet. Null› canonis verbo condicio ista insinuatur. Ac ratio dispensandi etiam ex causa profana facillime exoritur: ut si multa peccata violantium legem abstinentiae praecavenda videantur.

Ad 3. Ipsa Pontificia Commissio Interpretanda Codici decreto 12 mart. 1929, respondit magnum populi concursum haberi « etiam per extraordinarium concursum fidelium unius tantum paroeciae ad festum in ecclesia celebrandum ». Cfr *Per.* XVIII, 172 et 175.

A. VERMEERSCH S. I.

De Calendario in missionibus

I. Quodnam calendarium observandum est in ecclesiis missionis quae cuipiam Ordini vel Congregationi religiosae est commissa, ita ut moraliter omnes parochi vel quasi-parochi ad Institutum religiosum pertineant?

Postquam decreto 28 oct. 1913 (1) statutum est

(1) Cfr *Per.*, VIII, (11).

ut omnis Vicariatus vel Praefectura suum possideret calendarium, distinctum a calendario religiosorum, respondendum est ecclesias istas, nisi vere sint regulares vel religiosae, obnoxias esse calendario Vicariatus vel Praefecturae. Quod enim parochus sit re vera regularis vel religiosus, quia nondum sunt sufficienti numero sacerdotes saeculares, id qualitatem ecclesiae minime mutat.

Quare, quamvis religiosi pro officio suo privato proprium calendarium sequi debeant, tamen pro missis quas celebrant in ecclesiis quae non sunt vere suae vel saltem commissae communitati qua tali, calendario vicariatus vel praefecturae sequendo tenentur.

Exceptio tamen facta est pro ecclesia cui adiacet verus conventus, ita ut omnes functiones celebrentur a Patribus conventus et ab ipsa communitate. Cf. decr. 22 mart. 1910 in Secoviensi (1), quod tamen non afficit ecclesiam cathedralem aut Metropolitanam, ubi semper Dioecesanum calendarium servandum est (2).

II. Obtento indulto quo religiosi suum calendarium adhibere ubique possint (3), potestne etiam Episcopus dioecesanus, eiusdem religionis, uti.

Resp. Negative, quia debet adhaerere ecclesiae cui est desponsatus. Observes rationem istam non cadere in Vicarium Apostolicum, qui ecclesiam cathedralem proprie non habet.

A. VERMEERSCH S. I.

De religiosorum absentia secundum can. 606 § 2.

Canone 606 § 2, postquam negavit fas esse Superioribus permittere « ut subditi extra domum pro-

(1) Cfr *Per.*, V, 144.
(2) Cfr resc. 20 mart. 1915, A. A. S, 31 mart. 1915, *Per.*, VIII, 249.
(3) Indultum huiusmodi hodie aegre conceditur.

priae religionis degant, nisi gravi et iusta de causa atque ad tempus quo fieri potest brevius secundum constitutiones », subiungit: « pro absentia vero quae sex menses excedat, nisi causa studiorum intercedat, semper Apostolicae Sedis venia requiritur ».

Inde **quaesitum** est quam diu religiosus domi redux in conventu permanere debeat, ut futura eius absentia cum praecedente non coalescat.

Cui quaestioni ut satisfaciamus, eam normam generalem praestituendam esse arbitramur, ut attendamus ad intentionem abeuntis seu absentiae finem, et modum quo alia absentia aliam excipit.

In primis qui absens fuerit propter propria religionis suae ministeria, affici non videtur canone 606 § 2 qui loquitur de religioso degente extra domum ratione quam Superior non potest nisi gravi et iusta de causa et ad tempus quantum fieri potest brevissimum probare: huiusmodi sane non sunt absentiae propriis religionis ministeriis imperatae. Superiori id unum cavendum est, ut religiosus per sufficiens tempus domi sit, ut periculo amittendae vocationis suae vel spiritus religiosi non opponatur.

Si qui fere per sex menses abfuerit, mox ob diversam causam alio vocetur, ipsa causae diversitas continuationem impedit, ita ut intervallum unius diei sufficiens putari queat.

Si vero ab initio causa absentiam ultra sex menses postulare videatur, tunc vel facultas S. Sedis pro diuturniore absentia ab initio postulanda erit, vel post aliquot menses, per quos religiosus extra domum vixerit, interponendus erit unus mensis. Unus mensis, inquam, quia per idem mensis intervallum continuitas noviciatus abrumpitur. Ita igitur dicimus ex analogia.

A. VERMEERSCH S. I.

De comitando funere.

I. Cum celebrandae essent in ecclesia parochiali exsequiae piae cuiuspiam Tertiariae, Tertiarii Fratres et Sorores voluerunt, praecedente vexillo Tertii Ordinis ad luctum velato, funus collegialiter comitari. Verum parochus prohibuit ne vexillum elevarent. Quare quaestio mota est inter parochum et regulares utrum iure ac merito an iniuriose parochus vetitum suum interposuisset.

Resp. Ad familiam non ad parochum spectat eos invitare a quibus vult ut corpus defuncti deducatur. Ita v. g. R. P. MATTAEUS a CORONATA, O. M. Cap. (*De locis et temporibus sacris*, n. 222) nixus can. 1233 § 1 et responsis S. Sedis.

Nec sodalicium invitatione opus habet ut funus participet defuncti qui ei, dum vivebat, ascriptus erat (Cfr ibidem n. 221). Quod autem incedant tertiarii sub cruce propria vel vexillo proprio, id minime absonum est. Codex enim 1233 § 2 sola excludit « insignia religioni catholicae manifeste hostilia ». Atque in can. 706 tertiarii qui collegialiter funeri interesse voluerint, iubentur cum suis insignibus sub cruce propria incedere.

Per se, igitur, parochus, excludendo pium tertiariorum vexillum, in iure erravit.

Si tamen usus localis omne vexillum, praeter crucem, e funere excluserit, parochus, deficiente tempore recurrendi ad Ordinarium, potuit novitatem qua talem arcere, donec Ordinarius interrogatus de re quid in posterum faciendum esset non statuerit.

II. C. 1233 § 1 iubet ut clerici ipsi ecclesiae addicti a familia vel ab heredibus prae aliis omnibus invitentur. Suntne inter istos clericos canonici ecclesiae cathedralis vel collegialis numerandi?

Resp. Canonici non sunt habendi hic ut pertinentes ad clericos ecclesiae. Invitantur enim qui defuncto in vita affuisse praesumuntur; huiusmodi autem non sunt nisi clerici qui operam ministerialem in ecclesia praebent.

A. VERMEERSCH S. I.

Solutio casus de missionibus, p. 92*.

Ad I. Moribundum, etiam paganum, a quo vocatur non adire ut ceteri, eius morte perterriti, diligentius se ad baptismum praeparent et ferventiorem vitam ducant. Missionarius nullatenus potest. Moribundus enim iste, maxime si sit paganus, in necessitate quae moraliter extrema dici potest versatur. In tali autem necessitate omnis sacerdos gravi caritatis obligatione tenetur ut opem ferat; neque probabilis aliorum utilitas ut excusatio affertur.

Praesto sunt alia media normalia, ut instans praedicatio de periculo aeterno cui etiam sic in ultimo vitae momento adiutus exponitur; de irreparabili damno quod ille subit qui in peccatis dies suos agit, de felicitate bonae conscientiae, etc.

Ac Missionarium numquam fugiat haec norma generalis, sacerdoti simplici non licere ut a recepto more in ministrandis sacris recedat.

Ad II. Profecto iuniorum concubinatus non est resignato animo ferendus, sed omni modo impugnandus. Attamen hic etiam cavendum est ne vitando Charybden incidamus in Scyllam.

Iis qui concubinatum ultro sanare voluerint matrimonium cui nullum obstat impedimentum negari non potest; iuvenes tamen licebit et opportunum erit attentos facere ad indissolubile vinculum quo tenebuntur

et ad plurima detrimenta temerariae coniunctionis. In concedendis quoque dispensationibus periculum inconstantiae suadebit ut Ordinarius se difficiliorem exhibeat.

Sed in conatibus suis quibus Amedeus urgere tentat matrimonia concubinariorum se gerere debet ad ea quae Vicarius Apostolicus praecipit vel suadet. Ordinarii enim est aestimare qua actione maius malum vitetur vel bonum procuretur.

Casus de medicis.

I.

In clade quadam plures personae oppressae sunt inter quas duae ita in crure laesae sunt ut valde suadendum sit ut utrique femur abscindatur. Altera autem est sanae mentis, sed religiosa professa, altera vero est mente capta.

Quaerid iam medicus sitne ipsi opus licentia ut manum suam interponat et a quonam petenda sit.

II.

Catholicus praefectus sanitatis in regione ubi saevit sic dictus « Birth Control » nec lege prohibetur, quaerit utrum annon sibi liceat ordinare instituta clinica in quibus artes neomalthusianae doceri et exerceri permittuntur, quando auctoritate caret in medicos qui eas, ut veri simile est, docebunt et exercebunt? Potestne patrocinari nominando medico qui, ut persuasum habet, artes istas exerciturus est.

III.

Idem quaerit utrum annon, id iubente Commissione superiore de curis maternis et infantilibus, fas ipsi sit quaerere et conducere medicos pro instituto erecto ut schola neomalthusiana?

16761

The index is after p 332

16764
Periodica de re morali
v.20
BPac

v.20 16764

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709



His diebus prodiit :

A. Vermeersch S. I. *Catéchisme du mariage chrétien d'après l'Encyclique " Casti Conubii „.* Exsistit quoque editio italica; paratur anglica, germanica, flandrica, polona.

Indices XV priorum voluminum, i. e. Index chronologicus; Index initiorum, cum indicatione argumenti, ultra mille documentorum; et locupletissimus Index alphabeticus, prostant 25 Lit. Componunt volumen 256 paginarum.

N. B. Ex istis tomis iam exhausti sunt I, II, III, VI, VII, VIII, XIII.

Si qua occasio fuerit redimendi sive integram collectionem sive tomos exhaustos, moderatores ephemeridis eam libenter aequis condicionibus arripient.

F. M. Cappello. — *Tract. canonico-moralis de Sacramentis.* I. De Sacr. in genere et tribus prioribus Sacramentis (L. 28). II. 1ª Pars. De Paenitentia (L. 33). III. De Matrimonio, 2 ed. cum Append. de iure matr. Orientalium (L. 35). *Paratur* vol. II. 2ª Pars, De Ordine et Extr. Unctione.

Summa iuris publ. Ecclesiastici ed. 3 (L. 20).

Tract. can-mor. de Censuris, ed. 2 (L. 18).

I. M. Hanssens. — *Institutiones liturgicae de ritibus Orientalibus.* Tomus II, De missa rituum Orientalium. Pars L. 25. Modo prodiit Pars II.

B. Ojetti. — *Commentarium in Codicem I. C.* Vol. I. Normae generales (L. 30) Vol. II. De Personis (can. 87-107) (L. 20).

A. Vermeersch. — *Theologiae Mor. Principia, Responsa, Consilia.*, ed. 2. I. Theol. fundamentalis (L. 24). II. De Virtutibus theol. et moralibus, excepta Castitate (L. 27). III. De Personis, Sacramentis, Ecclesiae praeceptis et Censuris, cum Appendicibus historicis : Volumen canonico liturgicum et morale (L. 40). IV. De castitate et vitiis oppositis, pars moralis de Matrimonio (L. 7).

Epitome Iuris can. cum Commentariis ad scholas et ad usum privatum cum facultatibus Legatorum Pont., Vic. et Praef. Apost. et Episcoporum (opera **A. Vermeersch** et **I. Creusen**) 3 vol., I, ed. 4, lib. 1 et 2 Cod. (L. 20); II, ed. 4, lib. 3 Cod. (L. 25); III, ed. 3, lib. 4 et 5 Cod. (L. 24). *(In Belgio,* 25,20; 28; 24,50 fr.).

De Religiosis Institutis et Personis. I. Ad usum scholarum, ed. 3 paratur. II. Supplementa et Monumenta. Ed. 4. (Fr. 24,50 seu nunc L. 12,00).

De facultatibus S. C. de P. F. Commentaria (Fr. 5 seu nunc L. 2.50). Praeterea : *Periodica de re canonica et morali* ab anno 1905 (17 vol., sed plura exhausta sunt) — *Quaestiones de religione et pietate.* — (Variis linguis) : *La Tolérance. — Méditations sur la S.te Vierge. — Pratique et Doctrine de la dévotion au S. Coeur. — Les archives du Manuel social* (cum **A. Muller**, S. I.) — Paratur nova ed. *De Religiosis. — De Iustitia. — De Castitate.*

Vermeersch-Dini. *La preghiera del sacerdote.* Consigli pratici. vol. 122 p. Venit L. 3,00.

Wernz-Vidal. *Ius Canonicum.* Tom. II. *De Personis* ed. 2. (L. 40); V. *Ius Matrimoniale* ed. 2.ª (L. 45). — *De Processibus*, 1ª Pars (L. 35) 2ª Pars. (L. 12).

Opera ista prostant vel Romae (101) Piazza della Pilotta; vel Brugis, in Belgio, apud ed. Pont. C. Beyaert. Periodica tamen annorum praeteritorum, solum apud Beyaert.

N. B. Haec Periodica veneunt pretio annuali 20 lib. ital. in Italia; 25 lib. ital. extra Italiam, Belgium et Galliam; in Belgio, 30 fr. belgicis; in Gallia, 30 fr. Ementes in Italia pretium potius solvant Roma (101), Pont. Università Gregoriana; extra Italiam, potius apud Beyaert, Bruges, 6 rue Notre-Dame, Belgique.

Approbantibus Superioribus Ecclesiasticis

P. Domenico Palermo Lazzarini, Università Gregoriana Roma - responsabile

ISOLA DEL LIRI — Soc. Tipografica A. Macioce & Pisani